D. O. M.

SUMMA PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ, ET SCOTISTICÆ

IN QUATUOR PARTES scripta, & digesta breviter, & clarè

PER Fr. SEBASTIANUM DUPASQUIER,
Minor. Convent. sacræ Theolog. Doct. ac Professor. Emeritum, Provinciæ D. Bonav. Exprovincial. primar. & Convent. Cambeniensis Alumnum.

TOMUS IV.

De Corporibus Physicis, & Anima.

Fris Fernandi Justinopoli



Joannis Sacco Min. Con.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCV.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.



INDEX
DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
Hujus Tomi IV. Philosophiæ Scotisticæ. De corporibus Physicis, & Anima.

Q. I. An,

Q.II.

Q. VIII.

SUM-

SUMMÆ PHILOSOPHIÆ SCOTISTICÆ.

PARS IV.

De Corporibus Physicis.



B universalibus ad particularia descendimus, toto lib. præcedenti egimus de corpore naturali, *ut sic*, ac principiis ejus in genere, prout de illis tractat Philosophus totis octo libris Physicorum. Jam ad partes descendimus, seu ad species principaliores corporis Physici, cujusmodi sunt, *mundus, Cœlum, elementa* (quæ sunt corpora simpliciora) *generabilia*, & *corruptibilia*, *mixta perfecta*, & *imperfecta*, ut *meteora*, & *animata*, quæ sunt nobiliora, & denique illa, quæ vocari solent *parva naturalia*.

DISPUTATIO PRIMA.

De corpore universo, seu de mundo.



IC iterùm incipimus à toto ad partes descensuri, à Mundo scilicet, qui est rerum naturalium universitas. Nam, ut illum descripserunt veteres Philosophi, *Mundus est sensibilium, & insensibilium specierum plenitudo, & ordo*, aut, ut aliis placet, *ordinata series cunctorum natura constantium à Deo, & per Deum servata*, ergo antequam de ullo corpore particulari differamus, de illo toto pauca sunt probanda.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit Mundus, & quotuplex.

MUndus à munditie dictus est propter miram pulchritudinem, & ornatum. Dicitur *universum*, quia universam comprehendit creaturam. Dicitur *orbis*, propter figuram, & rotunditatem, *machina* propter admirabilem structuram. Mundi nomen Metaphoricè sumitur pro hominibus, & quidem iniquis, ut cùm dicitur de Christo D. [1] *quòd mundus eum non cognoscit*, & ipsemet dicebat, *non potest mundus odisse vos, me autem odit*. Eodem modo sumitur idem nomen, prout significat statum mundanum, id est oppositum statui Ecclesiastico, & Regulari: sed physicè sumitur vel in tota sua latitudine, pro universitate omnium rerum creatarum tàm spiritualium, quàm corporalium, quæ sub, & super cęlos sunt. Pressiùs autem pro universitate rerum omnium sensibilium, & dicitur *mundus corporeus*. Aliquando pressiùs adhuc pro solis substantiis spiritualibus, & dicitur *mundus spiritualis*, & si extendatur ad creaturas rationales, dicitur *mundus intellectualis*. Aliquandò idealiter, & prout est in mente divina, & dicitur *mundus Archetypus*, nos hìc de mundo loquimur, prout comprehendit creaturas omnes sensibiles, & corporeas, immò & intellectuales, & quærimus, non, an sit, hoc enim nullus ignorat, sed quid sit, qualis, & quotuplex.

CONCLUSIO I.

MUndus est perfecta rerum omnium creatarum sub uno supremo Dominatore, & Moderatore invicem subordinatarum coordinatio.

Dicitur 2. *Perfecta ordinatio*, quod habet locum generis, per id enim mundus iste convenire potest cum Archetypo, & aliis operibus divinis, quibus non deest *perfecta ordinatio*, cùm enim Deus sit sapientissimus, *omnia fecit in pondere, numero, & mensura*. [2]

Hic

[1] Jo.1. & 7. [2] Sap.11.

Hic autem ordo in mundo est triplex. 1. Ad Deum, qui ejus auctor, confirmator, rector, & finis est. [1] *Universa enim propter semetipsum operatus est Dominus*. 2. Ad hominem, velut ad caput, superiorem, & Rectorem visibilem, & finem medium, fecit enim hominem [2] *ad imaginem, & similitudinem suam, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, bestiisque terræ*, & [3] *omnia subjecit* Deus *sub pedibus ejus*. 3. est partium mundi ad se ipsas. 1. Per quem inferiores subjiciuntur superioribus, v. g. sublunaria cęlis, cęli verò intelligentiæ motrici, & ista Deo. 2. Per quem se se mutuò fovent, & juvant. & 3. per quem singulæ munus suum obeunt in bonum commune.

2. Dicitur *rerum creatarum*; & per hoc mundus hic discernitur ab Archetypo, & divino. Reliqua ponuntur ad majorem explicationem.

CONCLUSIO II.

Mundus non est per se unum compositum substantiale, sive animatum, sive non, nec habet aliam formam, quàm aggregationis, & ordinis.

Prob. 1. ex Scoto post Arist. [4] notante, quòd *Empedocles poeticè loquutus est de toto mundo ad instar unius animalis, in cujus membris primis est maxima convenientia, quam vocabat amorem, vel concordiam,* &c. ergo Scotus, ex Philosopho, rejicit hanc unitatem compositi per se ex materia, & anima, velut figmentum poeticum.

Quantum ad ordinem sic concludit. [5] *Universum, & omnia corpora universi sunt debitè ordinata*, & hoc comparando quodlibet *corpus universi ad omnia alia. Prob. Quia totum universum ordinatur secundum quãdam proportionem harmonicam*, &c. Sed hoc non dicitur de per se composito substantiali, ergo mundus non est tale compositum. Quod etiam alibi confirmat, comparans universum exercitui, cujus bonum *intrinsecum* consistit in coordinatione partium inter se, & ad se invicem, quia est *aliqua affinitas, & ordo alterius ad alterum, extrinsecum* verò in hoc, quòd ordinatur ad Deum, ut finem, sicut exercitus est *propter ducem*.

[1] *Prov.* 16. [2] *Gen.* 1. [3] *Psalm.* 8.
[4] 3. *met.c.*3.*n.*36. [5] *L.*1.*meteor.q.*2.*d.*2.*n.*5.

Prob.2. quoad 1. p. Si mundus esset compositum substantiale ex materia, & forma, omnia in eo essent ejusdem speciei, & naturæ, quia participarent eandem formam, & materiam totalem, & haberent easdem operationes, quia forma substantialis, quæ est principium operationum, esset eadem: sed hæc apertè falsa sunt, ergo mundus non est compositum per se unum substantiale, sive animatum, sive inanimatum.

Confir. ex Scoto. [1] Quia, si mundus totus constaret una materia, & una forma substantiali, videremus in eo unam aliquam operationem communem, sed hoc est falsum, & contra omnem experientiam, ergo & falsum est, mundum esse unum per se compositum ex materia, & forma substantiali. Prob.maj. *Operatio arguit formam, ergo, ubi ultra proprias operationes convenientes partibus secundum proprias formas videmus aliquam unam operationem communem, sicut in animali sentire, ibi concludimus formam totius actuantem omnes partes*, sed communiter in partibus universi ultra proprias operationes convenientes eis secundum proprias formas nullam videmus aliam communem, ut in igne, & aqua, ultra calefacere, frigefacere, ergo, &c.

Quòd autem non sit animatum confirmatur ex S. Augustino, [2] *animal esse istum mundum, sicut Plato sensit, aliique Philosophi, nec ratione certa indagare potui, nec divinarum scripturarum auctoritate persuaderi posse cognovi. Unde tale aliquid à me dictum, quod id accipi possit, etiam in libro de immortalitate animæ, temerè dictum notavi*. Docet tamen in mundo *esse spiritualem, vitalemque virtutem, etiamsi non sit animal mundus: quæ virtus in Angelis Sanctis ad decorandum, atque administrandum omnia Deo servit*. Ideò mundus habet animam, non quidem *informantem*, sed *assistentem*, sc. intelligentiam, seu Angelum motorem, & rectorem, & maximè in cœlis, ex S. Augustino.

Prob.1. pars ex eodem S. Augustino [3] dicente, quòd *discretis ab invicem substantiis facta compaginatione mundus vocatur*. sc. mundus ex diversissimis naturis invicem adunatis, & ordinatis, & 2. ex Scoto

[1] 7.*met.c.3.n.63*. [2] 1. *Retract.c.*11. [3] *QQ.vet. test.q.*2.

to [1] dicente, quòd *omnia creata, quia limitata, nata sunt esse partes totius universi, quod est unum unitate ordinis, & quia secundum Philosophum unitas universi est in ordine partium ad se invicem, & ad primam* (Deum) *sicut unitas exercitus est in ordine partium exercitus inter se ad Ducem*.

Prob.2. ex 1. concl. ubi descripsimus mundum *coordinationem rerum omnium creatarum*, &c.

Objicies 1. In mundo est unica materia, ergo & unica forma. Ant. patet ex dictis in Physica de unitate materiæ. Prob. conseq. Quorum enim una est materia, una est etiam forma, ergo mundus est compositum ex materia, & forma substantiali.

Resp. neg. conseq. & ant. prob. Unitas enim formæ non pendet ab unitate materiæ, ut patet de omnibus naturis corporeis.

Objic.2. Mundus esset ens per accidens, sed hoc est absurdum, ergo, &c. Min. patet. Quia hic mundus non esset perfectus. Prob. maj. Quod non est per se unum, est ens per accidens, ergo, &c.

Respondeo dist. maj. Prout ens per accidens opponitur composito ex materia, & forma substantiali, seu ex partibus substantialibus, quæ se habeant adinvicem, ut actus, & potentia, conc. maj. & neg. min. ac rationem ejus. Nulla enim in hoc absurditas, vel imperfectio, cùm mundus non sit capax alterius unitatis: esset ens per accidens, prout opponitur composito ex materia, & forma substantiali, sive artificiali, sive naturali, neg. maj. & conseq. Nam, sicut domus, quæ componitur ex lapidibus, & lignis artificialiter coordinatis (ita est de exercitu) non dicitur propriè ens per accidens, ita est de mundo, qui ad artem Divinam fabricatus est.

Inst. Mundus esset ignobilior qualibet creatura substantiali in illo contenta, & sic pars nobilior esset toto, sed hoc est absurdum, ergo debet esse unum per se compositum. Prob. maj. Quodlibet compositum per se unum substantiale est nobilius quolibet aggregato, sed quælibet pars mundi esset per se unum compositum, non verò ipse totus mundus, ergo, &c.

Respondeo neg. maj. & dist. ant. prob. Quolibet aggregato absque ordine, & arte qualitercumque, conc.

[1] 1.*d*.30.*q*.2.*n*.19. & 2.*d*.1.*q*.4 *C*.*n*.11.

ant. quolibet aggregato cum arte divina, & ordine mirabili, qualis est ordo mundi, in quo omnia substantialia, & viventia continentur, ut partes, neg. ant. & id patet de exercitu, de domo, &c. talia tota, & aggregata sunt nobiliora quacunque illorum parte.

CONCLUSIO III.

Mundus de facto est unicus, non repugnant tamen plures.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [1] *Sufficit mihi loqui de solo universo, non fingere aliud, de quo nullam rationem habeo, imò potius obviationem*. Et alibi, [2] *sciendum, quòd mundus secundum D. Dionysium est unus, quia suprema infimorum conjunguntur cum infimis supremorum*, &c.

Prob. 2. ex Scriptura loquente semper de mundo in singulari, [3] *per ipsum factus est*. [4] *In principio creavit Deus* (non cęlos, & terras) sed *cęlum, & terram*. Unde D. Aug. [5] retractat se, quòd dixerit alicubi duos esse mundos.

Prob. 3. Quia sine ulla ratione assererentur plures, ergo de facto est unicus.

Prob. 2. p. 1. Quia nulla posset afferri implicantia, nec ex parte Dei, qui hodie tàm potens est ad alios creandos, quàm fuit creans istum: neque ex parte creabilium, ergo plures alii mundi sunt possibiles.

Prob. 2. Quia sententia negans hanc possibilitatem dicitur damnata per Stephanum Episc. Parisiensem, fundamentum Aristotelis, qui hoc negavit, est error, quo credidit Deum agere ex necessitate.

QUÆSTIO II.

De perfectione Mundi, An potuerit esse perfectior.

Perfectum aliquid dicitur 1. *simpliciter, & extra genus*, quandò nulla ei deest perfectio in sua specie, nec ulla potest addi, vel detrahi: & sic Deus solus est perfectus. 2. *secundum quid, & intra genus*, quandò habet omnes perfectiones ad sui constitutionem in suo ordine, vel specie requisitas, ut homo, &c. Rur-

[1] *l. de 1. princ. c. 3. n. 11.* [2] *de rer. princ. q. 10. n. 23.* [3] *Jo. 1.* [4] *Gen. 1.* [5] *Retract. c. 3.*

Rursùs hæc perfectio est *substantialis*, quæ constituit rem perfectam in suo esse substantiali, seu essentiali, ut homo constans corpore, & anima, & singulis partibus, & membris ad ejus perfectionem essentialem, & integralem requisitis, vel *accidentalis*, quæ consistit in qualitatibus accidentalibus, ut in homine Doctrina, proceritas, pulchritudo, agilitas, &c.

Quæritur ergo an mundus sit absolutè perfectus, an potuerit fieri perfectior?

Ad decisionem hujus quæstionis præmitti solet ab auctoribus alia, an sc. *Deus necessariò faciat semper, quod est optimum*. Qui enim affirmativam teneret, non posset dubitare, quin mundum fecerit Deus non solùm perfectum, sed perfectissimum, adeò ut non potuerit, nec possit facere perfectiorem: ego verò suppono negativam partem tamquam verissimam: examen ejus remittens ad Theologos in tract. de voluntate Dei.

CONCLUSIO I.

Mundus à Deo factus est perfectus, potuit tamen esse perfectior. Est communis.

Prob. 1. p. ex Scriptura. [1] *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona ... Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum*, &c. ergo ex Scriptura nulla perfectio debita deest mundo intra suum genus, & ita est de omnibus operibus ejus: [2] *Dei* enim *perfecta sunt opera*.

Prob. 2. ex Scoto, [3] & ratione. *Ordo consistens in perfectione est certa lex, vel regula rerum sic se habentium ad invicem, secundum majus, & minus in perfectione, & sic ordinantur species, vel substantiæ universi: ita quòd primò est una perfectissima, deindè subsequitur alia perfectior, & sic subordinatè .... & secundum hoc ponitur alia conclusio: quòd universum, & omnia corpora universi sunt debitè ordinata .... Prob. Quia totum universum ordinatur secundum quamdam proportionem harmonicam*, &c. ergò mundus est in suo genere perfectus, non solùm in suis partibus, quarum singulæ habent omnes perfectiones substantiales sibi debitas, sed etiam in toto, quia illa per-

[1] *Genes. c. 1. & 2.* [2] *Deuter. 2.* [3] *1. met. q. 2. a. 2.*

perfectio totalis, seu totius consistit in perfecta illa coordinatione, & dispositione.

Prob. 2. pars 1. ex eodem. Nam circa quæstionem Magistri quærētis, an Deus potuerit fecisse res meliùs, quàm fecit: *quæro istam*, inquit Scotus, [1] *utrum Deus possit facere aliter res, quàm ab ipso ordinatum est fieri*, & sic resolvit. [2] *Dico, quòd Deus non solùm potest agere aliter, quàm ordinatum est ordine particulari, sed etiam aliter, quam ordinatum est ordine universali, &c, si faceret alio modo res, quàm ordinatum est eas fieri, non propter hoc inordinatè fierent, quia, si alias leges statueret, secundū quas fierēt, eo ipso ordinatè fierent.* Sic ergo docet, non solùm alios mūdos possibiles distinctos ab isto, sed etiam ordinatos fore per alias leges contrarias illis, quæ pro isto positæ sunt.

Prob. 2. Quia Deus non necessitatur ad optimum, ut suppono ex Theologia, ergo, sicut posset facere creaturas perfectiores in infinitum illis omnibus, quæ de facto existunt, ita & mundos perfectiores.

Prob. denique. Quia in hoc nulla potest afferri implicantia, ut patebit solutione objectionum.

Objicies 1. contra 1. par. Si mundus esset perfectus, & rectè ordinatus, non nascerentur in eo tot monstra: quia hæc sunt defectus naturæ: sed hæc quotidie accidunt, ergo non est perfectus.

Resp. cum Scoto [3] neg. seq. maj. *Sicut in consonantia musicali intercipitur aliquandò aliqualis dissonantia, propter quam tota melodia est pulchrior, ita universum est pulchrius in eo, quòd monstra causantur, comparando illa ad alias partes universi.* Potest enim dici, quòd homo, & cætera entia creata non desinunt esse perfecta in sua specie, licèt in particulari sæpè aberrent à scopo, & denique id permittit divina providentia ob fines sibi cognitos.

Objic. 2. contra 2. par. ex SS. Patribus, maximè ex S. Aug. [4] *justitia Dei factum est, ut non modò sint omnia, sed etiam sic sint, ut meliùs esse non possint*, ergo mundus perfectior esse non potuit, nec potest, quia ex hac, & similibus Patrum sententiis, Deus facit semper, quod est optimum.

Respondeo neg. conf. & rationem ejus. Nam, licèt ex

[1] 1. *d.* 44. *E. n.* 5. [2] *ibid. F. n.* 6. [3] 1. *meteor. q.* 2. *a.* 2.
[4] *De quant. ant. c.* 33.

ex lege posita mundus sit optimus, & Deus faciat semper, quod est optimum, non ideò sequitur, id esse necessarium de lege possibili, & de potentia absoluta. Sensus ergo Patrum est, quòd, quæ Deus facit, semper optima sunt quæque in suo genere, & in ordine ad finem à se de facto intentum, & perfectissimo modo quatenùs sc. nullam omittit perfectionem, quam illa exigunt in sua specie.

Inst. De mundo discurri potest, sicut idem S. Doctor[1] arguit de Christo, ut ostendat non potuisse fieri meliorem. *Si Deus pater meliorem Filium potuisset gignere, & non genuisset, esset invidus, si voluisset, & non potuisset, esset infirmus*, ergo similiter de mundo, si non fecisset optimum.

Resp. neg. conseq. Quidquid sit de ant. Quia generatio Filii in Deo est necessaria, creatio mundi est illi libera.

Objic. 3. Omnes creaturæ possibiles habent ordinem superiorem, vel inferiorem cum iis, quæ de facto sunt, ergo faciunt cum illis unum ordinem, ergo & unum mundum, ergo non est possibilis perfectior mundus, quia semper esset idem mundus.

Respondeo neg. utramque conseq. 1. quidem, quia, si perfectiores creaturæ sunt possibiles in mundo, ergo hic mundus posset esse perfectior. 2. quia sicut sunt possibiles perfectiores creaturæ in infinitum, ita & novæ classes earum extra istam, & sicut illæ creaturæ possibiles sunt perfectiores istis, ita & illæ classes.

QUÆSTIO III.

Proponuntur aliquot dubia circa mundi inceptionem, & desitionem.

De mundi creatione, inceptione, & desitione redibit sermo in Theologia, ubi de opere sex dierum, ideò plura præter ea, quæ hic tractari possent, sed per tempus non licet, breviter curiosiora perstringam, v. g. qua parte anni creatus fuerit mundus, an per sex dies, an verò in instanti, vel saltem brevissimo tempore? quamdiu duraverit usque huc? an sit aliquando destruendus, an æternùm duraturus? &c.

[1] *L. 83. qq. q. 30.*

CONCLUSIO I.

MUndus creatus est in æquinoctio verno, est communior.

Prob. breviter 1. ex Scriptura, [1] *germinet terra herbam virentem*, &c. &, *posuit ibi hominem, ut operaretur*, &c. sc. ut coleret ad fructificandum, &c. ergo eo tempore creata est terra, quo incipit germinare herbam, nam si in autumno, vel media æstate creata esset, apparuisset cum herbis, plantis, &c.

Prob. 2. ex Concil. Palæstino, ubi determinatum dicitur, *factum fuisse mundum die 25. Martii*, in qua Christus incarnatus est, & mortuus, ut cantat Ecclesia: *primo dierum omnium, quo mundus extat conditus*, &c.

Prob. 3. quia vernum tempus comparatur juventuti, & autumnus senectuti, ergo illud aptius est ad nascentis mundi ætatem.

Objic. constat ex Scriptura, quod fructus tunc erant maturi, ergo signum est creatum fuisse in fine æstatis, seu in autumno.

Respondeo neg. conseq. quia potuerunt fructus nasci, & maturari pro prima illa vice supernaturaliter ad hominum sustentationem, præterquam quod etiam in vere potuerunt aliqui fructus esse naturaliter maturi.

Objic. 2. ante legem initium anni sumebatur à novilunio ante æquinoctium autumnale, ergo signum est tunc incepisse mundum.

Resp. neg. conseq. Imo contrarium deducitur ex eo, quod Moses [2] per legem annum jusserit inchoare ab æquinoctio verno, & ita censent multi SS. PP.

CONCLUSIO II.

MUndus non fuit totus conditus in instanti, nec simul, sed successivè spatio sex dierum.

Prob. ex Scriptura sic narrante historicè: in Historicis enim semper attenditur sensus litteralis, quantum potest, nec recurritur ad metaphoricum absque necessitate, sed hic nulla est talis necessitas, ergo, &c.

Con-

[1] *Gen. 1.* [2] *Exodi 12.*

Confir. Quia si omnia fuissent creata simul, & in eodem instanti, terra numquam fuisset *inanis, & vacua*, [1] nec aquæ inundantes eam, &c. ergo, &c.

Objic.1. [2] *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*, & de diabolo dicitur, quòd simul creatus est cum homine, quamvis iste dicatur factus ultimo die, & ille primo. [3] *Ecce Behemot, quem feci tecum.* Quod etiam legitur in Concilio Lateran. ergo, &c.

Respondeo, illam simultatem non sumi ibi Mathematicè, sed moraliter, id est brevi tempore, & absque interpolatione dierum.

Inst. Sequeretur, ea, quæ posteriùs facta sunt, non fuisse creata, sed hoc videtur contra Scripturæ textum, ergo, &c. Prob. maj. Posteriora enim non essent facta ex nihilo, ergo.

Respondeo neg. min. Nec enim dicit de singulis, quòd creata sint rigorosa creatione, id solùm dicitur de cœlo, & terra: & de homine, & fœmina dicitur, *masculum, & fœminam creavit eos*, quamvis certum sit, hominem ex limo formatum fuisse, & fœminam ex costa hominis.

CONCLUSIO III.

Probabile est, mundum creatum fuisse, & durasse ante annos circiter 6903.

Prob. ex supputatione Ecclesiastica, ut legitur in Martyrologio Romano computante ante Incarnationem 5199. & ab Incarnatione currit annus 1705. quamvis non desint alii Cronologistæ aliter computantes. Sed de his viderint.

CONCLUSIO IV.

Mundus quoad substantiam durabit æternùm, licèt quoad accidentalia sit immutandus.

Prob. 1. p. 1. ex Script. [4] *Ipse dixit, & facta sunt .... statuit ea in æternum*, &c. & [5] *terra in æternum stat .... omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum*, ergo, &c.

Prob. 2. Quia infernus durabit in æternum, & est in centro terræ, ergo & ipsa terra durabit. Præterea.

A 6 Ipsi

[1] *Gen.* 1. [2] *Eccli.* 28. [3] *Job.* 40. [4] *psal.* 148. [5] *Eccles.* 1. & 3.

Ipsi cœli de se sunt aliquo modo incorruptibiles, ergo de se exigunt perpetuam conservationem.

Prob. 2. pars ex eadem Scriptura, [1] in qua mundus dicitur igne purgandus, & re vera cessabunt generationes, & corruptiones, &c. quod supponit Doctor. [2]

Objicies 1. Scriptura dicit, quòd Deus creabit cęlum novum, & terram novam. [3] *Ego creo cælos novos, & terram novam, & stellæ cadent de cælo, Sol obscurabitur*, &c. denique, [4] *cælum, & terra transibunt*, &c. ergo cęlum, & terra, & mundus totaliter destruentur.

Respondeo neg. conseq. Hæc enim, & similia intelligenda sunt de mutatione, & renovatione accidentali, aut morali, non de physica, & substantiali totali, sed hæc ad Theologos, sicut & reliqua, quæ de hac materia possent inquiri.

DISPUTATIO II.

De corpore cælesti.

Corpora cœlestia sunt nobiliores, sicut & superiores partes mundi sensibilis, ideò ab istis incipimus tractatus de partibus singulis, seu de corporibus physicis.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit cælum.

COELI nomen deducunt aliqui à verbo cęlo, quod significat sculpere, quia suis astris quasi sculptum, ornatumque conspicitur, alii à cœlo, quia cooperit, & abscondit ab oculis nostris, quæ continet, ut ut sit de Ethymologia vocis, nomine cęlorum intelligimus, cum Scoto [5] post Damascenum, *continentiam visibilium, & invisibilium creaturarum*, visibilium quidem, quas continent sub se, invisibilium verò, scilicet Angelorum, & Beatorum, quos continent intra se. In Scripturis autem *cæli* nomen sæpè significat aeris regionem, hinc [6] *volucres cæli* dicuntur, qui [7] *operit cælum nubibus*, aliquandò regnum cęlorum præ-

[1] 2. Petri 3. [2] 4. d. 47. q. 2. A. [3] Apoc. 21. [4] Matth. 24. [5] 2. d. 2. q. 9. B. n. 3. [6] Ps. 8. [7] Ps. 46.

præsentis temporis Ecclesia dicitur, aliquandò sedes Beatorum, sed hìc loquimur de *cælis*, prout significant illos orbes, seu corpora, quæ moventur supra regionem Lunæ, sicut *mundum* dicimus illa, quæ sunt sub eadem regione, ideòque sublunaria dicuntur, & *mundus sublunaris*.

Porrò existentiam cęlorum nullus aut negare, aut ignorare potest, nec est, quod in ea statuenda teramus tempus. Quærendum restat hìc 1. an cęlum sit aliquod ex quatuor elementis, aut ex illis coalescens; an quinta aliqua esentia. Quidam enim antiqui dixerunt, esse idem cum igne, alii cum aqua, vel aere.

CONLLUSIO.

COElum est substantia distincta ab elementis, estque quinta substantia.

Prob.1.ex Scoto cit. concludente, & probante, quòd *præter quatuor corpora simplicia, quæ dicuntur elementa generabilium, & corruptibilium, necesse est corpus quintum, sc. corpus cæleste*. Prob. concl. Quia motus circularis est quidam motus simplex, qui non pertinet ad ullum ex quatuor elementis, ergo & cęlum est corpus ab illis distinctum. Prob. conseq. Quodlibet ex illis quatuor habet motum unum simplicem sibi connaturalem, quia unius solius corporis simplicis est unus solus motus secundum naturam, sed motus nullus illorum habet motum circularem, ut cęlum, ergo cœlum est corpus ab illis distinctum. Prob.min. Omnia elementa sunt vel gravia, & moventur ad medium, seu deorsùm, vel levia, & moventur à medio, seu sursùm, cœlum verò non est nec grave, nec leve, & ideò movetur circa medium, seu *circulariter*.

Objic.1. Aliqua pars cęli est de natura ignis, ergo & totum. Cons. patet. Nam in simplicibus totum, & partes sunt ejusdem naturæ. Prob.ant. *Galaxia*, seu *via lactea*, & cometes sunt partes cœli, sed illa sunt ignea, ergo partes aliquæ cęli sunt de natura ignis.

Resp. neg. ant. & min. prob. quoad Galaxiam, & maj. quoad cometas, ut infra videbimus, nec cometæ sunt partes cœli.

Objic.

Objic. 2. Illa sunt ejusdem naturæ, quorum idem est motus; sed motus ignis, & cęli sunt iidem, uterque enim movetur circulariter.

Resp. neg. min. & dist. prob. ejus. Movetur circulariter, per accidens, & ab extrinseco, conc. ant. ex se, & natura sua, neg. ant. ex se est corpus leve, & movetur sursùm, per accidens movetur circulariter cum cęlo.

Objic. 3. Quæ habent materiam similem, sunt ejusdem naturæ, sed elementorum, & cœlorum materia est eadem, ergo & natura.

Resp. neg. maj. Natura petitur à forma, non à materia.

CONCLUSIO II.

COElum sufficienter describitur corpus simplex incorruptibile, quintæ speciei, aptum moveri circulariter.

Prob. Quia explicat naturam cœli per verum genus, & veram differentiam. Dicitur 1. *corpus*, quod ponitur loco generis. 2. *simplex*, non quòd excludat compositionem ex materia, & forma, sed compositionem mixtionis ex elementis. 3. *incorruptibile*, quia non potest ab ullo agente creato destrui, nec subjacet contrarietati qualitatum elementarium, sicut corpora sublunaria mixta. 4. *aptum moveri circulariter*, ut distinguatur à quatuor elementis, quæ moventur motu recto, vel ad medium, vel à medio, id est, vel deorsùm, vel sursùm, ob gravitatem, vel levitatem, cœlum enim nec gravitat, nec levitat.

Objic. Sol est calidus, ut ignis, & Luna frigida, & humida, ut aqua, ergo corpora cœlestia habent qualitates elementares. Ant. prob. experientia.

Resp. dist. ant. Sol est calidus, & Luna frigida virtualiter, conc. ant. formaliter, neg. ant. Causant illius qualitates, sed non habent illas; cætera magis patebunt ex dicendis de singulis illis qualitatibus cęli

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An cœlum sit compositum ex materia, & forma: an ex materia ejusdem speciei cum nostra: an ex forma viventis.

SCotus [1] quæstionem resolvit Philosophicè, & Theologicè. Secundum Philosophos, dicit illud esse incompositum ex materia, & forma, quia putant illud esse sempiternũ natura sua, & incorruptibile, & expers qualitatum Elementarium. Alii putant illud esse animatum, & id adeò constanter asserebant veteres, ut id negare impium censeretur. Unde fertur Anaxagoras impietatis crimine damnatus, quia Solem dicebat inanimem.

CONCLUSIO I

COelum est corpus constans materia, & forma substantiali.

Prob. 1. ex Scoto. [2] Secundum Theologos *ponenda est materia ibi, quia illud chaos, quod ponitur ab eis attigisse usque ad cœlum Empyreum, erat materia omnium corporalium contentorum à cœlo Empyreo*, &c. Unde legitur, quòd ex illa materia factum est firmamentum. [3] *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*: nam ly, *fiat*, significat generationem cœli ex materia, ergo &c. *cœlum est quidem eorum, quæ ex materia sunt*, [4] inquit Arist.

Prob. 2. Quia cœlum est corpus naturale, & ex communi sententia spectat ad considerationem Physicam, ergo constat materia, & forma: in hoc enim consistit naturalitas.

Prob. 3. Quia in cœlo cernuntur accidentia Physica, quæ solent sequi materiam: nempe *quantitas, raritas, densitas, lumen*, &c. ergo & materia.

Quòd autem constet etiam forma patet. Non enim habet materiam nudam, nec materia potest naturaliter existere sine forma, ut probatum est in Physica, ergo, &c.

Confir.

[1] *2.d.14.q.1.A.n.2.* [2] *ibid.C.n.4.* [3] *Gen.1.*
[4] *1.De cœlo c.5.t.95.*

Confir. Nam cęlum est substantia completa, ergo constat materia, & forma substantiali.

Dices, illum esse substantiam simplicem completam in esse materiali, sicut in esse spiritali Angeli sunt substantiæ completæ.

Contra. Non debet argui ab ordine superiori, & perfectiori ad inferiorem, & imperfectiorem, ergo, licèt detur in ordine spirituali, qui est superior, & perfectior substantiæ simplicis completæ, non debet id asseri de rebus corporeis.

Objic.1. Aristotelem negantem materiam in incorruptibilibus, & æternis: sed cęlum est incorruptibile, & æternum ex Arist. ergo & expers materiæ.

Resp. nos hìc parùm curare Aristotelem, quia ponimus conclusionem ex mente communi Theologorum, & Philosophorum Christianorum, licèt plures putent eum re vera stare pro nobis.

Objic. 2. Cęli sunt incorruptibiles, ergo expertes compositionis cum materia. Prob.conf. Simplicia sunt magis incorruptibilia, quàm composita, ergo, &c. Prob. ant. Simplicia, ut Angeli, sunt tantùm corruptibilia per cessationem concursus conservativi, composita verò etiam per separationem formæ à materia.

Resp. dist. ant. Incorruptibiles defectu agentis naturalis contrarii, & quia formę illorum non habent contrarium, inquit Scotus, con. ant. natura sua, neg. ant. de quo infrà.

Objic.3. Nõ implicat substãtia materialis expers cõpositionis ex materia, & forma, ergo id dicendum de cęlo, quia sic magis probatur eorum incorruptibilitas.

Respondeo, quidquid sit de antecedente, neg. conseq. Nec enim admittendum est, de facto existere, quidquid non implicat, & maximè cùm habentur rationes id non admittendi.

CONCLUSIO II.

M*ateria Cœli est ejusdem speciei cum materia sublunarium*. Est Doctoris [1] cit. contra Thomistas. *Etiam*, inquit *ponetur materia secundũ se, & quantũ est ex se, ejusdem rationis in quocumque*, & id probavimus in Physica, nec placet hìc repetere probationes.

CON-

[1] *Disp.3.q.5.*

CONCLUSIO III.

C*OElum non informatur forma viventis, seu non est animatum*. Est Communis.

Prob.1. ex Scoto. [1] Quantum ad animationem, inquit, *videtur esse dubium, quia Augustinus loquitur dubitativè, nec id certum video, utrum ad civitatem supernam pertineant sol, luna, & sydera, quamvis nonnullis corpora lucentia, non tamen intelligentia videantur.... Sed Damascenus asseruit cælos non esse animatos. Ratio ad hoc ponitur, quia anima illa frustra uniretur tali corpori, ex quo non habet sensum, nec per consequens aliquam perfectionem ex corpore acquirit.*

Prob.2. ex SS. PP. Damasc. [2] Cyrillo, Ambrosio, & aliis, ex quibus D. Bonaventura colligit opinionem de animatione cœlorum esse erroneam, & D. Hieron. illam reponit inter errores Origenis, & Epiphanius, & Irenæus inter errores Mareusiorum, & refertur canon ex 6. Synodo. *Si quis dicit; Cælum, solem, Lunam, stellas, & aquas, quæ super cælos sunt, animantes quasdam esse, ac materiales virtutes, anathema sit*, quamvis S. Thomas dicat hanc quæstionem nihil pertinere ad fidem directè, & per se.

Prob.3. Cęli essēt animati anima vel vegetativa, vel sensitiva, vel intellectuali; sed nulla istorum potest asseri, ergo nō sunt animati. Prob.min.1. Quia nulla apparet experientia, vel indicium talium animarum, nec enim nutriuntur, nec sentiunt, nec intelligunt, ergo non est dicendum, quòd sint animati ulla ex illis animabus.

*Confir.*1.de vegetativa. Nā ex Arist.[3] quod eget alimento, non potest esse perpetuum, quia debet alterare alimentum, ut in se convertat, & sic ab illo pasci, & nutritio instituitur à natura ad augmentandum vivens, aut restaurandas partes, quæ deperduntur, sed hæc sunt falsa de cęlis, quia sunt incorruptibiles, ergo &c. Hinc ridendi illi Antiquiores, qui somniarunt cœlos per pluvias mingere, & per grandines, & nives, & similia meteora ventrem exonerare.

Con-

[1] *ibid.D.n.5.* [2] *2.de fide, &c.*
[3] *2.metaph.t.3.*

Confir. 2. *de sensitiva*. Tùm quia hæc supponit vegetativam, quam probavimus non adesse, tùm quia supponit corpus organicum, de quo nulla est apparentia. 3. quia in cœlis non sunt qualitates elementares formaliter, ut calor, humiditas, &c. ergo nec vita sensitiva.

Confir. 3. de Intellectiva. Si desunt duæ priores, à fortiori ista, quæ est nobilissima, & quæ illas supponit, aut continet virtualiter. Unde, si esset ejusdem naturæ cum nostra, informaret corpus organicum, mixtum, fragile, nutritionis, & corruptionis capax, quales non sunt cœli. Prætereà essent liberi, sicut homines, capaces gratiæ, virtutis, meriti, & demeriti, ac digni præmii, aut pœnæ, gloriæ, aut damnationis, sed hoc tribuere Cœlis esset temerarium, & erroneum, ergo, &c.

Confir. hoc ex Patribus, [1] & conc. Later. Non dantur aliæ naturæ intellectuales creatæ præter humanam, & Angelicam, sed neutra potest asseri de cœlis, ergo &c.

Objic. Scriptura tribuit cœlis operationes vitales, & intellectuales: *cœli enarrant gloriam Dei*. [2] *Qui fecit cœlos in intellectu*. Laudant Deum. [3] *Laudate eum sol, & luna*. [4] *Cũ me laudarent astra matutina..* [5] *audite cœli, quæ loquor*, &c. ergo cœli sunt animati.

Resp. neg. conseq. Nam sensus horum, & similium locorum sunt Metaphorici: *Cœli enarrant gloriam Dei*; sicut terra, & mortua elementa, sc. manifestant Dei potentiam, sapientiam, & sic laudant Deum, efficientes, ut laudetur. *Cœli* sumuntur etiam pro habitatoribus suis, ut terra pro suis, ut cùm dicitur *omnis terra adoret te*, &c. Unde Moses tàm invitat terram, quàm cœlum, ut audiat; *audiat terra verba oris mei*.

Objic. 2. Cœli sunt corpora nobiliora nostris, ergo nobiliori forma debent informari, qualis est anima. Ant. prob. Sunt priora, simpliciora, & influunt, ac præsunt nobis; præsunt generationibus, regunt, & movent mundum, ergo &c.

Resp. neg. ant. quoad corpora humana, & conf. prob. Nam nobilitas non sumitur præcisè à simplicitate, puritate,

[1] *cap. si inter. de SS. Trin.* [2] *Psalm.* 18.
[3] *Psalm.* 135. [4] *Job* 1. 38. [5] *Deuter.* 32.

ritate,& activitate,sed ab organizatione,& à forma vitali, & nos tàm præsunt, aut regunt, quàm serviunt quia propter nos sunt, & moventur, & agunt.

Objic. 3. Cœli moventur [1] etiam naturaliter, ergo sunt animati, nam anima est principium movendi. Ant. patet ex Arist. & dicitur *primum mobile*, & movetur in proprio loco, quod est proprium animatorum, ergo &c.

Respondeo dist.ant. & rationes ejus. Movetur naturaliter ab extrinseco, conc. ant. ab intrinseco, neg. ant. Nam movetur ab intelligentia, quæ est forma assistens, non verò informans.

Inst. Intelligentia non potest movere cœlum immediatè, ergo mediante aliqua anima. Prob. ant. Quod alteri unitur actione, debet cum illo convenire in aliquo genere univoco; v. g. in materia; sic enim hæc inferiora sibi communicant; sed hoc est impossibile inter cœlum, & Angelum, nisi mediet anima informans illud, ergo &c.

Resp.neg.ant. & dist.maj. prob. Quod alteri unitur actione aliqua reciproca, conc. maj. actione non mutua, neg. maj. Hæc inferiora agunt, & patiuntur à se invicem actione, & passione mutua, ideò communicant in aliquo genere, sed Angelus nihil patitur à cœlo, quod movet.

QUÆSTIO III.

De Perfectione, & incorruptibilitate Cælorum.

NOn dubitatur, quin cœli sint in suo genere, & in se perfectissimi, sed examinatur eorum perfectio comparativè ad alia corpora universi.

Corruptibilitas autem alia est ab intrinseco, alia ab extrinseco, & similiter incorruptibilitas illa venit ab intrinseco, quæ ex propriis principiis, & ex natura rerum venit, illa verò ab extrinseco, quæ tota dependet à causis externis contra naturam, & exigentiam rei, sic ea, quæ constant natura, seu materia, & forma, sunt naturaliter, & ab intrinseco corruptibilia, quia natura, ut diximus, est principium motus, & quietis, quæ verò sunt immaterialia, & carent

[1] *2.de cœlo.t.3.& 8.phys.t.34.*

rent natura, in hoc sensu sunt ab intrinseco incorruptibilia, licèt possint destrui per annihilationem.

CONCLUSIO I.

COEli *sunt in se perfectiores quolibet corpore sublunari inanimato; sunt autem ignobiliores quolibet vivente*. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia *multa viventia sunt perfectiora forma cæli*, & ideò negat illud esse principium generationis viventium, & addit *de quocumque vivo genito per putrefactionem, quod est nobilius cælo, à quo generatur*: nihil clariùs dici potest; Quantum ad primam partem docet corpus cœleste adeò perfectum esse, quòd, *si cæli non sunt animati, hoc est creditum*, sc. ex fide, & auctoritate Patrum, & Theologorum, [2] *non ratione conclusum*, (nota rationem) *quia nulla est contradictio in corpore illo ita perfecto manifestè apparens repugnare animationi corporis*, ergo ex inanimatis nullum est nobilius.

Prob. 2. 1. pars. Nam perfectio, & nobilitas corporum, & formæ petitur ex nobilitate operationum, qualitatum, figuræ, situs, &c. Sed in his omnibus corpora cœlestia præcellunt sublunaria omnia, ergo &c. Prob. min. Nam cœlum influit in hæc omnia inferiora, influit in generationes, fovet, movet, conservat, regit, illuminat, calefacit, &c. est luminosum, sphericum, diaphanum, elevatum, incorruptibile, &c. ut dicetur.

Prob. 2. p. Ens creatum eò perfectius est, quò propinquius, & similius Deo secundum nobiliorem formalitatem, & attributum, sed formalitas, seu attributum vitæ, secundum quod viventia assimilantur Deo, est nobilissimum, ergo viventia omnia, ut talia, præcellunt corporibus cœlestibus.

Confir. ex S. August. relato à Scoto. [3] *Quoniam rebus creatis Creatorem suum sine dubitatione præponimus, oportet eum & summè vivere, & cuncta sentire, & intelligere*, ergo vita est summus gradus perfectionis entis, & summa vita est summa Dei perfectio. Subdit autem, quòd *viventia non viventibus*; *sensu*

[1] *2.d.18.q.2.1.n.14.& 4.d.12.q.3.F.* [2] *2.d.14.q.1.fin.*
[3] *1.d.8.q.3.D.n.9.*

sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus.... præferenda judicamus, ergo ex Aug. & Scoto, per gradum vitæ corpora viventia sublunaria præcellunt cœlestia, & id sine controversia verum est de homine.

Objic. 1. varias auctoritates Philosophi, quibus respicit Cœlum, velut finem omnium, illud vocat Deum immortalem vitam ducere, &c. ergo cęlum præstat etiam homini, & à fortiori cæteris viventibus inferioribus.

Resp. neg. conseq. Nam Arist. loquitur de cœlo secundum alias qualitates, excepto gradu vitæ, v. g. secundum puritatem substantiæ, simplicitatem suam, incorruptibilitatem, &c. Et hæc non negamus, sed gradus vitæ his omnibus simpliciter præstat.

Objic. 2. Causa est nobilior effectu, sed cœlum influit in hæc omnia sublunaria, etiam in hominis generationem, ergo, &c. Prob. min. (nam maj. constat ex dictis in Physica) *sed Sol, & homo generant hominem*, & maximè animalia ex putri genita, ut muscæ, Ranæ, Vermes, &c. quæ alium non habent genitorem, quàm solem, ergo &c.

Resp. dist. maj. Causa principalis effectiva, & univoca, conc. maj. & neg. min. Sol enim non est talis causa respectu hominis, aut viventium, etiam imperfectorum, causa æquivoca, instrumentalis, aut dispositiva, & minùs principalis, neg. maj. ut ibidem diximus, Sol est causa dispositiva instrumentalis, & æquivoca generationum sublunarium.

CONCLUSIO II.

COElum est incorruptibile de facto, & ab extrinseco, non ab intrinseco, nec de possibili, etiam naturaliter. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Cœlum, ex *Philosopho, est necessarium, & incorruptibile, quia, licet inesset illi potentia ad contrarium* (sc. materia) *quia tamen forma cęli non habet contrarium potens vincere illam formam, ideò non potest corrumpi ab agente naturali*, &c. ergo, ex Scoto, cœlum de se, sicut est compositum ex materia, quæ de se est in potentia ad formas contra-

[1] *2. d. 1 4. q. 1. D. n. 4. & Report. ibid.*

triarias, ita est corruptibile, sed, quòd non corrumpatur, aut non possit corrumpi, venit ex defectu agentis extrinseci, quod non habet vim supra formam ejus.

Prob. 2. Quia cœlum est generabile, ergo & corruptibile ab intrinseco. Conseq. est receptissima. Prob. ant. Quod est producibile ex præexistente materia, est saltem natura generabile, sed tale est cœlum, ergo &c. Prob. min. ex dictis, & ex S. Aug. [1] *fecit Deus mundum ex materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primò cœlum, & terra, non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat, nam & cœlum scribitur postea factum*, &c. ergo ex Aug. & Scoto, cęlum, saltem quòd dicitur firmamentum & astra facta sunt ex materia informi, quā Deus primò creavit.

Prob. 3. de incorruptibilitate. Nam ut declarat Scotus, [2] quia cœlum *non est corruptibile, non potest à tota natura creata*, sed *à solo Deo corrumpi de potentia ordinaria Dei.* Istum intellectum incorruptibilitatis cœli ponit Damascenus dicens, quòd *cęlum conservatur Deo volente, elongatur enim à quolibet contrario, & naturæ non potest in ipsum agere, & istæ sunt duæ causæ, quare est incorruptibile*, ergo cęlum est incorruptibile ab extrinseco.

Objic. 1. contra 2. par. quasdam auctoritates Scripturæ, & patrum, & Arist. quibus afferi videtur absoluta incorruptibilitas cœli, sed ad hæc responsum est suprà, ubi diximus, mundum de facto duraturum ex Dei voluntate, nam testimonia illa omnia debent intelligi de incorruptibilitate actuali ex præsenti dispositione divina, & ab extrinseco, ut mox dicebamus ex Scoto, & D. Damasceno.

Objic. 2. contra 1. par. quasdam experientias ex Historiis collectas, quibus probari videtur actualis corruptibilitas corporum cœlestium, v. g. 1. ex D. August. [3] stella Veneris olim mutasse dicitur colorem, magnitudinem, figuram, & cursum. 2. Arist. dicit unam ex stellis, quæ sunt in femore canis, apparuisse comatam, 3. *Spica Virginis*, quæ olim inter maximas cernebatur, nunc inter minores videtur. 4. circa an. 1572. nova orta est in signo Cassiopeę, & tantæ magnitudinis, ut æquarit Venerem, sed paulatim decrescens post bien-

[1] *De genesi ad lit. C.* 11. *de Gen. cont. Manich.*
[2] *Report. ibid.* [3] 21. *de civit. c.* 8.

biennium evanuit. 5. an. 1596 & 1600. alia apparuit in pectore Lygni, & an. 1604. in pede serpentarii sub pede sagittarii, & an. 1602. in Pisce, & quotidie apparent cometæ, quos in cœlis existere asserunt Mathematici insignes, sed hæc omnia probant actuales mutationes, generationes, & corruptiones in corporibus cœlestibus, ergo de facto illa sunt corruptibilia.

Respondent aliqui, apparitiones illas fuisse miraculosas, sicut statio solis tempore Josue, retrogressio ejusdem tempore Ezechiæ; Eclipsis in morte Christi D.&c. Sed non est recurrendum ad miracula absque necessitate; Philosophi debent examinare res per rationem, Theologi per fidem, dimissis ergo aliis respōsionibus,

Resp 1. illas mutationes circa stellas accidisse, & accidere ob interpositionem vaporum, & exhalationum, qua interpositione fit, ut majores, aut minores, & taliter coloratæ appareant. 2. quòd circa motum Veneris decipi potuerunt antiquiores, putantes illam moveri circa terram, cùm jam constet illam moveri circa solem. Aut certè recurrendum hìc esset ad miraculum, 3. Si veræ sunt Historiæ de illis stellis, tutius est recurrere ad Deum vel producentem, vel discooperientem illas, cùm laterent. 4. de cometis videbimus, unde fiant; pro nunc sufficit dicere illos esse sub cœlo, ut omnia meteora; unde Scotus concludit, quòd *cometa non est de natura cęli*. [1]

Objic. 3. Cęlum est finitæ virtutis, ergo non petit durare in infinitum. Prob. conseq. Virtus entis eo major est, quo petit diutiùs durare, ergo quod petit durare in infinitum, est virtutis infinitæ: ergo vel cęlum est virtutis infinitæ, vel est corruptibile etiam de facto.

Resp. dist. conseq. & ant. prob. Quod petit durare, exigentia positiva, & ab intrinseco, conc. conseq. exigentia negativa, & ab extrinseco, neg. conseq. & ant. probationis. Cęlum non petit positivè durationem, nec est ab intrinseco incorruptibile, sed negativè, & ab extrinseco, quatenùs in entibus de facto creatis nullum habet contrarium, quod possit agere in illud ad destructionem ejus. Sic est de anima rationali, & Angelis, à fortiori; non enim sunt virtutis infinitæ, & tamen sunt incorruptibiles, & immortales.

QUÆ-

[1] 1. *meteor. q. 17. n. 8.*

QUÆSTIO IV.

Num cœli sint solidi, an fluidi; diaphani ne, an opaci.

Corpus dicitur *solidum*, per quod alia non possunt transire sine penetratione, ut ferrum lapides, ligna, &c. *fluidum* verò, quod sine penetratione pertransitur, ut aer, & aqua, per hæc enim transeunt pisces, & aves sine penetratione, *opacum* dicitur, quod non terminat visum, nec admittit lumen, nisi in superficie, ut terra, lignum &c. *Diaphanum* autem, quod non terminat visum, nec impedit transmissionem luminis, sed illud admittit, nedùm in superficie, sed & in profunditate, ut vitrum, aer, aqua, &c.

CONCLUSIO I.

Probabilius est esse totaliter solidos. Est communior Scotistarum, & Thomistarum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Supponit enim, *quòd nulla stella habet proprium motum localem, id quod non movetur alio motu, quàm motu orbis, in quo locatur, &c.* ergo Scotus tenet cœlos esse totaliter solidos, alioqui stellæ moverentur in cœlo propriis motibus, ut volunt adversarii, non autem motu cœli, in quo sunt.

Probant aliqui ex Scriptura. [2] *Fiat firmamentum, &c.* sc. cœlum, *in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis:* nam, si esset fluidum, sicut ipsæ aquæ, non divideret eas, sed cum illis misceretur, sicut duo liquores.

Item Cœli dicuntur [3] *solidissimi, & quasi ære fusi*, item de Christo dicitur, quòd in ascensione sua penetravit cœlos, quod non posset propriè dici, nisi essent solidi, & certè, si hoc non est verum litteraliter, non habemus firmissimum argumentum ad probandum ex facto possibilitatem penetrationis. Scio quidem, hæc, & similia loca posse interpretari in sensu minùs litterali, sed, cùm nulla sit necessitas ea sic detorquendi, satius est ea intelligere litteraliter.

Con-

[1] 2.d.14.q.2.A.n.2. [2] Gen. 1.
[3] Job 37.18.

Confir. Quia communiter SS. PP. sic intelligunt Scripturam, & sic sentiunt de cęlis, ergo ab eis non est discedendum sine urgentissimis rationibus, quas non habent adversarii.

Prob. 2. Quia, si cęli essent fluidi, non posset assignari ratio regularitatis motus stellarum, sed hoc est inconveniens, ergo, &c. Prob. maj. Qui asserunt cęlos fluidos, dicunt singulas stellas moveri in cęlo propriis motibus per intelligentias, sed hoc dicendo non datur ratio regularitatis illorum motuum, ergo &c. Prob. min. Non potest dici, quomodò singuli Angeli in tanta distantia possint inter se concordare, ut semper uniformiter moveant suas stellas in ordine ad se, sive in ordine ad universum, ut notant interpretes Scoti, motus verò ita uniformis est, ut pluribus antè annis prævideatur ab astronomis, quomodò verò id posset fieri, si stellæ pro libitu suo, vel Angelorum suorum huc, illucque, sursùm, & deorsùm, rectè, & obliquè, aut circulariter, cęlo moto, ipsæ non moverentur, sed, sicut aves in aere, vel pisces in aqua, discurrere possent.

Confir. Quia ipsimet Angeli motores singularum stellarum tenerentur moveri, & percurrere orbes cum suis stellis; in nostra verò sententia de soliditate totali, immoti movebunt suos orbes, & sic stellas omnes singulas in suis locis, ergo opinio de fluiditate totali, aut partiali involvit inconvenientia, & absurditates.

Prob. 3. Omne fluidum est corruptibile; sed cęli, ex multis adversariis, & saltem de facto, & ab extrinseco, non sunt corruptibiles, ergo nec fluidi. Prob. maj. Nam omne fluidum est facilè divisibile, & per iteratas divisiones in partes minores, & minores, tandem corrumpitur.

Objic. 1. Corpora simplicia, quò sunt elevatiora, & nobiliora, eò sunt fluidiora, sed cęli sunt supra omnia simplicia, ergo & fluidiora sunt aqua, & aere.

Resp. neg. maj. ut patet in lapidibus, & metallis. Aurum, gemmæ, adamantes, Crystalli, &c. sunt puriora, & nobiliora, & solidiora.

Objicies 2. Corpus subtile non est solidum, sed fluidum, & pervium; Sed, ex Astrologis, cęlum est valdè subtile, ergo & fluidum.

Resp. neg. maj. absolutè de omni subtilitate. Nam corpora Beatorum, ut corpus Christi D. post resurrectionem sunt subtilia, & simul solida saltem in partibus densioribus. Juxta illud, [1] *palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet.*

Objic. 3. multas experientias astronomica. 1. Planetæ suis motibus retrogradis scindunt suas sphæras, & modò plus, modò minùs distant à terra: & in ipsis sphæris moventur; sed hoc non facerent, nisi sphæræ essent fluidæ, ergo, &c. 2. Cometæ geniti ex vaporibus ascendunt supra lunam, & alias stellas, ut observatum est per conspicilla, & alia instrumenta Mathematica. 3. Imo & ipsi planetæ, Venus, Mercurius, & Mars, & 4. stellæ, quas Joviales vocant, quia Jovem ambiunt, apparent modò supra, modò sub sole, ergo cęli sunt permeabiles, & fluidi. 4. Quia luna apparet inæqualis, & gibbosa, ergo Cęlum, per quod movetur, debet esse fluidum, alioqui non posset directè in eo moveri propter gibbositatem. 5. denique Maculæ, quæ deprehenduntur, & passim mutantur in sole, evenire non possunt, nisi ex corporibus, quæ ipsi opponuntur, & circa illum decurrunt, & hoc arguit cęlum esse fluidum.

Respondeo neg. conseq. Nam illæ omnes experientiæ aut fallaces sunt, aut id non probant. 1. Luna, & alii Planetæ sic moventur in suis orbiculis, & epicyclis distinctis, & discontinuis à suis sphæris, & inde fit major, aut minor altitudo, ut dicetur. 2. falsum est, cometas veros, & ex vaporibus naturaliter genitos eò ascendere, & in hoc decipiuntur Astronomi. Dico: *naturaliter genitos*; nam plures formantur divinitùs, tamquam eventuum extraordinariorum, & malorum imminentium præcursores. 3. falsum etiam est, lunam esse verè gibbosam, & si esset à parte inferiori, adhuc nihil sequeretur, quia illæ inæqualitates respiciunt, & moventur ex parte summæ Regionis aeris, qui est liquidus. 4. Astronomi, & Mathematici decipiuntur, ut facilè judicatur ex ipsorum dissidiis in iis ipsis judiciis; & id accidit, tum ex varietate instrumentorum, tùm ex varia dispositione inspicientium, tùm ex variatione mediorum, propter quæ in tanta distantia oculorum ab objectis mini-

[1] *Luc.* 24.

minima immutatio in aliquo ex prædictis maximos errores importat. Idem est de maculis Solis, qui oculos intuentium perstringit.

Objic. 4. aliquot auctoritates Scripturæ, & Patrum, ex quibus sequitur astra moveri, non autem cęlos, nam [1] Josue non prohibet cęlum moveri, sed solem. *Sol ne movearis contra Gabaon, & Luna contra vallem Aialon: stetit itaque sol, & non festinavit occumbere*.. & D. Chrysost. [2] *absit, ut cogitemus Deum affixisse astra cęlo*, & Origenes docet, *sydera propriis motibus agi, nec esse partes cęli*, ergo ruit fundamentum nostræ conclusionis ex Scoto.

Resp. neg. conseq. Nam quoad Scripturam, Josue loquitur ad solem, cujus solius luce indigebat, quamvis totum cęlum steterit, & si [3] Cornelio credimus, illa verba inserta sunt ex libro Justorum ab Esdra. Patres autem, licèt fuerint aliqui in hac sententia, plures fuerunt in alia,& dùm alii videntur eos vocare aqueos, id faciunt, quia putant cęlos ex aqua fuisse consolidatos. Alii dicunt etiam Scripturam, & Patres intelligendos, quòd sol, & astra moveantur in cęlis per quosdam canales aut vacuos, aut plenos liquoribus subtilissimis, sed de hoc infra.

CONCLUSIO II.

COEli sunt partim Diaphani partim opaci. Est communis.

Prob. 1. p. experientia. Nam videmus astra in cęlis superioribus existentia, ergo inferiores non sunt opaci; alioqui sisterent visum, & astra superiora non transmitterent ad nos lucem suam.

Prob. 2. p. eadem experientia. Nam corpus unius astri impedit, ne aliud, cui opponitur, transmittat ad nos lumen suum, ut accidit in Eclipsibus Solis per interpositionem corporis Lunæ, ergo illa corpora sunt opaca in aliqua sui parte, saltem in superiori.

[1] *Josue 20.* [2] *Hom.13. in genesim.* [3] *Cornel. ibi.*

QUÆSTIO V.

De structura, & numero corporum cœlestium.

QUæ hic dicturi sumus, lucem afferent & præcedentibus, & sequentibus; sed, quia potiùs spectant ad Astronomiam, quàm ad Philosophum, non disputando, sed simpliciter enarrando, & explicando transcurremus.

1. In cęlis sunt astra alia ab aliis distincta, quorum alia sunt *fixa*, quia inter se servant eandem distantiam, situm, & figuram, & in eodem cęlo collocantur. Alia *errantia*, seu *Planetæ*, quia non servant eandem distantiam, nec situm, nec figuram, nec inter se, nec cum *fixis*. Istæ sunt 1. *Saturnus*. 2. *Juppiter*. 3. *Mars*. 4. *Sol*. 5. *Venus*. 6. *Mercurius* & 7. *Luna*.

2. *Sphæræ* nomen significat corpus unica contentum superficie, in cujus medio punctum est, à quo omnes lineæ rectæ ad circumferentiam sunt æquales, *punctum* verò illud dicitur centrum; *Diameter* dicitur linea transiens ab una extremitate circumferentiæ per punctum ad aliam, dividitque sphæram in duas partes æquales. Si autem sit immobilis, quia sphæra volvitur circa illam, dicitur *Axis*, sumpta Metaphora ab *axi* Rotæ. *Puncta* verò duo terminantia *axim* dicuntur *Poli*, seu *cardines*, & *vertices* sphæræ, unde in qualibet *sphæra* sunt duo *poli*, circa quos vertitur sphæra, *polus* siquidem dicitur à verbo græco *poleo*, quod significat *verto*.

Mundus ergo cùm sit figuræ rotundæ, habet *sphæram*, & *centrum*, & *axim*, quæ transit per medium *centrum*, & est immobilis, sed circa illam volvitur orbis, habetque *polos* duos, qui sunt *puncta* duo terminativa *axis*.

Polorum unus dicitur *Articus* à signo quodam cęlesti, quod dicitur Græcè *Arctos*, Latine *Ursa* circa hunc polum sita. Dicitur etiam *polus Borealis*, & *Septentrionalis*, sive quia ventus *Borealis* inde nascitur, sive propter septem stellas circa illum existentes, & iste polus à nobis conspicitur. Alter dicitur Antarticus, quia ex Diametro opponitur *Artico*. Dicitur etiam *meridionalis*, vel australis propter ventum *australem*.

3. In

3. In superficie ultimi cęli plures circuli describuntur ab Astronomis, & præcipui sunt, *majores*, & *minores*, primi sunt illi, qui habent idem centrum cum sphæra, & eam dividunt in duas partes æquales, & isti sunt sex, *æquinoctialis*, *meridianus*, *Orizon*, *Zodiacus*, *Colurus solstitiorum*, & *colurus æquinoctiorum*, minores verò sunt, qui diversum habent centrum à sphæra, & eam dividunt in partes inæquales, & sunt. 4. *tropicus cancri*, seu *Æstivalis*; Tropicus *Capricorni*, sive *hyemalis*, *circulus articus*, *& circulus antarticus*.

4. *Æquinoctialis* est circulus major, æquè distans secundum omnem sui partem à polis mundi. Dicitur autem *æquinoctialis*, seu, *æquator noctis*, *& diei*, quia, quando Sol attingit hunc circulum, fit æquinoctium in universa terra saltem in locis à polis distantibus, quod contingit in principio *Arietis* 21. Martii, & principio libræ 24. Septembris.

5. *Meridianus* est ille circulus transiens per polos mundi, & per *Zenit* idest *punctum verticale*, seu quod directè signatur in cęlo super capita nostra, punctum verò illi diametraliter oppositum dicitur *nadir*, tamen respectu nostri, quia respectu Antipodarum nostrorum, illud nadir vocatur Zenit, & istud Zenit vocatur nadir. Hic ergo circulus dicitur meridianus, quia quando Sol est in nostro Zenit, est medius dies, & quando est in puncto nadir est media nox, è contra de Antipodis.

Geometricè autem loquendo non est omnium idem *meridianus*, nec *Zenit*, sed tot esse possunt respectu diversorum, quot puncta possunt percipi verticalia in infinitum, sed Cosmographi, & Astrologi ea numerant secundum variationem graduum æquatoris, ut magis sensibilis. Hi verò 360. numerantur, & tot puncta verticalia, & quia meridianus transit diametraliter per gradus oppositos, quorum unus est nobis *Zenit*, & alter *nadir*, ideo circuli meridiani assignantur 180. in sphæra.

6. *Orizon* est circulus major dividens inferius *Hæmisphærium* à superiori. *Hęmisphærium* est medietas sphæræ, & propriè illa, quæ à nobis videtur. *Orizon* autem dicitur, quia determinat visum nostrum, & licèt Geometricè varietur, ut diximus de *meridiano*,

tamen Astronomicè tot sunt, quot meridiani, sc. 180. poli hujus sunt *Zenit*, & *nadir*, quia *orizon* secundum omnes sui partes æque distat ab his duobus punctis.

7. *Zodiacus*, dicitur à Græco, *Zoi*, quod significat vitam, vel à *Zodium*, quod est animal propter signa ejus, quæ animalium nomine significantur, estque circulus major, cujus una medietas declinat ad Boream, altera ad austrum, & intersecat & intersecatur ab æquinoctiali in duas partes æquales ob Angulos obliquos sphærales, unde habet diversos polos ab æquinoctiali; signa verò *Zodiaci* his versibus comprehenduntur.

Sunt Aries, Taurus, gemini, Cancer, Leo, Virgo;
Libraque, Scorpius, Arcitenens, caper, Amphora,
Pisces,

quæ primo versu continentur dicuntur *Septentrionalia*, quia ad Septentrionem declinant, quæ vero in secundo, dicuntur *meridionalia*, quia declinant ad meridiem; tria sunt *ignea*, seu *Cholerica*, ut Aries, *Leo*, & *Arcitenens*, seu *Sagittarius*. Tria *aerea*, seu *Sanguinea*, ut *Gemini, Libra, & Caper*. Tria *aquea*, seu *flegmatica*, ut *Cancer, Scorpius*, & *pisces*. Tria *terrea*, & *Melancholica*, nempe, *Taurus, Virgo, Aquarius*, seu *Amphora*.

8. Singulis his signis assignantur 30. gradus (est autem *gradus*, pars aliqua determinata cæli, sicut Palmus, Ulnæ) quia Sol, ut integrum signum pertranseat motu naturali, 30. dies insumit, & totidem sunt gradus, quasi gressus solis, & quia signa sunt 12. gradus, erunt 360. in quos non solum *Zodiacus*, sed & alii omnes circuli majores dividuntur.

Rursus quilibet *gradus* habet 60. *minuta*, seu *Prima*. Quodlibet minutum, 60. *secunda*, & quodlibet *secundum*, 60. *tertia*, & sic deinceps usque ad decem, ut meliùs ab Astronomis designentur motus cæleſtes, & eorum velocitas, aut tarditas.

9. Notandum etiam, quòd alii omnes circuli sphæræ describi solent ut Lineæ sine latitudine, *Zodiacus* verò cum latitudine per modum *Zonæ* cujusdam, seu *fasciæ* 12. graduum latitudinis, ut motus planetarum describi possit, quia semper moventur sub *Zodiaco*, ita tamen, ut modò ad *austrum*, modò ad *Boream* declinent. In medio habet lineam dividentem in circuitu, & relinquentem sex gradus ab una, & sex

ſex ab altera, & ſub ea Sol ſemper movetur, & ideo *linea ſolaris* dicitur. Dicitur etiam *Ecliptica*, quia nulla Eclipſis tàm Lunæ, quàm ſolis contingit, niſi Luna moveatur ſub illa.

10. Sol igitur motu proprio, qui per annum completur, ab Occidente in Orientem ſub hac linea movetur per ſingula ſigna ſc. ingreditur initium *Arietis*, 22. Martii; *Tauri*, 21. Aprilis; *Gemini*, 21. Maji; *Cancri*, 21. Junii, *Leonis*, 24. Julii; *Virginis*, 24. Auguſti; *Libræ*, 24. Septembris; *Scorpionis*, 24. Octobris; *Sagittarii*, 23. Novembris; *Capricorni*, 22. Decembris; *Aquarii* 21. Januarii, *& Piſcium* 19. Februarii. Contingit tamen aliquandò error unius diei circiter, propter varietatem punctorum. Vides, quod inſumit octo vel ſex circiter dies in percurrendis ſignis *Borealibus*, pluſquam in *Auſtralibus*.

11. *Colurus ſolſtitiorum* eſt circulus major tranſiens per polos mundi, & *Zodiaci* & maximas ſolis declinationes dividens Solſtitia inter ſe; nam Sol propter *Zodiaci* obliquitatem modò accedit ad *æquatorem*, & dicitur *aſcenſus*, modo recedit, & dicitur *deſcenſus*, ſeu *declinatio*. *Solſtitium* igitur eſt declinatio maxima ſolis ab *æquatore*, & fit, vel quando à nobis maximè diſtat, ut in hyeme, & dicitur *hyemale*, vel quando maximè accedit, ut in æſtate, & dicitur *æſtivale*, primum accidit ea die, qua ingreditur principium *Capricorni*, & iſtud quando ingreditur principium *Cancri*: ergo *Colurus* iſte denotat loca ſolſtitiorum.

12. *Colurus verò æquinoctiorum* eſt circulus major tranſiens per polos mundi, deſignans loca *æquinoctiorum*, ſc. in principio *Arietis* pro æquinoctio verno, *& libræ* pro autumnali. Vocantur autem hi duo circuli, *coluri*; ideſt mutili, ſeu imperfecti, quia à nobis, qui ſumus in ſphæra obliqua, numquam totaliter videntur, nec ſimul, nec ſucceſſivè.

13. *Tropicus Cancri*, ſeu *æſtivalis* eſt circulus minor deſcriptus à ſole per motum ſuum diurnum, cùm eſt in principio cancri, in quo contingit *Solſtitium æſtivum*; nam Sol motu diurno ab Oriente in Occidentem deſcribit multos circulos circa mundi axem, ferè 182. nam tot inſumit dies in acceſſu ab una parte *Zodiaci* ad alteram remotiorem, & ideò circulus, quem

describit Sol in principio *Cancri*, dicitur *Tropicus Cancri*.

14. Similiter *Tropicus Capricorni* est ille minor, quem Sol describit motu diurno, quandò est in principio Capricorni, in quo accidit *Solstitium hyemale* ob eandem rationem. Dicuntur autem *Tropici*, à græco *Tropos*, quod est *conversio*; quia tunc Sol quasi convertitur ad *æquatorem*. Dicuntur *minores*, quia dividunt sphæram in partes inæquales, & sunt velut limites spatii, quod Sol percurrit.

15. *Articus* est circulus minor descriptus à polo *Zodiaci* circa *Articum* motu diurno. Cum enim poli Zodiaci distent à polis mundi, super quos fit motus diurnus, moventur juxta motum proprii orbis circa polos mundi.

16. Similiter *Antarticus* est circulus minor descriptus à polo Zodiaci circa polum Antarticum ob eandem rationem.

17. Notabis etiam, quòd circuli isti minores æqualiter distant inter se, & sunt paralleli, quinque *Zonas*, seu *fascias* describentes in cęlo. Prima est inter duos *Tropicos*, & *ab æquatore* per medium dividitur, & dicitur, *Zona torrida*, propter calorem nimium solis ibi decurrentis, 2.ᵃ & 3. continentur inter *Tropicum Cancri*, & circulum *articum*, & dicuntur *Zonæ temperatæ*, quia cum non distent nimis, nec nimis appropient soli, non sunt nec nimis calidæ, nec nimis frigidæ, 4. & 5. sunt inter polos, & circulos *Articum*, & *Antarticum*, & dicuntur *frigidæ* propter maximam distantiam à sole.

Hæc igitur indigitasse sufficiat, qui meliùs capere cupiet, illa examinabit habens præ manibus figuram sphæræ.

QUÆSTIO VI.

De numero cęlorum.

Vidimus partes cęli, jam videndum, an sint plures, & quot; de his enim minimè convenit inter Philosophos. Quidam nullum aliud præter stellatum agnoscunt, quod *primum mobile* dicunt. Quidam unum supra illud addiderunt, & sic duos cęlos posue

posuerunt; Alii tres, Alii novem, &c. Antequam, quid probabilius sit, dicamus, observanda sunt aliqua præter ea, quæ diximus quæst. præcedenti.

1. Supponendæ sunt hæ regulæ. 1. *stella movetur ad motus sui orbis, seu sphæræ, non secus ac clavus infixus rotæ movetur ad motum rotæ.* 2. *unius corporis simplicis unicus est motus*, dico *corporis* simplicis; nam corpus mixtum, & anima moventur multiplici motu 3. *omne corpus simplex, quod pluribus motibus movetur, unum habet à se, & sibi naturalem, & alium ab alio, & aliquo modo violentum* 4. *Superior sphæra movet, & secum trahit inferiores non autem inferiores superiores*, & hic motus passivus in inferioribus dicitur *raptus*, in superiori autem est *vis impulsiva*, non verò corruptiva.

Supponimus 2. planetas, & stellas singulis 24. horis ab ortu ad occasum moveri, planetas autem motu quodam proprio ab occasu ad Orientem revolvi, & quidem singuli suum habent peculiarem motum.

Notandæ sunt etiam hæ differentiæ motuum Planetarum. 1. est in *latitudine*, quia modo plus, modo minùs accedunt ad polum. 2. in *longitudine*, quia, ut diximus de Sole, velocius percurrit unum signum, quàm aliud. 3. in *elevatione*, & *depressione*, quia videmus unum esse, modò propius, modò remotius à terra, & vocatur *trepidationis*, seu *librationis*.

Item orbes alii sunt *concentrici*, alii *Excentrici secundumquid*, alii *excentrici simpliciter*. Primi sunt, qui habent idem centrum cum terra. Secundi habent centrum aliquatenus diversum à terra, sc. secundum superficiem concavam, aut convexam. Tertii verò habent centrum penitùs diversum, ut sunt Epicycli, id. sphærulæ quædam solidæ intra Crassitiem secundi generis orbium insertæ, quæque duplici motu moventur; sc. motu orbis sui, & motu proprio circa proprium centrum, & in quorum parte infixi sunt planetæ. His ita suppositis

CONCLUSIO I.

COEli *sunt plures, etiam præter Empyreum*. Est communior.

Prob. 1. ex Scriptura cœlos pluraliter nominante [1]

[1] Psal. 148.

Laudate Dominum de cęlis. [1] *Ego feci in cęlis, ut oriretur lumen indeficiens.* [2] *Ascendi super omnes cęlos.* [3] *D. Paulus raptus est usque ad tertium cęlum*, & ita sentiunt SS. Patres, ergo, &c.

Prob. 2. ex Scoto [4] quia, *quæcumque stellæ non sunt inter se æque distantes, non sunt in eodem cęlo, nam distantia alia, & alia diversis temporibus non potest esse per proprium motum stellæ, sed per motum cęli, in quo ipsa est, & si distet difformiter stella à stella, ergo cęlum hujus difformiter movetur à cęlo illius, & ita aliud est cęlum hujus, & aliud illius*, Ratio ergo pluralitatis cęlorum petitur ex diversitate motuum, quia juxta 2. regulam, *unius corporis simplicis est unus motus.*

Objic. 1. Scripturam, quæ loquitur de cęlo in singularinam Deus dicitur fecisse Solem, Lunam, ergo & stellas, *& posuisse in firmamento cæli*, &c.

Resp. neg. conseq. quia cum singulariter nominatur cęlum, accipitur pro toto corpore cęlorum, & orbe universo cœlesti.

Objic. 2. sufficit unicum cęlum, ergo non sunt asserendi plures, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Prob. ant. non videmus nisi unicum motum in cęlis, sed ex unitate motus arguitur unitas cęli, ergo, &c.

Resp. neg. ant. & maj. probationis, nam licet omnes cęli rapiantur motu primi mobilis, & unus sit motus communis, sunt etiam alii motus proprii singulorum, ut dicetur; & constat experientia Astronomorum.

Dixi autem *præter Empyreum*, quod est sedes Beatorum, & prorsus immobile, de hoc enim nullus dubitat, quin ab aliis distinguatur.

CONCLUSIO II.

P*Robabile est dari præter Empyreum octo alios cęlos, unum pro stellis fixis, & septem pro planetis*, an verò sint plures, est incertum, est communior.

Prob. 1. ex Scoto, nam *septem stellæ*, seu planetæ *moventur difformiter, ita quod non semper æquè distant à*

[1] *Eccl.* 24. [2] *Ephes.* 4. [3] 2. *cor.* 12.
[4] 2. *d.* 14. *q.* 2. *A. n.* 2.

à stellis illis fixis, quæ ideo dicuntur fixę, quia semper inter se æquè sunt distantes, & eundem situm, & figuram servantes, & ideo respectu omnium illarum stellarum non oportet ponere nisi unum cęlum: vides in hoc textu Doctoris totam nostram conclusionem, & rationem ejus.

Prob. ergo 2. ratione ejusdem, multiplicitas cęlorum, præter Empyreum, petitur ex motibus, sed ex motibus non colliguntur nisi octo, ergo tot sunt, & non plures, maj. patet ex 2. regula citata, prob. min. Singuli septem planetæ moventur differenter tum inter se, tum à stellis fixis, quia modò plus, modò minus inter se distant, & ab aliis fixis, ergo moventur differenter tùm inter se, tùm à fixis, & istæ semper æqualiter inter se distant,& eamdem semper formant figuram, ergo assignandi sunt 7. cęli pro 7. Planetis, & unicum pro stellis fixis. Prob. ultima conseq. ex quæst. præcedenti, ubi probatum est stellas non moveri, nisi ad motum orbium, in quibus collocantur, alioqui essent vel fluidi, & in eis astra moverentur ut pisces in aqua, aut aves in aere, vel penetrarent cęlos, vel moverentur per canales repletos humore fluido, vel vacuos, sed nullum horum dici potest.

Prob. 2. p. quia nulla est necessitas plures asserendi, ergo &c. Prob. ant. responsione argumentorum, quibus aliqui conantur probare, quod sint 10. vel 11. aut plures. Dico, *incertum*, sive quia id ita putat Doctor cit. sive quia si motus diurnus non incipit à cęlo stellato, & si istud movetur duplici, aut triplici motu, ut voluntas, debet admitti aliquod superius, nempe nonum, quod moveatur uno simplici motu, quem vocant diurnum, & alios sic moveat.

Objic. 1. contra 1. partem rationes eorum, qui asserunt esse tres tantùm; sc. *stellatum*, quod vocant *primum mobile*, & *solidum*: 2. *Planeticum*, quod volunt esse fluidum vel in toto, vel in parte sc. quoad canales plenos substantia liquida, per quam moventur Planetæ, & 3. quod est *firmamentum*, & *solidum*. *Sed hæc opinio* rejecta est supra, ubi probatum est, quòd sint integrè solidi.

Objic. 2. ex Scriptura, & patribus, qui unicum

 astruunt.

astruunt. Stet pro omnibus Sanctus Chrysostomus, qui explicans illud genesis, *in principio creavit Deus cœlum, vocavitque firmamentum cęlum*, &c. ait, *quomodo dicunt aliqui factos multos cęlos? non ex divina Scriptura hoc didicerunt, sed ex suis opinionibus, ut ita dicam, impelluntur*, &c. ergo, &c. & confirmatur ex loco supra citato, ubi negat stellas esse affixas cęlo, sed ipsas moveri; cęlum verò esse immobile; ergo non est nisi unicum.

Respondent aliqui eum loqui de uno cęlo, unitate aggregationis, sicut palatium principis dicitur unum, licèt plures domos includat. Sed, ut verum fatear, difficile est legenti illam homiliæ partem aliter explicare, quàm de unico cœlo exclusa pluralitate.

Respondeo igitur neg. conseq. nam Chrysost. loquitur concionatoriè, non Philosophicè, & ut dicit Scotus, vocat cęlum totum, quod est supra regionem elementarem usque ad Empyreum, & hic locus est contra omnium sententiam; nullus enim est, qui non admittat saltem tres, aut ad minus unum ab Empyreo distinctum, ergo Chrysost. est omnibus aut explicandus, aut in hoc deserendus, & ipsi sunt opponendi alii SS. PP. & loca Scripturæ clarissima. Imo ipsemet loquens de raptu D. Pauli fatetur illum in tertio cœlo fuisse, ergo admisit ad minus tres cęlos.

Objic. 3. nulla est necessitas ponendi plures, quàm tres; ergo, &c. Prob. ant. si esset aliqua necessitas, maximè ob motum 7. Planetarum, sed hæc nulla est; ergo, &c. Prob. min. salvatur motus septem Planetarum, non solùm per fluiditatem cęli medii, aut per canales ejus, si sit solidum, sed etiam per Zonas prægrandes, & particulares pro singulis, quæ sint orbes imperfecti, & quæ moveantur circa cęlum stellatum, ergo sine tanta multiplicatione cęlorum potest servari diversitas motuum Planetarum.

Respondeo neg. ant. 1. argum. ut in. 2. & conseq. 3. tum quia non est majus inconveniens multiplicare orbes integros, quam Zonas illas, seu orbes imperfectos, tum quia perinde nobis est, & nihil interest ad nostrum intentum, quod Planetæ singuli habeant suos orbes, seu cęlos ex omni

parte

parte integros, & rotundos, an solùm imperfectos, & per modum Zonæ, modò sint distincti à cœlo stellato, & empyreo, & diversè moveantur.

Objic.4. Si cuilibet Planetæ assignetur cœlum, ut salvetur motus, cœlum Saturni deberet moveri, ut moveatur ille Planeta, sed hoc incongruum est, ergo, &c. Prob. min. iste planeta respectu illius cœli non est sicut gutta respectu totius Oceani, ergo sicut incongruum esset providentiæ Dei velle, ut totus Oceanus moveatur ad movendam guttulam aquæ, ita est de mole cœli respectu stellulæ.

Resp. neg. min. & conf. prob. quidquid sit de antecedente, tùm quia forte illud cœlum non movetur solùm propter stellam, sed etiam ob alios fines providentiæ Dei notos, tum quia incongruum hoc dici non potest, quod sic visum est providentiæ divinæ.

Objic.1. contra 2. par. cœlum stellatum, seu primum mobile movetur duplici motu: sc. ab Oriente ad Occidentem, & rursus ab Occidente ad Orientem, sed hoc repugnat 2. regulæ à nobis positæ, & ipsum sydereum movetur etiam motu trepidationis, ergo cœlum sydereum, & primum mobile sunt duo cœli, propter eamdem rationem adest aliud tertium ab illis duobus distinctum, & sic cœli sunt undecim, aut etiam 12. Prob. ant. ex diversis observationibus modernorum, qui asserunt in primo mobili motum illum retrogradum, quo non conficit nisi unum gradum intra centum annos, item & motum illum trepidationis in cœlo, quod vocant crystallinum, seu aqueum; & glaciale, quod est immediatè supra alios octo, ergo sunt plusquam novem.

Resp. neg. ant. quoad motum retrogradum, quomodo enim observari potuit modus adeo lentus in orbe tàm remoto, per quem non conficitur inter 100. annos nisi unicus gradus? quantùm verò ad motum trepidationis, si non venit ab oculis trepidantibus inspectorum, potest causari in eodem cœlo stellato ab Angelo motore, absque eo quod præterea fingendum sit ullum cœlum particulare, & distinctum.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De differentia cælorum inter se, & ab astris.

SUppono astra esse corpora simplicia lucida, per se mobilia in cęlis, & quæritur hic 1. an cęli ipsi distinguantur inter se specie, an differant saltem ab astris.

CONCLUSIO I.

P*Robabile est cælos mobiles esse ejusdem inter se speciei.* Est communior contra Arist. tenentem cęlos omnes specie, & numero differre.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui dum probat pluralitatem cęlorum, nullam rationem distinctionis, vel differentiæ assignat præter differentias motuum, sed hoc non sufficit ad distinctionem specificam, ergo non differunt specie, maj. patet ex quæst. præcedenti, *alius est motus orbis superioris, & inferioris, quia non simul complent circulum suum, &c.*

Prob. 2. Quia non sunt multiplicanda entia, nec naturæ, seu species sine necessitate, sed hìc nulla est necessitas, ergo, &c. min. patebit solutione objectionum.

Objic. unum cęlum est majus alio, diversum occupat locum, diverso motu movetur, & diversa continet astra: sed hæc arguunt diversitatem specificam, ergo cœli differunt specie inter se.

Respondeo neg. min. Hæc enim omnia convenire possunt distinctis individuis ejusdem prorsus speciei, v. g. distinctis hominibus.

Inst. Duo homines non inclinantur ad motus diversos, v. g. Petrus ad motum lentum, aut tardum, & Paulus ad velocem, nec ad situm superiorem, aut inferiorem, nec ad unum, aut alterum ornatum. Sed cœlum unum ex se inclinatur ad motum tardum, ad locum superiorem, & ad tale astrum: aliud verò ad motum velociorem, locum inferiorem, & aliud astrum, ergo illæ differentiæ motuum arguunt diversas inclinationes, & specificam diversitatem.

Resp. neg. min. Nam illi motus veniunt ab extrinseco, sc. ab Angelo motore, & quoad situm, ille venit

[1] *Ibid. & in Report.*

nit à magnitudine, vel parvitate, quæ sunt accidentales, ornatus verò à pura Dei voluntate sic disponente: unde Petrus potest ornari auro, Paulus gemmis, &c. ex natura verò sua specifica, & substantiali, cœli sunt ad hæc omnia indifferentes.

CONCLUSIO II.

COEli differunt specie ab astris, & ista inter se. Est communior contra aliquos volentes astra esse partem cœlorum suorum.

Prob. 1. ex Scoto, qui tribuit stellis influxus, & virtutes activas, quas non tribuit cęlis ipsis. Dico, inquit, *quod stellæ habent actionem in hæc inferiora*, &c. non enim est evidentior nota distinctionis specificæ, quàm diversitas operationum.

Prob. 2. Diversitas proprietatum arguit diversitatem naturarum, sed proprietates astrorum differunt à proprietatibus cęlorum, ergo & naturæ illorum. Prob. min. cęli semper sunt super, & circa terram eodem situ, aspectu, & modo, ergo eodem modo semper influerent: Astra verò secundum diversos situs, aspectus, & motus diversè influunt, ut patet de Sole, & Luna, ergo sydera influunt, non autem cęli, aut saltem aliter agunt, quàm cęli.

Confir. hoc ex diversitate figuræ, coloris, & luminis.

Prob. denique ex 2. parte, nam astra inter se differunt specie, ergo & à cęlis. Prob. ant. habent diversa accidentia, figuras, colores, luces, & effectus, sed hæc arguunt manifestam differentiam specificam, ergo, &c. prob. maj. ex omnium consensu, *Saturnus* est frigidus, & siccus, & causat frigiditatem, & siccitatem, *Sol* est calidus, & lucidior, *Luna* albescit, & humida, & frigida est, & sic de aliis.

Objic. 1. Diversitas affectuum non semper arguit diversitatem in causis, ergo diversitas actionum in astris, & cęlis non probat eorum distinctionem specificam, prob. ant. partes corporis humani, aut animalis habent diversas virtutes, & actiones, & tamen specie non differunt inter se: idem est de terra, quæ non ubique fert eadem, *non enim omnis fert omnia tellus*, idem est de aqua, & aere, quæ non ubique alunt eosdem pisces, aut aves.

Res-

Resp. dist. ant. si actiones diversæ veniant ab extrinseco, v. g. à diversis accidentibus, quæ afficiunt agentia ab extrinseco, vel diversis dispositionibus ex parte subjecti, con. ant. 1. argum. & dist. similiter ant. 2. nam 1. partes corporis animantium differunt specie inter se, & sic de aliis multis corporibus. In elementis verò, quæ sunt homogenea, v. g. in terra, aqua, & aere, diversitas actionum, seu effectuum venit ab extrinseco, ab aspectu solis, & syderum, à sexibus, ab impedimentis, & aliis dispositionibus extrinsecis.

Objic. Sequeretur cœlos esse heterogeneos, sed hoc est falsum, & absurdum, ergo astra ab eis non differunt, nec inter se. Prob. min. Cœlum per nos est corpus simplex, ergo non est etherogeneum, nam Etherogeneitas repugnat simplicitati.

Resp. dist. maj. Essent heterogenei, prout ex orbibus, & astris concipitur unum corpus, conc. maj. & neg. min. seorsim ab astris, neg. maj. nam cœlum non dicitur simplex, prout opponitur compositioni ex materia, & forma, aut partibus integrantibus, aut quantitativis, sed prout opponitur mixto, & mixtioni elementari, ut dictum est.

Objic. 3. Nulla est necessitas asserendi astra, velut corpora distincta à partibus cęli, ergo multò magis ea distinguendi specie. Prob. ant. nam si supponatur unum cęlum supremum, immobile, & perlucidum totum, & sub illo aliud magis opacum, multis foraminibus distinctum, & mobile, per quod transpareant partes cęli superioris, secundum quod movetur, habebitur totum, quod prætenditur per illam multitudinem, & diversitatem astrorum: ergo nulla est necessitas ita multiplicandi Astra à cęlis distincta.

Resp. neg. ant. utrumque, nam illa opinio de astris est ridicula, & erronea contra textum clarissimum Scripturæ docentis astra esse vera corpora à Deo facta, & infixa cęlis. Dixit enim Deus, *fiant luminaria* (non foramina) *in firmamento cœli .... ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram .... fecit Deus duo luminaria magna .... & posuit ea in firmamento cœli*, &c.

CON-

CONCLUSIO III.

P*Robabile est multas stellas fixas inter se distingui specie, non tamen omnes.*

Prob. 1 ex Scoto, [1] propter eandem rationem, nam etiam illæ stellæ habent diversos effectus, saltem plurimæ, & si non omnes, saltem non constat de omnibus, nam non solum planetæ, sed etiam alia corpora mixta ad qualitatem convenientem, vel disconvenientem, &c. unde observatur, quòd Planeta ex varia conjunctione cum stellis fixis varios, & contrarios effectus causant, ergo, &c.

Obj. Cuilibet corpori specie distincto convenit motus similiter proprius, & distinctus, sed stellæ fixæ non habent motus inter se distinctos, quia sunt fixæ, & non moventur proprio motu, sed motu cęli sui, ergo non differunt inter se.

Resp. dist. maj. actu, vel aptitudine, & ab intrinseco, con. maj. & neg. min. actu, & ab extrinseco; neg. maj. & conseq. Nam stellæ, quæ diversæ sunt speciei, ex se inclinari possunt ad diversos motus, & fortè habent diversos in propriis epicyclis, sed ab extrinseco, & actu moventur motu sui orbis. Præterea Empyreum est immobile, & tamen distinguitur, unde absolutè negari potest major.

Inst. Sequeretur innumeras multiplicari species sine necessitate, quia sunt innumeræ tales stellæ, sed hoc est absurdum, ergo, &c.

Respondeo. Si omnes differrent, & essent innumeræ, con. maj. & neg. min. quid enim in hoc inconvenientis? nonne hinc Dei appareret potentia, & sapientia? sed de facto non omnes differunt.

Inst. 2. Si haberent aptitudinem ad proprios motus diversos, & non sic moveantur, essent in statu violento, sed hoc dici non potest, ad quid enim talis aptitudo, quæ numquam deserviret nisi ad violentiam? ergo non habent proprios motus diversos, ne aptitudine quidem.

Resp. neg. seq. in quolibet ente est duplex aptitudo, & inclinatio, una ad proprium bonum, alia ad bonum universi, hæc posterior præstat priori, & ideo sy-

[1] *Ibid. H. n. 6.*

sydera fixa non patiuntur violentiam in motu illo, quia ad illum inclinantur, ut ad bonum universi.

QUÆSTIO VIII.

De figura, numero, magnitudine, densitate, opacitate, & raritate corporum cœlestium.

JAm supponimus cęlos esse sphęricos, & novem, & inter se distinctos, de partibus eorum, seu de structura sphęræ universæ disseruimus; restant aliqua addenda majoris claritatis gratia.

1. Corpus *sphæricum* est illud, *in quo omnis extremitas paribus radiis à medio attingitur*, in aliis enim omnibus figuris extremæ partes non distant æqualiter à medio. 2. *Densum*, est illud, quod habet multum materiæ in parva quantitate, seu extensione. 3. *rarum* est contra, quod habet parum materiæ in magna quantitate. 4. *opacum*, ut jam diximus, quod ex se non transmittit lucem, & radios visuales. 5. *Diaphanum* è contra, seu *perspicuum*, seu *pervium*, seu *transparens*, quod ex se transmittit lumen, radiosque visuales, omne autem *opacum* est *densum*, sed non omne *densum* est *opacum*, ut patet de christallo, quod densius est ligno, & tamen diaphanum. Advertendum tamen, quod *densum* aliquando sumitur pro *opaco*, etiam à Scoto.

CONCLUSIO I.

C*OEli sunt figuræ sphæricæ*, est communis.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui ubique loquitur de cęlis, tanquam de *sphæris*, *orbibus*, & *circulis*, ut cùm dicit stellam non *moveri alio motu*, *quàm motu orbis*, *in quo locatur*.

Prob.2. ex Scriptura. [2] *Sol occidit*, & *in locum suum revertitur*, *ibique renascens gyrat per meridiem*, *in circuitu pergit spiritus*, & *in circulos suos revertitur*, *gyrum cœli circuivi sola*, unde S. Hieron. invehitur in eos, qui negant cęlum esse undique sphæricum, nam voces *circuitus*, *gyri*, & *gyrandi*, *circuli*, &c. clarè significant figuram integrè sphæricam.

Prob.2. ex Arist. quia figura sphęrica est prima, simplicissima, perfectissima, & capacissima, ergo de-

[1] 2.d.14.q.2.An.2. [2] Eccl.1.

debet tribui cęlo, quod est corpus primum simplicissimum, &c. Prob. ant. 1. aliæ figuræ constant lineis, sphęrica verò in plano constat unica, & ita est proportionaliter in solidis, & corporibus, ergo est simpliciter, seu magis una. 2. habet suas partes in se collectas, & nihil extrinsecum illi addi potest, quin destruatur, benè verò aliis, quæ constant lineis rectis, quæque terminantur ad aliud. 3. est magis capax, quia nullum habet angulum, sicut cætera, ergo magis convenit cęlo; quod debet continere omnia, hanc sic laudat Cicero: [1] *quid pulchrius figura, quæ sola omnes alias figuras complexa continet? quæque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum in angulis, nihil confracti, nihil eminens, nihil lacunosum*, prob. denique quia nisi essent sphærici, non essent adeò apti ad motum, ergo sunt sphęrici.

Objic. 1. ex Scriptura, [2] quæ videtur potius ipsos æstimare planos ad instar cameræ, aut fornicis. Dicens, [3] *expandit*, Deus, *cælos sicut tabernaculum ad habitandum*, *extendit cælos sicut pellem*, ergo cęli non sunt sphęrici.

Respondeo cum S. August. [4] neg. conseq. *non enim cęlum esse rotundum pugnat cum eo, quod est ipsum habere similitudinem tabernaculi, vel cameræ, sin autem totum sphęricum est, utraque ex parte camera est: nam sicut hæc pars cæli, quæ nos tegit, est quasi camera respectu nostri Hemisphærii, ita cæli altera medietas, quæ tegit Antipodas respectu adversi nobis Hemisphærii, camera est, nec obstat, quod ait David, extensum esse cęlum sicut pellem, nam pellis potest distendi & in planum, & in orbem, ut cernimus in utre, pila, & vesica, &c.*

Objic. 2. Si cęlum esset sphęricum, ita & terra, sed hoc est falsum de terra, ergo & de cęlo. Prob. min. sic enim daretur aliud hemisphęrium nobis oppositum, & homines contra cęlum quasi penderent à terra: sed hæc absurda sunt, ergo, &c.

Resp. neg. min. & maj. prob. Nam homines semper incumbunt, & hærent terræ, sicut centro suo, & sicut id cernimus de nobis, ita est de Antipodis in alio

[1] 2. *de nat. deor.* [2] *Isa.* 4. [3] *Ps.* 103.
[4] *L. de Gen. ad lit. c.* 9.

tamen Astronomicè tot sunt, quot meridiani, sc. 180. poli hujus sunt *Zenit*, & *nadir*, quia *orizon* secundum omnes sui partes æque distat ab his duobus punctis.

7. *Zodiacus*, dicitur à Græco, *Zoi*, quod significat vitam, vel à *Zodium*, quod est animal propter signa ejus, quæ animalium nomine significantur, estque circulus major, cujus una medietas declinat ad Boream, altera ad austrum, & intersecat & intersecatur ab æquinoctiali in duas partes æquales ob Angulos obliquos sphærales, unde habet diversos polos ab æquinoctiali; signa verò *Zodiaci* his versibus comprehenduntur.

Sunt Aries, Taurus, gemini, Cancer, Leo, Virgo;
Libraque, Scorpius, Arcitenens, caper, Amphora,
Pisces,

quæ primo versu continentur dicuntur *Septentrionalia*, quia ad Septentrionem declinant, quæ vero in secundo, dicuntur *meridionalia*, quia declinant ad meridiem; tria sunt *ignea*, seu *Cholerica*, ut Aries, *Leo*, & *Arcitenens*, seu *Sagittarius*. Tria *aerea*, seu *Sanguinea*, ut *Gemini*, *Libra*, & *Caper*. Tria *aquea*, seu *flegmatica*, ut *Cancer*, *Scorpius*, & *pisces*. Tria *terrea*, & *Melancholica*, nempe, *Taurus*, *Virgo*, *Aquarius*, seu *Amphora*.

8. Singulis his signis assignantur 30. gradus (est autem *gradus*, pars aliqua determinata cœli, sicut Palmus, Ulnæ) quia Sol, ut integrum signum pertranseat motu naturali, 30. dies insumit, & totidem sunt gradus, quasi gressus solis, & quia signa sunt 12. gradus, erunt 360. in quos non solum *Zodiacus*, sed & alii omnes circuli majores dividuntur.

Rursus quilibet *gradus* habet 60. *minuta*, seu *Prima*. Quodlibet minutum, 60. *secunda*, & quodlibet *secundum*, 60. *tertia*, & sic deinceps usque ad decem, ut meliùs ab Astronomis designentur motus cœlestes, & eorum velocitas, aut tarditas.

9. Notandum etiam, quòd alii omnes circuli sphæræ describi solent ut Lineæ sine latitudine, *Zodiacus* verò cum latitudine per modum *Zonæ* cujusdam, seu *fasciæ* 12. graduum latitudinis, ut motus planetarum describi possit, quia semper moventur sub *Zodiaco*, ita tamen, ut modò ad *austrum*, modò ad *Boream* declinent. In medio habet lineam dividentem in circuitu, & relinquentem sex gradus ab una, &

sex

ſex ab altera, & ſub ea Sol ſemper movetur, & ideo *linea ſolaris* dicitur. Dicitur etiam *Ecliptica*, quia nulla Eclipſis tàm Lunæ, quàm ſolis contingit, niſi Luna moveatur ſub illa.

10. Sol igitur motu proprio, qui per annum completur, ab Occidente in Orientem ſub hac linea movetur per ſingula ſigna ſc. ingreditur initium *Arietis*, 22. Martii; *Tauri*, 21. Aprilis; *Gemini*, 21. Maji; *Cancri*, 21. Junii, *Leonis*, 24. Julii; *Virginis*, 24. Auguſti; *Libræ*, 24. Septembris; *Scorpionis*, 24. Octobris; *Sagittarii*, 23. Novembris; *Capricorni*, 22. Decembris; *Aquarii* 21. Januarii, *& Piſcium* 19. Februarii. Contingit tamen aliquandò error unius diei circiter, propter varietatem punctorum. Vides, quod inſumit octo vel ſex circiter dies in percurrendis ſignis *Borealibus*, pluſquam in *Auſtralibus*.

11. *Colurus ſolſtitiorum* eſt circulus major tranſiens per polos mundi, & *Zodiaci* & maximas ſolis declinationes dividens Solſtitia inter ſe; nam Sol propter *Zodiaci* obliquitatem modò accedit ad *æquatorem*, & dicitur *aſcenſus*, modo recedit, & dicitur *deſcenſus*, ſeu *declinatio*. *Solſtitium* igitur eſt declinatio maxima ſolis ab *æquatore*, & fit, vel quando à nobis maximè diſtat, ut in hyeme, & dicitur *hyemale*, vel quando maximè accedit, ut in æſtate, & dicitur *æſtivale*, primum accidit ea die, qua ingreditur principium *Capricorni*, & iſtud quando ingreditur principium *Cancri*: ergo *Colurus* iſte denotat loca ſolſtitiorum.

12. *Colurus verò æquinoctiorum* eſt circulus major tranſiens per polos mundi, deſignans loca *æquinoctiorum*, ſc. in principio *Arietis* pro æquinoctio verno, *& libræ* pro autumnali. Vocantur autem hi duo circuli, *coluri*; ideſt mutili, ſeu imperfecti, quia à nobis, qui ſumus in ſphæra obliqua, numquam totaliter videntur, nec ſimul, nec ſucceſſivè.

13. *Tropicus Cancri*, ſeu *æſtivalis* eſt circulus minor deſcriptus à ſole per motum ſuum diurnum, cùm eſt in principio cancri, in quo contingit *Solſtitium æſtivum*; nam Sol motu diurno ab Oriente in Occidentem deſcribit multos circulos circa mundi axem, ferè 182. nam tot inſumit dies in acceſſu ab una parte *Zodiaci* ad alteram remotiorem, & ideò circulus, quem

describit Sol in principio *Cancri*, dicitur *Tropicus Cancri*,

14. Similiter *Tropicus Capricorni* est ille minor, quem Sol describit motu diurno, quandò est in principio Capricorni, in quo accidit *Solstitium hyemale* ob eandem rationem. Dicuntur autem *Tropici*, à græco *Tropos*, quod est *conversio*; quia tunc Sol quasi convertitur ad *æquatorem*. Dicuntur *minores*, quia dividunt sphæram in partes inæquales, & sunt velut limites spatii, quod Sol percurrit.

15. *Articus* est circulus minor descriptus à polo *Zodiaci* circa *Articum* motu diurno. Cum enim poli Zodiaci distent à polis mundi, super quos fit motus diurnus, moventur juxta motum proprii orbis circa polos mundi.

16. Similiter *Antarticus* est circulus minor descriptus à polo Zodiaci circa polum Antarticum ob eandem rationem.

17. Notabis etiam, quòd circuli isti minores æqualiter distant inter se, & sunt paralleli, quinque *Zonas*, seu *fascias* describentes in cęlo. Prima est inter duos *Tropicos*, & *ab æquatore* per medium dividitur, & dicitur, *Zona torrida*, propter calorem nimium solis ibi decurrentis, 2.ª & 3. continentur inter *Tropicum Cancri*, & circulum *articum*, & dicuntur *Zonæ temperatæ*, quia cum non distent nimis, nec nimis appropient soli, non sunt nec nimis calidæ, nec nimis frigidæ, 4. & 5. sunt inter polos, & circulos *Articum*, & *Antarticum*, & dicuntur *frigidæ* propter maximam distantiam à sole.

Hæc igitur indigitasse sufficiat, qui meliùs capere cupiet, illa examinabit habens præ manibus figuram sphæræ.

QUÆSTIO VI.

De numero cęlorum.

Vidimus partes cęli, jam videndum, an sint plures, & quot; de his enim minimè convenit inter Philosophos. Quidam nullum aliud præter stellatum agnoscunt, quod *primum mobile* dicunt. Quidam unum supra illud addiderunt, & sic duos cęlos posue

posuerunt; Alii tres, Alii novem, &c. Antequam, quid probabilius sit, dicamus, observanda sunt aliqua præter ea, quæ diximus quæst. præcedenti.

1. Supponendæ sunt hæ regulæ. 1. *stella movetur ad motus sui orbis, seu sphæræ, non secus ac clavus infixus rotæ movetur ad motum rotæ*. 2. *unius corporis simplicis unicus est motus*, dico *corporis* simplicis; nam corpus mixtum, & anima moventur multiplici motu 3. *omne corpus simplex, quod pluribus motibus movetur, unum habet a se, & sibi naturalem, & alium ab alio, & aliquo modo violentum* 4. *Superior sphæra movet, & secum trahit inferiores non autem inferiores superiores*, & hic motus passivus in inferioribus dicitur *raptus*, in superiori autem est *vis impulsiva*, non verò corruptiva.

Supponimus 2. planetas, & stellas singulis 24. horis ab ortu ad occasum moveri, planetas autem motu quodam proprio ab occasu ad Orientem revolvi, & quidem singuli suum habent peculiarem motum.

Notandæ sunt etiam hæ differentiæ motuum Planetarum. 1. est in *latitudine*, quia modo plus, modo minùs accedunt ad polum. 2. in *longitudine*, quia, ut diximus de Sole, velociùs percurrit unum signum, quàm aliud. 3. in *elevatione*, & *depressione*, quia videmus unum esse, modò propius, modò remotiùs à terra, & vocatur *trepidationis*, seu *librationis*.

Item orbes alii sunt *concentrici*, alii *Excentrici secundumquid*, alii *excentrici simpliciter*. Primi sunt, qui habent idem centrum cum terra. Secundi habent centrum aliquatenus diversum à terra, sc. secundum superficiem concavam, aut convexam. Tertii verò habent centrum penitùs diversum, ut sunt Epicycli, id. sphærulæ quædam solidæ intra Crassitiem secundi generis orbium insertæ, quæque duplici motu moventur; sc. motu orbis sui, & motu proprio circa proprium centrum, & in quorum parte infixi sunt planetæ. His ita suppositis

CONCLUSIO I.

COEli *sunt plures, etiam præter Empyreum*. Est communior.

Prob. 1. ex Scriptura cęlos pluraliter nominante [1]

[1] *Psal.* 148.

Laudate Dominum de cælis. [1] *Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens.* [2] *Ascendi super omnes cælos.* [3] *D. Paulus raptus est usque ad tertium cælum*, & ita sentiunt SS. Patres, ergo, &c.

Prob. 2. ex Scoto [4] quia, *quæcumque stellæ non sunt inter se æque distantes, non sunt in eodem cælo, nam distantia alia, & alia diversis temporibus non potest esse per proprium motum stellæ, sed per motum cæli, in quo ipsa est, & si distet difformiter stella à stella, ergo cælum hujus difformiter movetur à cælo illius, & ita aliud est cælum hujus, & aliud illius*, Ratio ergo pluralitatis cælorum petitur ex diversitate motuum, quia juxta 2. regulam, *unius corporis simplicis est unus motus.*

Objic. 1. Scripturam, quæ loquitur de cælo in singulari: nam Deus dicitur fecisse Solem, Lunam, ergo & stellas, *& posuisse in firmamento cæli*, &c.

Resp. neg. conseq. quia cum singulariter nominatur cælum, accipitur pro toto corpore cælorum, & orbe universo cœlesti.

Objic. 2. sufficit unicum cælum, ergo non sunt asserendi plures, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Prob. ant. non videmus nisi unicum motum in cælis, sed ex unitate motus arguitur unitas cæli, ergo, &c.

Resp. neg. ant. & maj. probationis, nam licet omnes cæli rapiantur motu primi mobilis, & unus sit motus communis, sunt etiam alii motus proprii singulorum, ut dicetur; & constat experientia Astronomorum.

Dixi autem *præter Empyreum*, quod est sedes Beatorum, & prorsus immobile, de hoc enim nullus dubitat, quin ab aliis distinguatur.

CONCLUSIO II.

Probabile est dari præter Empyreum octo alios cælos, unum pro stellis fixis, & septem pro planetis*, an verò sint plures, est incertum, est communior.

Prob. 1. ex Scoto, nam *septem stellæ*, seu planetæ *moventur difformiter, ita quod non semper æquè distant* à

[1] *Eccl. 24.* [2] *Ephes. 4.* [3] *2. cor. 12.*
[4] *2. d. 14. q. 2. A. n. 2.*

à stellis illis fixis, quæ ideo dicuntur fixę, quia semper inter se æquè sunt distantes, & eundem situm, & figuram servantes, & ideo respectu omnium illarum stellarum non oportet ponere nisi unum cęlum: vides in hoc textu Doctoris totam nostram conclusionem, & rationem ejus.

Prob. ergo 2. ratione ejusdem, multiplicitas cęlorum, præter Empyreum, petitur ex motibus, sed ex motibus non colliguntur nisi octo, ergo tot sunt, & non plures, maj. patet ex 2. regula citata, prob. min. Singuli septem planetæ moventur differenter tum inter se, tum à stellis fixis, quia modò plus, modò minus inter se distant, & ab aliis fixis, ergo moventur differenter tùm inter se, tùm à fixis, & istæ semper æqualiter inter se distant,& eamdem semper formant figuram, ergo assignandi sunt 7. cęli pro 7. Planetis, & unicum pro stellis fixis. Prob. ultima conseq.ex quæst. præcedenti, ubi probatum est stellas non moveri, nisi ad motum orbium, in quibus collocantur, alioqui essent vel fluidi, & in eis astra moverentur ut pisces in aqua, aut aves in aere, vel penetrarent cęlos, vel moverentur per canales repletos humore fluido, vel vacuos, sed nullum horum dici potest.

Prob. 2. p. quia nulla est necessitas plures asserendi, ergo &c. Prob.ant. responsione argumentorum, quibus aliqui conantur probare, quod sint 10. vel 11. aut plures. Dico, *incertum*, sive quia id ita putat Doctor cit. sive quia si motus diurnus non incipit à cęlo stellato, & si istud movetur duplici, aut triplici motu, ut voluntas, debet admitti aliquod superius, nempe nonum, quod moveatur uno simplici motu, quem vocant diurnum, & alios sic moveat.

Objic. 1. contra 1. partem rationes eorum, qui asserunt esse tres tantùm; sc. *stellatum*, quod vocant *primum mobile*, & *solidum*: 2. *Planeticum*, quod volunt esse fluidum vel in toto, vel in parte sc. quoad canales plenos substantia liquida, per quam moventur Planetæ, & 3. quod est *firmamentum*, & *solidum*. *Sed hæc opinio* rejecta est supra, ubi probatum est, quòd sint integrè solidi.

Objic. 2. ex Scriptura, & patribus, qui unicum

astruunt. Stet pro omnibus Sanctus Chrysostomus, qui explicans illud genesis, *in principio creavit Deus cœlum, vocavitque firmamentum cęlum*, &c. ait, *quomodo dicunt aliqui factos multos cęlos? non ex divina Scriptura hoc didicerunt, sed ex suis opinionibus, ut ita dicam, impelluntur*, &c. ergo, &c. & confirmatur ex loco supra citato, ubi negat stellas esse affixas cęlo, sed ipsas moveri; cęlum verò esse immobile; ergo non est nisi unicum.

Respondent aliqui eum loqui de uno cęlo, unitate aggregationis, sicut palatium principis dicitur unum, licèt plures domos includat. Sed, ut verum fatear, difficile est legenti illam homiliæ partem aliter explicare, quàm de unico cœlo exclusa pluralitate.

Respondeo igitur neg. conseq. nam Chrysost. loquitur concionatoriè, non Philosophicè, & ut dicit Scotus, vocat cęlum totum, quod est supra regionem elementarem usque ad Empyreum, & hic locus est contra omnium sententiam; nullus enim est, qui non admittat saltem tres, aut ad minus unum ab Empyreo distinctum, ergo Chrysost. est omnibus aut explicandus, aut in hoc deserendus, & ipsi sunt opponendi alii SS. PP. & loca Scripturæ clarissima. Imo ipsemet loquens de raptu D. Pauli fatetur illum in tertio cœlo fuisse, ergo admisit ad minus tres cęlos.

Objic. 3. nulla est necessitas ponendi plures, quàm tres; ergo, &c. Prob. ant. si esset aliqua necessitas, maximè ob motum 7. Planetarum, sed hæc nulla est; ergo, &c. Prob. min. salvatur motus septem Planetarum, non solùm per fluiditatem cęli medii, aut per canales ejus, si sit solidum, sed etiam per Zonas prægrandes, & particulares pro singulis, quæ sint orbes imperfecti, & quæ moveantur circa cęlum stellatum, ergo sine tanta multiplicatione cęlorum potest servari diversitas motuum Planetarum.

Respondeo neg. ant. 1. argum. n in. 2. & conseq. 3. tum quia non est majus inconveniens multiplicare orbes integros, quam Zonas illas, seu orbes imperfectos, tum quia perinde nobis est, & nihil interest ad nostrum intentum, quod Planetæ singuli habeant suos orbes, seu cęlos ex omni

parte

parte integros, & rotundos, an solùm imperfectos, & per modum Zonæ, modò sint distincti à cœlo stellato, & empyreo, & diversè moveantur.

Objic.4. Si cuilibet Planetæ assignetur cœlum, ut salvetur motus, cœlum Saturni deberet moveri, ut moveatur ille Planeta, sed hoc incongruum est, ergo, &c. Prob. min. iste planeta respectu illius cœli non est sicut gutta respectu totius Oceani, ergo sicut incongruum esset providentiæ Dei velle, ut totus Oceanus moveatur ad movendam guttulam aquæ, ita est de mole cœli respectu stellulæ.

Resp. neg. min. & conf. prob. quidquid sit de antecedente, tùm quia forte illud cœlum non movetur solùm propter stellam, sed etiam ob alios fines providentiæ Dei notos, tum quia incongruum hoc dici non potest, quod sic visum est providentiæ divinæ.

Objic.1. contra 2. par. cœlum stellatum, seu primum mobile movetur duplici motu: sc. ab Oriente ad Occidentem, & rursus ab Occidente ad Orientem, sed hoc repugnat 2. regulæ à nobis positæ, & ipsum sydereum movetur etiam motu trepidationis, ergo cœlum sydereum, & primum mobile sunt duo cœli, propter eamdem rationem adest aliud tertium ab illis duobus distinctum, & sic cœli sunt undecim, aut etiam 12.Prob. ant. ex diversis observationibus modernorum, qui asserunt in primo mobili motum illum retrogradum, quo non conficit nisi unum gradum intra centum annos, item & motum illum trepidationis in cœlo, quod vocant crystallinum, seu aqueum; & glaciale, quod est immediatè supra alios octo, ergo sunt plusquam novem.

Resp. neg. ant. quoad motum retrogradum, quomodo enim observari potuit modus adeo lentus in orbe tàm remoto, per quem non conficitur inter 100. annos nisi unicus gradus? quantùm verò ad motum trepidationis, si non venit ab oculis trepidantibus inspectorum, potest causari in eodem cœlo stellato ab Angelo motore, absque eo quod præterea fingendum sit ullum cœlum particulare, & distinctum.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De differentia cælorum inter se, & ab astris.

SUppono astra esse corpora simplicia lucida, per se mobilia in cęlis, & quæritur hic 1. an cęli ipsi distinguantur inter se specie, an differant saltem ab astris.

CONCLUSIO I.

P*Robabile est cælos mobiles esse ejusdem inter se speciei.* Est communior contra Arist. tenentem cęlos omnes specie, & numero differre.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui dum probat pluralitatem cęlorum, nullam rationem distinctionis, vel differentiæ assignat præter differentias motuum, sed hoc non sufficit ad distinctionem specificam, ergo non differunt specie, maj. patet ex quæst. præcedenti, *alius est motus orbis superioris, & inferioris, quia non simul complent circulum suum, &c.*

Prob. 2. Quia non sunt multiplicanda entia, nec naturæ, seu species sine necessitate, sed hic nulla est necessitas, ergo, &c. min. patebit solutione objectionum.

Objic. unum cęlum est majus alio, diversum occupat locum, diverso motu movetur, & diversa continet astra: sed hæc arguunt diversitatem specificam, ergo cœli differunt specie inter se.

Respondeo neg. min. Hæc enim omnia convenire possunt distinctis individuis ejusdem prorsus speciei, v. g. distinctis hominibus.

Inst. Duo homines non inclinantur ad motus diversos, v. g. Petrus ad motum lentum, aut tardum, & Paulus ad velocem, nec ad situm superiorem, aut inferiorem, nec ad unum, aut alterum ornatum. Sed cœlum unum ex se inclinatur ad motum tardum, ad locum superiorem, & ad tale astrum: aliud verò ad motum velociorem, locum inferiorem, & aliud astrum, ergo illæ differentiæ motuum arguunt diversas inclinationes, & specificam diversitatem.

Resp. neg. min. Nam illi motus veniunt ab extrinseco, sc. ab Angelo motore, & quoad situm, ille venit

[1] *Ibid. & in Report.*

nit à magnitudine, vel parvitate, quæ sunt accidentales, ornatus verò à pura Dei voluntate sic disponente: unde Petrus potest ornari auro, Paulus gemmis, &c. ex natura verò sua specifica, & substantiali, cœli sunt ad hæc omnia indifferentes.

CONCLUSIO II.

COEli *differunt specie ab astris, & ista inter se.* Est communior contra aliquos volentes astra esse partem cœlorum suorum.

Prob. 1. ex Scoto, qui tribuit stellis influxus, & virtutes activas, quas non tribuit cęlis ipsis. Dico, inquit, *quod stellæ habent actionem in hæc inferiora*, &c. non enim est evidentior nota distinctionis specificæ, quàm diversitas operationum.

Prob. 2. Diversitas proprietatum arguit diversitatem naturarum, sed proprietates astrorum differunt à proprietatibus cęlorum, ergo & naturæ illorum. Prob. min. cęli semper sunt super, & circa terram eodem situ, aspectu, & modo, ergo eodem modo semper influerent: Astra verò secundum diversos situs, aspectus, & motus diversè influunt, ut patet de Sole, & Luna, ergo sydera influunt, non autem cęli, aut saltem aliter agunt, quàm cęli.

Confir. hoc ex diversitate figuræ, coloris, & luminis.

Prob. denique ex 2. parte, nam astra inter se differunt specie, ergo & à cęlis. Prob. ant. habent diversa accidentia, figuras, colores, luces, & effectus, sed hæc arguunt manifestam differentiam specificam, ergo, &c. prob. maj. ex omnium consensu, *Saturnus* est frigidus, & siccus, & causat frigiditatem, & siccitatem, *Sol* est calidus, & lucidior, *Luna* albescit, & humida, & frigida est, & sic de aliis.

Objic. 1. Diversitas affectuum non semper arguit diversitatem in causis, ergo diversitas actionum in astris, & cęlis non probat eorum distinctionem specificam, prob. ant. partes corporis humani, aut animalis habent diversas virtutes, & actiones, & tamen specie non differunt inter se: idem est de terra, quæ non ubique fert eadem, *non enim omnis fert omnia tellus*, idem est de aqua, & aere, quæ non ubique alunt eosdem pisces, aut aves.

Res-

Resp. dist. ant. si actiones diversæ veniant ab extrinseco, v. g. à diversis accidentibus, quæ afficiunt agentia ab extrinseco, vel diversis dispositionibus ex parte subjecti, con. ant. 1. argum. & dist. similiter ant. 2. nam 1. partes corporis animantium differunt specie inter se, & sic de aliis multis corporibus. In elementis verò, quæ sunt homogenea, v. g. in terra, aqua, & aere, diversitas actionum, seu effectuum venit ab extrinseco, ab aspectu solis, & syderum, à sexibus, ab impedimentis, & aliis dispositionibus extrinsecis.

Objic. Sequeretur cœlos esse heterogeneos, sed hoc est falsum, & absurdum, ergo astra ab eis non differunt, nec inter se. Prob. min. Cœlum per nos est corpus simplex, ergo non est etherogeneum, nam Etherogeneitas repugnat simplicitati.

Resp. dist. maj. Essent heterogenei, prout ex orbibus, & astris concipitur unum corpus, conc. maj. & neg. min. seorsim ab astris, neg. maj. nam cœlum non dicitur simplex, prout opponitur compositioni ex materia, & forma, aut partibus integrantibus, aut quantitativis, sed prout opponitur mixto, & mixtioni elementari, ut dictum est.

Objic. 3. Nulla est necessitas asserendi astra, velut corpora distincta à partibus cęli, ergo multò magis ea distinguendi specie. Prob. ant. nam si supponatur unum cęlum supremum, immobile, & perlucidum totum, & sub illo aliud magis opacum, multis foraminibus distinctum, & mobile, per quod transpareant partes cęli superioris, secundum quod movetur, habebitur totum, quod prætenditur per illam multitudinem, & diversitatem astrorum: ergo nulla est necessitas ita multiplicandi Astra à cęlis distincta.

Resp. neg. ant. utrumque, nam illa opinio de astris est ridicula, & erronea contra textum clarissimum Scripturæ docentis astra esse vera corpora à Deo facta, & infixa cęlis. Dixit enim Deus, *fiant luminaria* (non foramina) *in firmamento cæli .... ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram .... fecit Deus duo luminaria magna, ... & posuit ea in firmamento cæli*, &c.

CON-

CONCLUSIO III.

Probabile est multas stellas fixas inter se distingui specie, non tamen omnes.

Prob.1 ex Scoto, [1] propter eandem rationem, nam etiam illæ stellæ habent diversos effectus, saltem plurimæ, & si non omnes, saltem non constat de omnibus, nam non solum planetæ, sed etiam alia corpora mixta ad qualitatem convenientem, vel disconvenientem, &c. unde observatur, quòd Planeta ex varia conjunctione cum stellis fixis varios, & contrarios effectus causant, ergo, &c.

Objic. Cuilibet corpori specie distincto convenit motus similiter proprius, & distinctus, sed stellæ fixæ non habent motus inter se distinctos, quia sunt fixæ, & non moventur proprio motu, sed motu cœli sui, ergo non differunt inter se.

Resp. dist. maj. actu, vel aptitudine, & ab intrinseco, con. maj. & neg. min. actu, & ab extrinseco; neg. maj. & conseq. Nam stellæ, quæ diversæ sunt speciei, ex se inclinari possunt ad diversos motus, & fortè habent diversos in propriis epicyclis, sed ab extrinseco, & actu moventur motu sui orbis. Præterea Empyreum est immobile, & tamen distinguitur, unde absolutè negari potest major.

Inst. Sequeretur innumeras multiplicari species sine necessitate, quia sunt innumeræ tales stellæ, sed hoc est absurdum, ergo, &c.

Respondeo. Si omnes differrent, & essent innumeræ, con. maj. & neg. min. quid enim in hoc inconvenientis? nonne hinc Dei appareret potentia, & sapientia? sed de facto non omnes differunt.

Inst.2. Si haberent aptitudinem ad proprios motus diversos, & non sic moveantur, essent in statu violento, sed hoc dici non potest, ad quid enim talis aptitudo, quæ numquam deserviret nisi ad violentiam? ergo non habent proprios motus diversos, ne aptitudine quidem.

Resp. neg. seq. in quolibet ente est duplex aptitudo, & inclinatio, una ad proprium bonum, alia ad bonum universi, hæc posterior præstat priori, & ideo sy-

[1] *Ibid. H. n. 6.*

sydera fixa non patiuntur violentiam in motu illo, quia ad illum inclinantur, ut ad bonum universi.

QUÆSTIO VIII.

De figura, numero, magnitudine, densitate, opacitate, & raritate corporum cœlestium.

JAm supponimus cęlos esse sphęricos, & novem, & inter se distinctos, de partibus eorum, seu de structura sphęræ universæ disseruimus; restant aliqua addenda majoris claritatis gratia.

1. Corpus *sphæricum* est illud, *in quo omnis extremitas paribus radiis à medio attingitur*, in aliis enim omnibus figuris extremæ partes non distant æqualiter à medio. 2. *Densum*, est illud, quod habet multum materiæ in parva quantitate, seu extensione. 3. *rarum* est contra, quod habet parum materiæ in magna quantitate. 4. *opacum*, ut jam diximus, quod ex se non transmittit lucem, & radios visuales. 5. *Diaphanum* è contra, seu *perspicuum*, seu *pervium*, seu *transparens*, quod ex se transmittit lumen, radiosque visuales, omne autem *opacum* est *densum*, sed non omne *densum* est *opacum*, ut patet de christallo, quod densius est ligno, & tamen diaphanum. Advertendum tamen, quod *densum* aliquando sumitur pro *opaco*, etiam à Scoto.

CONCLUSIO I.

C*OEli sunt figuræ sphæricæ*, est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ubique loquitur de cęlis, tanquam de *sphæris*, *orbibus*, & *circulis*, ut cùm dicit stellam non *moveri alio motu*, *quàm motu orbis*, *in quo locatur*.

Prob. 2. ex Scriptura. [2] *Sol occidit*, & *in locum suum revertitur*, *ibique renascens gyrat per meridiem*, *in circuitu pergit spiritus*, & *in circulos suos revertitur*, *gyrum cœli circuivi sola*, unde S. Hieron. invehitur in eos, qui negant cęlum esse undique sphæricum, nam voces *circuitus*, *gyri*, & *gyrandi*, *circuli*, &c. clarè significant figuram integrè sphæricam.

Prob. 2. ex Arist. quia figura sphęrica est prima, simplicissima, perfectissima, & capacissima, ergo de-

[1] 2.d.14.q.2.An.2. [2] Eccl.1.

debet tribui cęlo, quod est corpus primum simplicissimum, &c. Prob. ant. 1. aliæ figuræ constant lineis, sphęrica verò in plano constat unica, & ita est proportionaliter in solidis, & corporibus, ergo est simpliciter, seu magis una. 2. habet suas partes in se collectas, & nihil extrinsecum illi addi potest, quin destruatur, benè verò aliis, quæ constant lineis rectis, quæque terminantur ad aliud. 3. est magis capax, quia nullum habet angulum, sicut cætera, ergo magis convenit cęlo; quod debet continere omnia, hanc sic laudat Cicero: [1] *quid pulchrius figura, quæ sola omnes alias figuras complexa continet & quæque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum in angulis, nihil confracti, nihil eminens, nihil lacunosum*, prob. denique quia nisi essent sphærici, non essent adeò apti ad motum, ergo sunt sphęrici.

Objic. 1. ex Scriptura, [2] quæ videtur potius ipsos æstimare planos ad instar cameræ, aut fornicis. Dicens, [3] *expandit*, Deus, *cœlos sicut tabernaculum ad habitandum, extendit cœlos sicut pellem*, ergo cęli non sunt sphęrici.

Respondeo cum S. August. [4] neg. conseq. *non enim cęlum esse rotundum pugnat cum eo, quod est ipsum habere similitudinem tabernaculi, vel cameræ, sin autem totum sphęricum est, utraque ex parte camera est: nam sicut hæc pars cœli, quæ nos tegit, est quasi camera respectu nostri Hemisphærii, ita cœli altera medietas, quæ tegit Antipodas respectu adversi nobis Hemisphærii, camera est, nec obstat, quod ait David, extensum esse cęlum sicut pellem, nam pellis potest distendi & in planum, & in orbem, ut cernimus in utre, pila, & vesica, &c.*

Objic. 2. Si cęlum esset sphęricum, ita & terra, sed hoc est falsum de terra, ergo & de cęlo. Prob. min. sic enim daretur aliud hemisphęrium nobis oppositum, & homines contra cęlum quasi penderent à terra: sed hæc absurda sunt, ergo, &c.

Resp. neg. min. & maj. prob. Nam homines semper incumbunt, & hærent terræ, sicut centro suo, & sicut id cernimus de nobis, ita est de Antipodis in alio

[1] 2. *de nat. deor.* [2] *Isa.* 4. [3] *Ps.* 103.
[4] *L. de Gen. ad lit. c.* 9.

alio Hemisphærio: terra igitur est rotunda, ut experientia constat apud omnes.

Objic.3. figura firmissima debetur corpori firmissimo, sed cęlum est corpus firmissimum, & figura quadrata est firmissima, ergo hæc debetur cęlo, non autem rotunda.

Respondeo dist.min. cęlum est firmissimum per incorruptibilitatem, con. min. per immobilitatem, neg. min. Ad incorruptibilitatem verò figura sphærica est firmior.

Objic. si cęlum esset sphæricum, stellæ omnes fixæ semper æquè distarent à terra, sed falsum consequens, & contra experientiam, ergo, &c. Min. probatur, nam in orizonte majores apparent, quàm in medio cęlo, ergo, &c.

Resp. neg. min. & conf. prob. Ideo enim majores apparent, non quia propiores, sed propter identitatem medii, nempe vaporum, & aerem crassiorem. Hac igitur de causa sydera crassiora, & quasi propinquiora sunt, sicut accidit nobis, dū utimur perspicillis.

CONCLUSIO II.

Alia etiam corpora cœlestia sunt sphærica. Prob. iisdem rationibus, quibus probatur rotunditas cęlorum: nam hæc etiam corpora sunt simpliciora, perfectiora, & mobiliora, & præterea id patet experientia de Sole, & Luna, de quibus soli cęci dubitare possunt, an sint rotunda.

Objic.1. maculas Lunæ, quæ probant in ea profunditatem, & inæqualitates, ex quibus fit, ut illæ partes minùs appareant, quàm aliæ, & hæ maculæ magis apparent in Luna eclipsata, idem dici poterit de maculis solis, ergo astra non sunt perfectè rotunda.

Resp. neg. ant. sc. maculas illas provenire ex inæqualitatibus, seu concavitatibus, aut gibbositatibus Lunæ, sed à partibus rarioribus ejus, quæ permittunt radios solis pertransire, nec adeo reflecti sicut ab aliis partibus, partes verò densiores magis reflectunt, ut mox patebit ex Doctore, sed de hoc aliàs, certum sit pro nunc eas non provenire ab illis inæqualitatibus.

CON-

CONCLUSIO III.

C*OEli sunt partim Diaphani, & transparentes, partim opaci, idem est de raritate, & densitate.*

Prob.1. tota conclusio ex Scoto. Ponente tres suppositiones. 1. *quod cælum est perspicuum, & transparens, ut patet per experientiam*. Ecce primam partem assertam, & probatam experientia. 2. *quod perspicuitas cæli est difformis, quia, si esset uniformis, partes cæli, à quibus reflectuntur radii solis, non solum reflecterent lucem, sed etiam figuram*, conseq. est contra experientiam, nam Luna reflectit lumen Solis, & non figuram ejus, *& non est causa, nisi difformitas perspicuitatis in partibus Lunæ*. Ecce quod dicebamus de maculis Lunæ, nam talis disparitas est sufficiens causa, cur ab aliquo corpore reflectatur lux, vel color, & non figura, *prob. conseq. quia videmus, quòd corpora uniformia perspicua, sicut est aqua profunda, reflectunt ad modum speculi, non modò lucem, vel colorem, sed & figuram*. 3. *in partibus cæli, ubi est minor perspicuitas, est minor claritas, & ubi est major spissitudo, apparet major claritas .... patet de Luna, ubi Luna est rarior in partibus suis, ibi apparet macula .... Denique perspicuitas cæli est difformis in suis partibus densioribus, &c.*

Prob.2. p. ex eodem, [1] *densior pars orbis est lucida, ut stella, nec potest per eam videri, quod post eam est, imo eclipsat illud, vel aliam stellam, aliæ autem partes orbis sunt luminosæ, & perspicuæ*, ergo cæli non sunt æqualiter, nec integrè perspicui, vel opaci, nec rari, aut densi, &c.

Hinc ergo colligis, orbes saltem maxima ex parte esse diaphanos, & transparentes, quia inferiores non impediunt, quin videantur stellæ, quæ sunt in superioribus, & maximè in primo mobili. Astra verò esse opaca, quia unum inferius eclipsat superius, ut patet de Luna, quæ solem eclipsat, & denique densitatem illorum corporum non esse uniformem, nec ubique æqualem, quod probant maculæ apparentes in Luna.

Quantum ad numerum corporum cœlestium, jam diximus de numero cælorum, & Planetarum, &

[1] 4. *d*.49.*p*.15.*B* & *C*.*n*.3. & 4.

& partium orbium, restat numerare stellas fixas, *sed quis dinumerare posset? suspice cælum*, dicebat Dominus ad Abraam, [1] *& numera stellas, si potes*, & Jeremias, [2] *sicut enumerari stellæ cæli non possunt, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen David*. Nam principaliores, & grandiores numerantur quidem ab Astronomis 1022. in sex magnitudinum classes distributæ, sed præter istas insunt innumeræ minores, quæ in dies per meliora instrumenta deprehenduntur. Recentiores igitur Astronomi consulantur, dum ad alia properamus.

QUÆSTIO IX.

De aliis accidentibus, & qualitatibus corporum celestium, de colore, calore, gravitate, de Luce, De Galaxia, seu via lactea.

HÆc omnia breviter expediemus, & quantum sufficit Philosopho.

CONCLUSIO I.

QUantitas reperitur in corporibus cælestibus, est communis.

Prob. Quia sunt corpora extensa cum impenetrabilitate, & figurata, ergo & quanta, nam illa extensio, & impenetrabilitas, & figura sunt ad minus proprietates quantitatis. Habent etiam densitatem aliqualem, raritatem, saltem comparativè, opacitatem, & transparentiam, ut mox probatum est, ergo, &c.

CONCLUSIO. II.

COrpora cælestia non habent formaliter qualitates elementares, nec primarias, nec secundarias.

Prob.1. ex Scoto. [3] *Ratio, quare Sol virtualiter calidus non potest fieri formaliter calidus, non est, quia est virtualiter calidus, sed quia caliditas est qualitas sensibilis, quæ non est nata esse nisi in corpore mixto, corpus enim Solis, quia non est corpus sic mixtum, & compositum, non potest recipere formaliter calorem*, &c. Idem est à fortiori de aliis qualitatibus, ergo, &c.

Prob.2.

[1] *Ge.15.* [2] *Jerem.33.* [3] *2.d.25.G.n.19.d.19.q.15.*

Prob.2. primariæ qualitates sunt calor, & frigus, siccitas, & humiditas, secundariæ verò sunt qualitates provenientes ex varia mixtione primarum, ut sunt sapores, colores, odores, &c. & dicuntur elementares, quia sequuntur substantiam elementorum, aut ex illis constantium: sed cœlestia corpora non sunt elementaria, sed alterius naturæ superioris, ac perfectioris, & simplicioris, ergo non subsunt talibus qualitatibus, quod si non subsunt primis, longè minus secundis, quæ constantur ex illarum mixtione, ut de coloribus docet Scotus. [1]

Objic.1. Sol est calidus, Luna frigida, & humida, Saturnus siccus, & frigidus, &c. ergo habent primas qualitates.

Respondeo, ut jam diximus, dist. ant. virtualiter, & eminenter con. ant. formaliter, neg. ant. producunt illas qualitates, quas in virtute sua continent, non in se formaliter.

Objic.2. astra apparent colorata, alioqui non viderentur, & per colores discernuntur inter se, ergo cęlestia corpora habent qualitates elementares, saltem secundarias.

Prob. ant. Saturnus est plumbeus, Juppiter flavus, Mars rubeus, Sol aureus, Venus etiam flava, Mercurius similis argento vivo, & Luna argentea, & denique cęlum cęruleum, seu Saphirinum.

Resp. neg.1.ant. & dist.2. cernuntur sic colorati secundum apparentiam, conc. ant. secundum colores veros, neg. ant. illi ergo colores apparent propter diversam mixtionem lucis cum opacitate corporum, quoad cęlum verò cernitur cęruleum ex debilitate visus.

CONCLUSIO III.

IN cœlis non est levitas, nec gravitas.

Prob. Quia gravitas est principium motus deorsum, & levitas sursum, sed cęlis non competunt hi motus, ergo nec illæ qualitates.

Confir. uni corpori simplici non convenit nisi motus unus, sed cęlum est corpus simplex, cui convenit motus circularis, ergo non convenit illi motus rectus, qualis est sursum, aut deorsum, ergo nec illi convenit gravitas, aut levitas.

CON-

[1] *A.n.2.*

CONCLUSIO IV.

COEli, excepto Empyreo, ex se non sunt lucidi. Planetæ lucem præcipuam habent à Sole, stellæ autem fixæ lucent de suo.

Suppono ex Scoto, [1] & ex dicendis suo loco, lucem, & lumen distingui, lux enim est forma illa, quæ reperitur in corpore lucido, ut in Sole, igne, &c. lumen verò est radius, seu species lucis immissa per medium, v. g. in aere, aut in termino, & re illuminata, v. g. in terra, & iste radius est triplex, *rectus*, *reflexus*, & *fractus*. Radius *rectus* est ille, qui causatur immediatè à luce, in medio, & recta via pergit, quantùm durat virtus corporis lucidi, ut lumen causatum in cubiculo à luce candelæ. *Reflexus* est ille, qui, occurrente corpore opaco, antequam terminetur virtus corporis lucidi, reflectitur in partem oppositam, quia agens naturale agit in directum, quantum potest, & cùm impeditur, agit in obliquum. *Fractus* est, qui, occurrente medio alterius diaphaneitatis, multiplicatur in illo medio, non secundum lineam rectam, sed incidit ibi angulus.

Lux autem in genere est qualitas ex se visibilis independenter ab alia qualitate, quæ non sit species visibilis ejus, & consequens ad naturam subjecti sui, ita ut connaturaliter non possit destrui, aut produci nisi eo destructo, aut producto. Dicitur 1. *ex se visibilis*, & sic distinguitur à coloribus, qui non videntur sine luce, 2. *independenter ab alia qualitate*, &c. quia nulla qualitas alia videri potest sine ista, aut sine specie illius. 3. *consequens ad naturam subjecti*, ut distinguatur à lumine, quod est quidem per se visibile, sed in alieno subjecto, quia non sequitur ad naturam subjecti: v. g. aeris, in quo est. Quod autem sit qualitas, non substantia pro nunc supponitur ex Scoto, probabitur aliàs.

Prob. conclusio quoad 1. partem. 1. ex Scriptura: nam Deus creavit cęlum, & terram ante lucem, & tunc *tenebræ erant super faciem abyssi, dixitque Deus, fiat lux*, ergo Lux creata est in cęlis velut quid distinctum, &

[1] *2.d.13.q.un.*

& deinde collegit eam in corpora luminosa, dicens: *Fiant luminaria in firmamento cęli, fecitque duo luminaria magna ... & stellas, & posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram*, ergo non cœli, sed stellæ, & sydera lucent.

Prob.2. Quia si cœli essent luminosi, lucerent nobis, & terram illuminarent: sed hoc est falsum, & contra experientiam, ergo, &c.

Prob.2.p. ex eodem dicente [1] quòd *forma illuminans Lunam, lumen est, & non lux*, quia non est corpus terminatum in Luna, & tamen est species sensibilis lucis, ergo Luna de suo non lucet, sed ex lumine veniente ab extrinseco, sc. à Sole.

Prob.2.experientia. Nam lucet difformiter secundum accessum, vel recessum ejus à Sole, & cum nullo modo respicitur à Sole propter interpositionem terræ, totaliter eclipsatur, & idem de aliis Planetis, qui quò magis accedunt, & aspiciuntur à Sole, eò sunt lucidiores; & ideò Sol in medio aliorum ponitur, ut singulos illuminet.

Prob. denique de stellis fixis 1. quia quæ sunt altiora Sole, & à tergo Solis non possunt illuminari à Sole, quia Sol est opacus à tergo, seu à parte superiori, nec potest illuminare, nisi ea, quæ aspicit: sed stellæ fixæ apparent à tergo Solis, & illas non aspicit, ergo non lucent ab eo, sed à se ipsis. Prob. min. experientia. Nam si in meridie aspicias in altum puteum, ibi apparent stellæ illæ, ergo videntur à tergo Solis.

Dixi autem, *Planetas lucem principalem sumere à Sole*; non enim negarem, quin de se corpora illa sint aliquatenus luminosa, ut colligitur ex Luna, quæ in eclipsi apparet semper in tota figura sua cum aliqua luce. Idem est in crescente eadem Luna: nam licèt quoad partem, in qua respicit Solem, & ab eo recipit lumen, appareat lucidior, & cornuta, tamen reliqua pars illius sphęræ semper aliquatenus apparet, ergo signum est eam de se esse aliquatenus luminosam, & ita est de cæteris Planetis, & quidem à fortiori, quia observant Astronomi, quòd superiores magis apparent lucidi, dum Sol est in auge, & propinquior illis, quàm cum est in opposito augis, & remotior.

[1] 2. d. 75. G. n. 6.

Quantum ad *Galaxiam*, seu *viam lacteam*, est Zona quædam inæqualis in latitudine, variisque modis obliquata, & intersecta, totum cœli orbem ambiens, quę græcè dicitur *Galaxia*, latinè *via lactea* propter candorem (*circulum maximum* vocat Aristoteles) incipitque à pedibus *Geminorum*, in ipsosque regyrat per principium Sagittarii, pluresque Asterismos complectitur, & per multas imagines extenditur, v. g. per *Castropeiam*, *Egenum*, *Aquilam*, *Scorpionem*, &c. quandoque duplicatur, sed semper invariata permansit, nec à stellis fixis, quæ plures ibi reperiuntur, unquam mutavit aspectum, movetur ad motum cœli stellati.

Circa naturam hujus circuli variæ sunt opinio- „ nes. Quidam inter meteora illum reponunt, „ ut Arist. quia stellæ, cum apparet Galaxia, attrahunt „ ad se exhalationem calidam, & siccam inflamma- „ bilem, quæ posita inter illas stellas, & visum no- „ strum, vel per inflammationem ab illis stellis, vel „ per refractionem luminis earum facit apparere „ talem claritatem, &c. sed contra arguit Scotus, [1] 1. non videri possibile tantas exhalationes elevari posse à terra, quæ faciant tantum circulum, tantamque claritatem. 2. quia claritas hujus circuli semper apparet æqualis, si verò esset meteorum, appareret modò densior, & obscurior, modò clarior juxta qualitatem, & quantitatem exhalationum.

Alii putant esse partes adustas ab astris per eas partes cœli olim discurrentibus: sed hoc fabulosum est, alioqui Zodiacus, per quem Sol continuò discurrit, esset longè adustior.

Scotus denique, omissis aliis opinionibus, putat id apparere, quia perspicuitas cęli est difformis in suis partibus densioribus, unde apparet major claritas propter incorporationem, & reflexionem intensioris luminis, modò partes cœli, in quibus apparet *Galaxia*, sint densiores aliis partibus, cujus rei signum est, quia ibi est major multitudo stellarum.

Cum hac opinione convenit illa, quæ dicit viam lacteam in cœlo stellato esse ex congerie quadam stellarum, quæ omnes ob parvitatem, & distantiam, & visus

[1] *L.1.Mete.q.20.a.1. n.5.*

visus imbecillitatem non discernuntur, sed simul congregatæ illam partem cœli clariorem reddunt, & albicantem, & ad id juvat major opacitas cœli in illis partibus, unde fit aptius ad refundendum lumen.

Sol est fons luminis,& nitidissimus, & tamen in eo apparent quædam maculæ, velut nubeculæ dissimilis figuræ, ac magnitudinis, modò majores, modò plures, modò pauciores, ut observarunt peritissimi Astrologi, quibus credendum in rebus artis suæ, alioqui certè dicerem, tales maculas deprehendi ex visus debilitate, & nimia Solis claritate, qua perstringuntur oculi intuentium. Si ergo Astrologis credendum est, probabiliter dici potest eas maculas venire à quibusdam stellulis, quæ circa illum volvuntur, & velut asseclæ comitantur Planetarum Regem, quæque dum diversimodè moventur in Epicyclis, sic causant hujusmodi umbras inter nos, & Solem, secundum diversas illorum uniones, & motus.

Quidam dixerunt, corpus solare esse liquidum velut metallum, seu aurum liquefactum, & ebulliens, ex quibus ebullitionibus oriuntur inæqualitates, & aliquales umbræ, propter partes aliquot opacas, quæ virtute ebullitionis ad partes externas deducuntur identidem, sed nos, qui tenemus corpus solare penitus solidum, non possumus approbare hujusmodi causam. Maculas Lunæ diximus ex Scoto nasci ex inæquali raritate, & densitate corporis ejus, unde fit, ut partes aliquæ lucidiores appareant præ aliis.

Denique scintillationes, quæ deprehenduntur tàm in Sole, quàm in aliis syderibus præter Lunam, puto provenire partim ex oculorum nostrorum affectione, aut ex mediorum alteratione, sicut accidit aliquibus, dum aspiciunt lucem, aut objecta valde lucida, aut illuminata.

QUÆSTIO X.

De motu corporum cælestium, an, & qualis sit.

JAm diximus sydera tam fixa, quàm errantia, seu planetas moveri motu cœlorum, in quibus existunt, sed videndum restat de motu ipsorum orbium, & etiam

etiam syderum, si quem habeant sibi proprium, præter motum suorum cœlorum, præcipuè à quo veniant illi motus, an ab intrinsecis illorum formis, an verò ab aliqua forma extrinseca, & assistente, quales sunt Angeli, item an illi motus sint naturales, aut violenti. De cœlo Empyreo non disputatur, omnes enim fatentur, illud esse fixum, & prorsùs immobile; quæstio est de aliis, & desyderibus.

CONCLUSIO I.

C*OElos moveri, non terram certius est in fide, et bona Philosophia*. Est communissima contra veteres quosdam, & paucos recentiores, qui post Copernicum, & Cartesium putant Solem esse in centro mundi, & terram moveri circa ipsum.

Prob.1.ex Scoto [1] sæpè citato, quia, inquit, *nulla stella habet proprium motum localem, idest, non movetur motu alio, quàm motu orbis, in quo locatur*, &c.

Prob.2.ex Scriptura, quæ describens mundi creationem notat successionem dierum, & noctium ante creationem Solis, deinde expansum firmamentum, seu cœlum, in quo Sol, & Luna posita sunt, & utrumque dicit lucere non sub terra, *sed super terram*. [2] Item [3] *Deus fundavit terram super stabilitatem suam, non inclinabit in sæculum*, item [4] *terra in æternum stat, oritur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur*. Item *in diebus ipsius*, [5] Josue, *retro redit Sol*; item [ ] *reversus est Sol decem lineis*, ergo Sol non est immobilis, ex Scriptura. Sed juxta fidei principia movetur circa, & supra terram.

Confirm. quia contraria opinio Copernici, & Galilęi legitur damnata per S. Congreg. Inquisitionis generalis, anno 1666. & est contra torrentem Doctorum, tàm Philosophorum, quàm Theologorum.

Prob. 3. ratione. Ex opposita sententia non potest salvari, quomodò Planetæ accederent ad se invicem per quemcumque motum terræ iisdem immotis. Imò nec per quemcunque unicum motum cœli, unde, ut hęc salventur, recurrendum ad fluiditatem cœli, vel ad flui-

[1] 2.*d*. 14.*q*.2.*A*.*n*.1.[2]*Gen*.1.[3] *P*,103.
[4] *Eccl*. 1. [5] *Eccli*.48 4. [6] *Reg*. 20.

fluiditatem cœli, vel ad canales in singulis, vel ad multiplicitatem eorum, ut diximus, ergo in bona Philosophia sicut multiplicantur cœli pro stellis errantibus, ita & admittendus est motus cœlorum.

Alias rationes, & objectionum solutiones videbis apud curiosos, & Astronomos; nos solidiora vocant.

Prob.4 ex absurdis, & experientiis: nam si terra moveretur circa cœlum ab ortu ad occasum, sequeretur 1. quòd lapis projectus sursum recta non posset recidere in eundem locum, unde projectus esset: sed consequens est falsum, & contra experientiam, ergo & falsum est terram moveri. Prob.maj. Motus ille esset rapidissimus, quandoquidem tota circulatio fieret intra 24. horas diei naturalis, & sic dum lapis ascenderet, & descenderet, alia longè pars terræ succederet illi, ex qua projectus esset lapis; ergo vel lapis non posset projici, & recedere linea recta, vel non posset recidere in eandem partem terræ.

Confirm. alia experientia, vel absurdo. Quia si duo currerent eadem velocitate per duas leucas, unus ab oriente ad occasum, & alter ab occidente in orientem, primus longè citiùs conficeret leucas, quàm secundus: sed consequens est absurdum, & contra omnes rationes, & experientias, ergo & ant. Min.patet. Nam eadem velocitate motus debet confici equale spatium. Prob.maj. Primus ille moveretur simul cum terra, quæ supponitur etiam declinare ad occasum, & quidem rapidissimè, alter verò solo proprio motu, imò renitente terra, quæ in contrarium retraheret, ergo, &c.

Objic. pro Copernico. Si quid probaret motum Solis, maximè progressus ejus ab oriente in occasum, sed ille motus non est verus, ergo Sol non movetur, sed terra. Prob. min. Sol est centrum mundi, ut in omnes partes ejus influat, ergo est immobilis, quia immobilitas est proprietas centri, & quia immobilitas decet ens perfectius, qualis est Sol.

Resp. neg. min. utramque, & rationes secundæ. Nam Sol commodiùs influit decursu circa terram, & cætera elementa, & locus sursum, sicut & ille motus est nobilior loco centri, quod ex gravitate, & in activitate jacet immobile, nec enim immobilitas

localis, est perfectio per se, & præcisè.

Objic. 2. Supremum cœlum dicitur firmamentum ab immobilitate, ergo illud est immobile, ergo & cæteri, nam Scriptura idem nomen cunctis tribuit, sicut & nomen cœli. *Vocavit Deus firmamentum cœlum*.

Resp. neg. conseq. nec enim nomen *firmamenti* cogit, ut stare putemus, inquit S. August. [1] *Firmamentum enim non propter stationes, sed propter firmitatem*, &c.

Objic. 3. Si cœli moverentur circa terram, Planetæ semper æquè distarent ab illa: sed conseq. est falsum, ergo & ant. Min. patet experientia. Prob. maj. Moverentur, ut circuli circa centrum, ergo semper æquè distarent, ergo, &c.

Resp. neg. maj. & ant. prob. Nam, ut diximus, omnes orbes, qui moventur circa terram, non sunt ei concentrici, sed dantur plures excentrici, aut secundum quid, aut simpliciter.

CONCLUSIO II.

O*Mnes cœli excepto Empyreo moventur motu unico primi mobilis ab Oriente in Occidentem*, *sed non eadem velocitate*.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [2] quòd motus diurnus, quem conficiunt omnes cœli intra 24. horas, est proprius alicujus alterius corporis, quàm firmamenti, seu stellati, & quidem superioris .... *erit ergo aliquod mobile*, *quod uniformiter movetur motu diurno*, illud est *superius cœlo stellato*, ergo cœlum stellatum, & alii inferiores moventur illo motu. Dico *illo motu*, si ab *Oriente in occasum*. Sed non puto, quòd motus primi mobilis sit unica causa efficiens motus aliorum, quia singuli habent suam intelligentiam motricem: & non sunt continui, sed contigui tantùm illi primo mobili, contigua autem non sic se movent necessariò.

Prob. 2. ex omnium sententia asserente dari primum unum cœlum, quod dicitur mobile, quia movet alios, & id prob. nam in omni genere debet dari aliquod primum, quod sit mensura cęterorum, ergo in ge-

[1] 2. *de Gen. ad lit. c.* 10. [2] 3. *d.* 14. *q.* 2. *An.* 2.

genere motus admittendum est primum mobile, & primus motus, quo mensuratur motus cæterorum orbium.

Prob.3.experientia,qua constat,stellas omnes ascendere ex oriente supra nostrum orizontem, & inde ad occasum descendere, & rursum renasci ad Orientem, & hoc spatio 24. horarum, sed ille motus non potest esse nisi à primo mobili, ergo ita est de facto.

Dixi, *non eadem velocitate:* nam ut dicebamus, primum mobile conficit totum circulum 24.horis, cæteri verò paulò tardiùs,& in hoc etiam inæqualiter singuli ab eo superantur,ut patet ex supputatione astronomorum, & ex ea inæqualitate motus, quoad velocitatem fiet, ut aliquibus tardiores videantur motu altero retrogrado, sc. ab occasu ad Orientem moveri, quamvis id naturaliter sit impossibile, sc. idem mobile duobus motibus contrariis, seu ad terminos oppositos moveri.

Objic.Si omnes cœli eodem motu moverentur, astra omnia semper apparerent in eadem distantia à terra, & inter se: sed consequens est contra experientiam, ergo & ant. Prob. min. Videmus enim, Planetas sive inter se, sive cum stellis fixis, sive cum terra modò propiores, modò remotiores, & diutiùs apparere in hemisphœriis, ergo, &c.

Resp. neg.seq. maj. Nam illa inæqualitas salvatur ex inæqualitate celeritatis, & ex eo, quod non omnes cœli sint æqualiter concentrici. Unde Luna tardiùs movetur, quàm Sol, ideò non apparet semper in eodem puncto, & aspectu cum illo; inde etiam fit, ut respectu ejus videatur aliquo modo retrogradi, dum ille currit ad occasum.

CONCLUSIO III.

MOtus cœlorum non est ab intrinseco, seu à propria forma, sed ab intelligentia. Est etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, cœlos non esse animatos propria forma essentiali, sed quòd Philosophus [1] *ubicumque vocat animam cœli, exponatur* (de ani-[illegible]) *quantum ad conditionem, qua anima est motrix,* [illegible]*a est forma, & illa anima est intelligentia pro-*

[1] *ibid. q.1. B.n.13.*

pria motiva hujus orbis conjuncta huic, & motrix propria, ergo, ex Scoto, & Arist. cœli non moventur à propria forma informante, sed assistente.

Prob.2. ex Script. id non leviter significante, dum dicit, [1] *sub quo curvantur, qui portant orbem*, id. Angeli, & [2] *virtutes Cœlorum movebuntur*, quod de Angelis intelligunt cōmuniter SS.PP.& Expositores.

Prob.3. ratione. Cœli moventur, ut probatum est; ergo ab aliquo, sc. vel à propria forma intrinseca, vel aliquo motore extrinseco. Sed non moventur ab intrinseco, ergo ab extrinseco motore. Prob. subsumptum. Moveri à se localiter est proprium viventium: sed cœli non vivunt, ut probatum est, ergo non moventur à seipsis.

Quòd autem ille motor sit Angelus, probatur. Quia nullum agens corporeum posset sic movere tantas machinas tanta constantia, & uniformitate: nam repateretur ab illis, defatigaretur, & facilè deficeret, ergo nequit ille motus esse, nisi à substantia spirituali impassibili, & infatigabili, quales sunt Angeli.

Dices, ad hunc motum sufficere Dei voluntatem, & concursum absque multiplicatione agentium, ergo non movetur ab intelligentia.

Resp. neg.conseq. Nam, licèt Deus se solo posset efficere omnia, quę fiunt per causas secundas efficientes, tamen non facit se solo: ita est in proposito, & id magna cum sapientia, ut sc. terrena cœlestibus subjicerentur, & cœlestia spiritibus item cœlestibus, & spiritus Deo.

Objic.1. Cuilibet potentiæ naturali passivæ correspondet naturalis activa, ex Philosopho [3] sed in cœlis est potentia naturalis passiva ad motum localem, ergo debet illis competere similis activa ad eundem: sed talis non potest esse Angelus, ergo Angelus non movet cœlos. Prob. subsumptum. Angelus non est potentia proportionata enti corporeo; non est naturalis, sed potiùs innaturalis propter disproportionem.

Resp.neg.subsumptum, & rationem ejus. Quia, ut dicebamus, movendæ tantæ machinæ tamdiù, & tam regulariter non exigitur motor minoris virtutis intelligentiæ, & infatigabilitatis, quàm An[illegible]

[1] *Job*.9. [2] *Luc*. 21. [3] *L*.1. *de An*. c.5.

nec nocet illa disproportio corporeitatis, & incorporeitatis: nam illa non impedit, ne homo ex utraque substantia componatur, ergo nec ut corpus ab Angelo moveatur.

Objic. 2. Si formæ cœlorum non influerent in motus eorum, essent inutiles: sed conseq. est absurdum, ergo formæ cœlorum influunt in motum illorum. Prob. seq. Formæ aliorum entium influunt in motus, & operationes illorum, & non videtur, ad quod juvarent, si non influerent in motum adeò necessarium, ergo & istæ, quæ videntur perfectiores, sicut sunt sublimiores, & simpliciores.

Resp. neg. seq. maj. & ant. prob. quoad 2. partem, in & absolutè. Nam formæ cœlorum obeunt alia munia, nec sunt otiosæ, licèt non influant in motum localem, & alia entia non viventia non magis moventur localiter ab intrinseco, cœli autem non vivunt.

Inst. Formæ elementorum influunt in motus eorum sursùm per levitatem, & deorsùm per gravitatem, ergo & formæ cœlorum debent influere in motum circularem. Prob. conseq. Quia formæ cœlorum sunt perfectiores elementaribus, ergo à fortiori debent influere in eorum motus.

Resp. neg. conseq. Nam gravia, & levia moventur à propria gravitate, & levitate ad centrum, quandò sunt extra illud: cœli non sunt extra locum sibi connaturalem, nec acquirunt ullam perfectionem intrinsecam per illum motum, qui ordinatur quidem ad bonum universi, sed non ad bonum proprium, ideò non est opus, ut à propria forma proveniat.

Objic. 3. Deus immediatè per se gubernat mundum, ergo & se solo immediatè movet cœlos; ille enim motus maximè facit ad gubernationem mundi.

Resp. dist. ant. Immediatè, & se solo gubernat quantum ad dispositionem, & directionem, conc. ant. quantum ad executionem, nego ant. & conseq. Nam executiones dispositionum, & decretorum suorum committit ordinariè causis secundis, & maximè Angelis, qui sunt *administratorii spiritus missi in ministerium propter homines*, & hoc sapienter: nam,

ut inquit S.Th.[1] *si solus Deus gubernaret, subtraheretur perfectio causalis à rebus, unde totum non fieret melius per unum, quod fit per multa.*

CONCLUSIO IV.

Coeli singuli habent suum motorem Angelum. Prob.1. ex Scoto dicente, quòd illa anima assistens, & motrix cœli *est intelligentia propria motiva hujus orbis, conjuncta huic, & motrix propria, talis non est, nisi unica unius*, ergo ex Scoto, cuilibet cœlo assistit sua intelligentia, & *propria motrix*, non communis, *motiva hujus, & conjuncta huic, non alii, & unica unius, non unica pro omnibus.*

Prob.2. Quia Angeli virtus est limitata; ergo non est probabile ad movendas omnium cęlorum machinas immensas, syderum zonas in tanta motuum varietate unius Angeli virtutem sufficere posse.

Confirm. Quia singulis hominibus assignatur suus Angelus custos, imò singulis Regibus, provinciis, urbibus, templis, &c. ergo à fortiori singulis cœlis.

CONCLUSIO V.

Motus cœlorum non est violentus, nec naturalis, sed neuter. Est Scoti, & aliorum contra Thomistas volentes, illum esse naturalem.

Prob.1. ex Scoto, [2] qui approbat ex Avicenna, quòd *motus cœli nõ est naturalis, quia terminaretur ad quietem naturalem, & motus ab illa quiete esset violentus, & hoc accipiendo naturalitatem propriè, sicut illud dicitur moveri naturaliter, quod inclinatur naturaliter ad motum.* Et alibi apertè docet, [3] quòd *motus cœli non est naturalis, nec violentus*, &c.

Prob. 2. ratione ejusdem. Motus ille dicitur *naturalis*, ad quem positivè inclinat mobile, inquantum per illum tendit ad quietem; *violentus* è contra est ille, à quo aversatur positivè mobile, inquantum amovetur à sua quiete: sed cœli nec inclinant, nec aversantur positivè ab illo motu, ergo non est nec naturalis, nec violentus. Prob. min. Si cœlum inclinaret ad motum illum propter quietem, id faceret, & illam

[1] *p.* 1. *q.*103. *a.*6. 2. [2] 2. *d.*2. *q.*6. *Q. n.*16.
[3] 4. *d.*48. *q.*2. *E. n.*6.

& illam vel acquireret aliquando, vel nunquam, ergo ille motus esset semper violentus, & inclinatio esset frustrà; quia cœlum semper esset extra quietem, & nunquam appetitus ejus posset quiescere, & satiari. Si aliquando acquireret, ergo exinde motus esset violentus, quia esset contra appetitum quietis, & eos privaret illa quiete.

Idem argumentum currit, si motus dicatur violentus: nam (inquit Scotus) cessatio motus, seu acquisitio termini esset naturalis, ergo & naturaliter moveretur ad terminum, & sic idem motus esset naturalis, & violentus simul.

Prob. 3. Si motus esset naturalis cœlo, deberet habere in se virtutem acquisitivam ejus, ut est in omnibus aliis entibus: sed ex adversariis cœlum non movetur ab intrinseco, sed ab extrinseco, ergo non est naturalis.

Confirm. Quia motus naturalis tendit ad commodum, aut perfectionem ipsius mobilis: sed cœlum ex suo motu nullum acquirit sibi commodum, aut perfectionem, ergo non est naturalis. Major patet inductione aliorum omnium mobilium, v.g. de gravium, & levium, quæ moventur ad centrum, in quo quiescant. Prob. min. Non potest assignari commodum, vel perfectio, quæ acquiratur cœlis ex illo motu, & prætereà non posset dici, cur non æquè perficerentur motu ab occasu ad orientem, quàm ab oriente ad occasum, ergo nullam perfectionem, vel commodum inde acquirunt cœli. Est ergo neuter, quia cœlum est ad illum indifferens, sc. nec ad illum inclinatur, vel aversatur positivè, sed negativè, & indifferenter se habet ad illum.

Objic. Omne corpus physicum habet in se principium motus, imo & lationis: sed cœlum est corpus physicum, ergo habet in se principium motus, & lationis. Prob. maj. Illud principium sequitur naturam: sed omne corpus physicum habet naturam, ergo & principium motus, & lationis alicujus.

Resp. dist. maj. Principium positivum, & activum, aut indifferens, aut passivum, conc. maj. & conseq. positivum, & activum, nego majorem, & conseq. & similiter ad probationem. Ad naturalitatem enim sufficit indifferentia passiva ad moveri, qualis est in

cœlis, & certè ipsi adversarii non prætendunt, hunc motum esse naturalem, prout naturale opponitur violento, quasi verò quies esset violenta cœlis, *sed prout cœlum est capax recipiendi talem motum, ut neque formæ repugnet, licèt illi congruat, quamvis eum non exigat necessario, ut si denegetur, ulla fiat ei violentia*, & in hoc sensu vix erit controversia, nisi de nomine, & certè ille motus est verè neuter.

Objic. 2. Violentum est, cujus principium est extrà (ex Arist.) sed principium motus cœli est extra illud, ergo est violentus. Prob. min. Est ab intelligentia, ergo est ab extra.

Resp. neg. maj. Non enim extraneitas motus, aut principii ejus est tota causa violentiæ, requiritur præterea, ut *conferat vim passo*, quod fit, dum renititur mobile, & motus est contra inclinationem positivam ejus. Angelus autem non infert hanc violentiam cœlo, nec istud aversatur positivè talem motum.

CONCLUSIO VI.

M*Otus cœli est regularis, & uniformis*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *orbis in se uniformis est, & motus orbis uniformis*.

Prob. 2. Motus est regularis, quandò res movetur æquali tempore, & est uniformis, quandò partes ejus moventur æquè velociter, sicut dicitur irregularis, quandò res movetur tempore inęquali, & quandò partes ejus nō moventur æquè tardè, aut velociter, sed motus cęli est æqualis utroque modo, ergo est regularis, & uniformis. Prob. min. experientia. Nam 1. mobile, v.g. semper circulum perficit 24. horis, idem est de Sole, quoad cursum diurnum, & annuum, idem de Luna, &c.

Confirm. Nam absque ulla regularitate, & uniformitate non possent Astronomi tàm certò prævidere eclipses, quoad horam, aut diem, neque cæteras constellationes, ergo &c.

Objic. Cœli omnes non transeunt æquale spatium, ergo motus eorum non est regularis, nec uniformis.

Resp. neg. conseq. Regularitas enim, & uniformitas non attenditur ex æqualitate spatii, & circulorum, aut

[1] 2. *d.* 4. *q.* 3. *princ.*

aut etiam velocitatis omnium inter se, quia certum est, circulos esse majores, & minores, & aliquos moveri velociùs, & alios lentiùs, sed attenditur in singulis secundum proprios motus.

Objic. 2. Si moverentur uniformiter, & regulariter, non evenirent eclipses: sunt enim irregulares, ergo, &c.

Resp. neg. seq. & rationem ejus. Nec enim veniunt ex irregularitate motuum, sed ex differentia, & inæqualitate orbium. Imò, licèt raro eveniant, regulariter tamen eveniunt.

CONCLUSIO VII.

Motus cęli non sic causant sublunares, ut illis cessantibus, deberent cessare isti. Est communior contra Philosophum, & Thomistas dicentes, quòd cessante 1. motu impossibile est esse aliquem inferiorem.

Prob. 1. [1] ex Scoto, qui negat illam Philosophi assertionem, *nec valet illud*, inquit, *quod enim est primum solum secundum eminentiam, & non essentialiter respectu aliorum, non oportet, quòd, ipso destructo, alia destruantur*, imò addit, quòd iste articulus fuit condemnatus. *Cessante primo motu, tunc nullus alius erit motus*. Et addit, quòd, quamvis non esset condemnatus, non desineret esse falsus, & sine fundamento, *nam, licèt, quando est motus in his inferioribus, non posset esse, nisi in habitudine ad cœlum, non tamen, ut ad primam causam moventem: imò eamdem habitudinem habet ad cœlum quiescens, sicut prius habebat ad cęlum movens*.

Prob. 2. ex eod. Quia tempore Josue erat motus hominum, & istorum inferiorum, quandò Sol stetit, & tamen tunc (sicut potest probabiliter dici) nullum corpus cœleste movebatur, ex quo corpus Solis, quod est in cœlo nobilissimum, stabat, ergo motus cęli non sic causant sublunares, ut isti cessare debeant, illis cessantibus.

Prob. 3. ex eodem. Nam motus per se est quid respectivum, ergo per se non est activus, & nulla est ratio, cur ignis debitè applicatus stupæ non combureret eam, immoto cœlo, æquè ac ipso movente.

Objic.

[1] *ib. fin. & in Rep.* 3. *d.* 48. *q.* 2. *n.* 16. *& d.* 14. *q.* 3. *n.* 6

Objic. 1. Omnis motus reducitur ad aliquod primum principium immobile, v. g. omnis actio generativa, alterativa, & loco motiva, ergo cessante primo mobili cessarent omnes motus.

Resp. neg. conseq. Nam licèt motus illi penderent à cœlo, adhuc istud posset influere sine motu. 2. Deus posset aliter supplere illum influxum, etiamsi penderet à motu cœli, quandoquidem non cessarunt motus militum Josue, dum Sol, & cœli steterunt.

Objic. 2. Ubi nequit esse generatio, nequit esse alteratio, vel alius motus physicus, sed cessante motu cœli nequit esse generatio, ergo nec alius motus. Maj. patet. Quia alii motus sunt propter generationem. Prob. min. Non potest dari generatio, si non adsit agens producens gradum corporis generabilis: sed cessante motu cœli non aderit tale agens, ergo nec generatio.

Resp. neg. min. utramque. Nam motus præcisè non est agens, nec virtus activa talium effectuum, sed pura conditio, ut diximus, & quamvis, cessante motu, non producerentur illi effectus in illis locis, super quæ non moveretur cœlum ad applicationem actionis, possent alibi agere, deinde posset Deus supplere influxum cœli, &c.

QUÆSTIO XI.

De influxu cœlorum in hæc inferiora.

Nullus dubitat, quin cœlestia corpora concurrant cum causis sublunaribus, & multa influant, unde communiter dicitur post Philosophum, quòd *Sol, & homo generant hominem*, & experientia docet, quòd, accedente Sole, omnia hæc terrena fiunt ad generandum vegetiora, ut in vere, & æstate, & è contra languescunt, & sterilescunt eo recedente in autumno, & hyeme, quæ autem, & quomodò id faciant, dicam his conclusionibus.

CONCLUSIO I.

Astra verè agunt in hæc inferiora. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. Dico ad quæstionem, quòd *stellæ habent actionem in hæc inferiora, in elementa,*

in

in mixta inanimata, & irrationalia, &c. quæ diffusè narrat, & probat tota quæstione.

Prob. 2. ex PP. [1] Nam *corpora inferiora, & crassiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur*.

Prob. 3. experientia. Nam, ut dicebamus, Sol suo accessu causat lucem, calorem, fœcunditatem, dies, diversasque stationes, & recessu causat noctem, frigiditatem, sterilitatem, autumnum, & hyemem: idem patet de Luna; & aliis.

Prob. 4. ratione. Deus, & natura nihil agunt frustrà, ergo illa corpora cœlestia, quæ volvuntur circa terram, non sunt, nec volvuntur frustrà, ergo debent aliqua influere in hæc inferiora.

Objic. 1. ex SS. PP. Cœli non causant generationes, & corruptiones rerum: sed hoc pertinet ad sublunaria, ergo astra non agunt in hæc inferiora.

Resp. neg. conseq. Nam SS. PP. negant solùm, astra esse primas rerum causas, quod Deo soli convenit, non autem omnem influxum.

Objic. 2. Agens, & passum debent communicare in materia: sed astra, & sublunaria non sic communicant, ergo illa non agunt in ista. Min. patet. Nam cœli, & astra sunt corpora simplicia, & incorruptibilia, sublunaria verò mixta, & corruptibilia. Prob. maj. Agens agit, ut assimilet sibi passum: sed ad hoc debent communicare in materia, & forma, ergo, &c.

Resp. neg. vel dist. maj. utramque. Agens univocum, & particulare, conc. maj. æquivocum, & commune, neg. maj. Astra sunt agentia æquivoca respectu horum inferiorum, prætereà communicant in materia, quia constant materia ejusdem speciei cum nostra, ut etiam probatum est. Prætereà absolutè falsa est utraque maj. Nam Deus, & Angeli agunt, & anima agit in corpus, Angeli movent cœlos, & non communicant in materia, nec assimilant sibi passum.

Inst. Agens, & passum non debent esse distantia: sed summè distant cœli à terra, ergo non possunt agere in terram.

Resp. dist. maj. Non debent distare, sed approximari, & applicari secundum virtutem, conc. maj. secundum suppositum, & substantiam, neg. maj.

Suffi-

[1] *Aug. 3. de Trin. c. 4.*

sufficit, quòd astra possunt per virtutem suam attingere hæc inferiora: unde immittunt, & attingunt per lucem: cur non per alias qualitates?

Objic. 3. Si cœli influerent in generationes, & alterationes, & alios effectus, necessariò evenirent; & tolleretur omnis contingentia: sed falsum conseq. ergo, &c. Prob. maj. Cęli sunt causa determinata, ergo quod faciunt, necessariò faciunt.

Resp. dist. maj. In his, quæ sunt independenter ab arbitrio libero Dei, & hominis, vel Angeli, conc. maj. & neg. min. in illis, quæ pendent ab illis arbitriis, neg. maj. Imò nec ipsa astra moventur necessariò, sed liberè, tum à Deo, tum ab Angelis.

Objic. 4. Vel agerent secundum motum localem, vel secundum formas suas permanentes; sed neutrum dici potest, ergo nec primum. Prob. min. Non per motum, quia est quid relativum, & non est activus, non per formas substantiales, vel accidentales, quia, cum sint permanentes, cœli agerent, etiamsi non moverentur, sed hoc est falsum, ergo, &c.

Resp. neg. min. & maj. prob. Nam agunt per formas, & agerent etiam stantes in partes subjectas, sed re vera agunt mediante motu, tanquam conditiones, ut mox dicemus.

CONCLUSIO II.

COElestia causant in sublunaribus accidentia varia.

Prob. 1. p. 1. ex Doct. cit. [1] Nam *in elementa habent duplicem actionem, & quoad alterationem, & quoad generationem:* sed neutrum causare possunt sine accidentibus, ergo causant accidentia.

Prob. 2. experientia. Causant enim lumen, calorem, siccitatem, motum localem, frigiditatem, & humiditatem, *stellæ* (inquit Doctor) *habent actionem quoad loci mutationem: superior enim pars aeris fertur circulariter ad motum cęli, & multò magis sphęra ignis, quæ est propinquior cælo,* &c. item Luna causat motum aquæ, ut dicemus suo loco.

De frigore, & humiditate observant Astronomi, quòd dominante Saturno, frigus extraordinarium causatur in aere, & terra: & magna humiditas, domi-

nante

[1] *ibid. a. n. 1.*

nante Luna, ideò paralytici fiunt, qui dormiunt sub illa, quia frigidantur, & humectantur nimiùm membra. Similiter dominante Sole, regnant calores, & siccitates, &c.

CONCLUSIO III.

Astra habent actionem in elementa, & influunt in generationem mixtorum, & metallorum.

Prob. ex Scoto [1] mox citato. Nam accedente Sole, & aliis calidis ad Zenit alicujus regionis, elementa superiora, sc. ignis, & aer augentur, & inferiora, sc. terra, & aqua minuuntur, & convertuntur in superiora, & è converso, recedente Sole, & accedentibus stellis effectivè frigidis, ut est Saturnus, & Mercurius, accidit generatio terræ, & aquæ, & minuuntur superiora, seu calida, & sicca, ut ignis, & aer.

Prob. 2. aliis experientiis. Nam Sol comburit stupam, & etiam lignum per radios solares collectos, & applicatos in vitro concavo. Item causant tonitrua, coruscationes, & alia meteora ignita: sed hæc non causantur, nisi à substantiis illis cœlestibus, ergo, &c. Prob. mi. Lux enim, & calor, cùm sint accidentia, non causant illum ignem, qui est substantia, nisi dispositivè.

Prob. 2. pars ex eod. *Dico*, inquit, [2] *quòd habeant actionem in mixta perfecta inanimata, ut sunt metalla, quæ in quibusdam regionibus generantur ex constellatione habente respectum ad illam regionem, & non ad aliam, nam terra non est activa hujus diversitatis*, ergo, &c.

Prob. 2. Non potest assignari alia causa hujus generationis, quàm astrorum influxus, ergo ita est. Prob. ant. Quia terra præcisè, & ex se non sufficit, cùm sit eadem ubique, & ubique non generet talia ex se, ergo id venit ab influxu astrorum, unde solent diversa metalla adscribi diversis Planetis, & eorum nomine appellari: aurum Soli, stamnum Saturno, argentum Lunæ, aliud Mercurio, &c. fateor, concurrere alias dispositiones particulares ex parte materiæ, seu terræ: dispositiones autem non sunt causæ effectivæ, nec sufficiunt absque influxu cœli.

Objic. Metalla non generantur ubique, ergo non gene-

1] *ibid.* — 2] *ibid. E. n. 5.*

generantur ab astris. Prob.conseq. Astra ubique sunt eadem, sicut ubique lucent, ergo, si haberent virtutem illam, ubique exercerent.

Resp. neg. conseq. utramque. Tum, quia non omnem locum eodem aspectu respiciunt; tum, quia non ubique reperiunt easdem dispositiones.

CONCLUSIO IV.

Astra agunt etiam, & causant mixta imperfecta, ut meteora.

Prob.1.ex Scriptura, qua constat, ab astris causari meteora. *Ab inferioribus orietur tempestas, & ab Arcturo frigus.*

Prob. 2. ex Scoto. Dico, *quòd planetæ, & stellæ habent actionem super mixta, nam mixta imperfecta ut impressiones quædam generantur ab illis, nam materia illarum impressionum, quæ est vapor, non elevatur ad locum generationis illarum, nisi per calorem incorporatum, vel virtute alicujus stellæ*, &c.

Prob. 3. Quia, si influunt in mineralia, seu metalla, & elementa, quæ sunt corpora simpliciora, & perfectiora, ergo multo magis in hæc mixta, & meteora.

Objic. 1. Si hæc evenirent ab influxu astrorum, hęc tàm certò prævidérent astrologi, quàm constellationes, quibus causari prætenduntur: sed non prævident tam certò illa meteora,quàm constellationes,ergo istæ non causant illas. Prob.maj.Ex causa necessaria prævidetur effectus: sed constellationes essent causæ necessariæ talium mixtorum, ergo prævisis certò constellationibus prævidérentur meteora.

Resp. neg. seq. & min. prob. Nam, ut ait Doctor, Astrologi non agnoscunt perfectè causas illas, seu virtutes omnes stellarum concurrẽtium ad tales effectus, & ideò,licèt prævideant constellationes omnes,seu concursus syderum,non prævident omnes effectus eorum.

Objic. 2. Ante peccatum Adæ cœli non habebant eã virtutem,ergo neque habent post peccatum. Patet ant. Nam frustrà fuisset talis virtus, quandoquidem non causassent tales tempestates, & meteora nociva durante statu innocentiæ. Prob. conseq. Nullus enim dixit, quòd per peccatum tanta contigerit in cœlis alte-

alteratio, & malignitas. Dixit quidem Deus, *maledicta terra in opere suo*. Sed non *maledicti cœli*, ergo illa virtus non erit ex peccato.

Resp. neg. ant. & probabiliter rationem ejus. Nam in certum est, quia in statu innocentiæ fuissent pluviæ, nubes, tonitru, non quidem ad nocendum, sed ad ostensionem potentiæ, & sapientiæ Dei, &, si non fuissent, non propterea defuisset illa virtus in astris, sed terra, & aqua, & aer non subministrassent tales materias.

CONCLUSIO V.

Astra agunt etiam in res animatas, sed non causant animas, imò nec formas corporeitatis animalium perfectorum. In rebus animatis duplicem formam agnoscimus, ambas substantiales, & subordinatas, ut dictum est in Physica, sc. corporeitatis, præter animam vegetantem, aut sentientem, quæ sunt materiales, & præter rationalem, quæ est spiritualis, & de qua sequenti conclusione.

Rursùs animata aliqua dicuntur imperfecta, quia generantur casualiter, & ex putrida materia, ut plantæ quædam, & apes, muscæ, mures, vermes, ranæ, &c. Licèt etiam sæpe fiant ex semine, alia perfecta, quæ generantur ex semine, & semper requirunt actionem generativam aliorum animalium mediante effusione seminis, ut equi, leones, boves, &c. His suppositis.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. *Dico*, inquit, *quòd habet actionem super animata, alterando sc. corpora mixta ad qualitatem convenientem, vel disconvenientem animæ perficienti tale corpus, & ita possunt agere ad generationem, & corruptionem, &c.*

Prob. 2. ratione, & experientia, qua constat Solis, & Lunæ, aliarumque stellarum congressiones, diversissimos circa viventia effectus producere, ut observant periti, conchylia cum luna augentur, aut minuuntur. Alia animalia similiter intumescunt, aut detumescunt humoribus; Plantæ, & ligna secundum lunationes cæsa, vel duriora sunt, vel cariei obnoxiora. Idem observatur in feminibus; infantes nati in novilunio debiliores sunt iis, qui in plenilunio, valetudinarii esse solent, aut stupidi, aut ad deliria proclives,

In

In epilepticis dolores in plenilunio augentur, & phrenetici magis insaniunt. Germani olim Luna decrescente pugnam detrectabant, quia vires corporum tunc quoque decrescunt. Insuper habent planetæ dominium in humores: Saturnus melancholiam, Mars choleram, Luna pituitam, Sol, & Juppiter sanguinem, suis motibus concitant, &c. ergo astra influunt in corpora animata.

Prob. 2. p. de animabus etiam materialibus: Nam effectus non potest superare causam suam, sed quævis anima, etiam imperfectissimorum viventium, est perfectior cœlis, ut diximus, ergo non potest causari efficienter ab astris. Unde Scotus non tribuit cœlis aliam actionem in plantas, animalia, & homines, *quàm alterationis, & dispositionis, & ideò possunt intendere qualitatem convenientem uni extremo, vel excedendo, vel deficiendo... et sic possunt disponere quantum ad sanitatem, vel ægritudinem... et sic alterare corpus animatum, ita ut sit indispositio animæ, et tunc accidit mors*, &c. nunquam autem eis tribuit productionem animæ ullius.

Prob. 3. p. Quia, licèt astra concurrant, & causent dispositiones ad productionem animarum in animalibus imperfectis, & per consequens eis tribuatur productio formarum corporeitatis; tum quia carent multiplicitate organorum, & hæc sunt in illis imperfectissima, tum quia illa talis qualis organizatio brevissimo tempore fit, experientia videmus, produci plantas, & animalia quædam, ut vermes, serpentes, pisces aliquos, ranas, mures, &c. in locis, in quibus nulla apparet ratio seminis, & formæ corporum illorum non superant virtutem, & perfectionem formarum cœlestium, aliter est de perfectioribus, quia horum corpora constant pluribus partibus valde dissimilaribus, quæ formari non possunt tam citò, quàm transeunt constellationes, & motus syderum, à quibus deberent formari organa illa, ideò requiritur virtus seminis, & matris, ut patet de homine, cujus corpus non organizatur ad animationem ante 40. dies pro mare, aut 60. pro fœmina, ideò multò plura requiruntur ad istorum generationem, & conservationem, quàm pro imperfectis, & motus horum syderum non satis durat in illo situ, & aspectu, in

quo

quo possint hæc causare, ergo cœlum ad hæc concurrit tantùm dispositivè, fovendo sc. vel excitando vim seminis, & matricis, & hoc sensu, *Sol, & homo generant hominem*.

Objic. 1. contra 2. p. Scotus [1] dicit apertè, quòd Sol producit ranam, ergo astra producunt animas materiales, saltem animalium genitorum ex putri.

Resp. dist. ant. Producit dispositivè. conc. ant. principaliter, & immediatè, neg. ant. Nam ex ipsomet Scoto, [2] quælibet anima est perfectior quavis forma non vivente, ut probavimus ex ipso, & ex D. Augustino.

Inst. Sol, & astra possunt inducere in materiam putrem dispositionem ad illas formas, ergo & ipsas formas. Prob. conseq. Potens enim inducere sufficientes dispositiones ad formam, potest & illam educere ex materia sic disposita.

Resp. neg. conseq. & dist. ant. prob. Si forma non sit perfectior ipso agente, conc. ant. si sit perfectior, neg. ant. propter rationem conclusionis. In tantum igitur Scotus, & alii tribuunt Soli generationes ranarum ex putri materia; in quantum materiam sic disponit ad illas formas, ut Deus statim eas producat, positis illis dispositionibus, velut causa universalis, quæ debet supplere defectum particularium.

Objic. 2. Productio illorum animalium debet attribui alicui causæ naturali, & secundæ: sed nulla est, cui possit tribui, nisi cœlo, ergo, &c. Maj. non videtur negari posse, quia non recurritur ad Deum absque necessitate, & dum assignari potest causa secunda. Min. prob. ex difficultatibus, quas patiuntur Philosophi, ut assignent aliam, quàm cœlum. Quidam enim recurrunt ad Angelos. Quidam ranam vagam effingunt. Alii formam quandam abstractam, & universalem, & datricem formarum particularium, & alia hujusmodi absurda, & improbabilia, ergo dicendum est ista generari ab astris.

Resp. neg. maj. & suppositum rationis ejus. Supponit enim posse assignari causam 2. ordinariam, & particularem, quod falsum est. Igitur Deus est, qui, suppositis dispositionibus sufficiētibus in materia ad eductionē illarū formarum, seu animarum, illas educit ex

[1] 2. d. 18. E. n. 7. [2] 3. d. 12. q. 2, E. n. 5.

ex tali materia, quia,ut auctor naturæ, supplet defectum causarum secundarum.

Inst. Id faceret Deus, ut causa universalis,vel particularis: sed neutrum dici potest, ergo illa generatio non debet tribui Deo. Prob. min. Non ut universalis, quia hæc non agit se sola, sed simul cum particulari aliqua. 2. non est particularis, quia tunc ageret miraculosè, sc. se solo, & extraordinariè, ergo neutro modo Deus producit illas formas.

Resp. neg.min.& 1.p. prob. Deus hìc agit, ut auctor naturæ, & causa universalis, cujus est supplere defectum particularium.

Objicies 1.contra 3.p. Astra influunt,& causant dispositiones ad formam omnem corporeitatis, ergo & formam ipsam. Ant. patet ex 1. parte concl. & discursu Doctoris. Prob. conseq. Ideò negamus cœlos causare animas in animalibus imperfectis, licèt causēt dispositiones ad illas in materia putri, quia illæ animæ sunt perfectiores formis cœlorum: sed formæ corporeitatis etiam animalium perfectorum non sunt perfectiores cœlis, ergo, si causant dispositiones, ita & formas.

Respondeo neg. ant. Neque enim causant se solis,& independenter à semine, & à generantibus, scil. mare, & fœmina, dispositiones ultimas ad formam corporeitatis, ob rationes allatas; partialiter quidem concurrunt, & multum conferunt, sed non totaliter.

Inst. Semen est quid imperfectius cœlis, ergo, si semen concurrit, à fortiori cœlum.

Resp. neg. conseq. loquendo de concursu per modum causæ principalis. Non enim tota ratio, cur id negemus stellis, petitur ex differentia perfectionis, sed ex multiplicitate organorum dissimilium, & ex difficultatibus organizationum, quæ peculiares virtutes, & diuturniores curas exigunt, quàm possint impendere astra in suo motu.

Objic. 2. experientias, quibus constat, nedum perfecta animantia,sed etiam homines ab astris formatos, ut 1. de Ogyge, & Inacho ex terra genitis. 2. de Julio Camillo, qui in fornace per attemperationes caloris ferè dispositiones humani corporis produxit. 3. de equis, quæ in Cappadocia concipere dicuntur flante

Fa-

Favonio. 4. de Phęnice ave, quę ex suis cineribus renascitur. 5. de vitulo, qui inter pluvias è cœlo cecidit, &c. ergo sydera causant tales formas, & animantia, saltem quoad formas organicas.

Resp. etiam supposita veritate talium historiarum, neg. conseq. Nam talia animalia formari potuerunt ex semine attracto ex terra.

Resp. 2. fabulosas esse duas priores experientias, tertiam incertam. Licèt enim equæ faciliùs concipiant flantibus Zephyris, non sequitur, eas conceptiones esse effectivè ab illis. Idem de Phęnice: nam, licèt de veritate illius constaret, ac de illius resurrectione, ex qua plures Patres colligunt possibilitatem resurrectionis humanæ, tamen quis hæc vidit, &, si hoc esset, posset illa avis reponi inter animalia imperfecta, & de illa dici idem, quod de aliis, eo vel maximè, quia ferunt ex cineribus primò formari vermiculum, ex vermiculo avem: de vitulo dicendum, quòd à ventis fuit elevatus in altum, ex quo cecidit, & sic de similibus.

CONCLUSIO VI.

Astra nihil possunt directè in animam rationalem, sive in intellectum, & voluntatem. Est communis inter Catholicos.

Prob. 1. ex Conciliis Bracar. 1. [1] & Toletano 1. [2] quibus damnantur Priscillianistæ docentes humanam libertatem violari per influxus astrorũ. Item ex constitut. Apostolicis Sixti V. [3] & Urbani VIII. [4] quibus prohibentur divinationes, & prædictiones contingentium per Astrologiam, &c. Idem docent SS. PP.

Confirm. ex Script. [5] *Solem, Lunam, & omnia astra cœli creavit Dominus in ministerium cunctis gentibus.* Si enim creata sunt in ministeriũ, non imperant, nec dominantur actibus humanis, sed serviũt, ergo cœlum nihil potest effectivè, & directè in animam.

Prob. 2. ex Scoto. [6] Quia, *quamquam appetitus sensitivus inclinet ad unum, potest voluntas eligere contrarium, quia nulla stella, nec aliqua creatura potest causare effectivè actum in voluntate, nisi ipsamet;* idem est de intellectu, in quem cœlum nihil potest, nisi indirectè.

Prob.

[1] *Apud S. Aug. cit.* [2] *hæresi* 70. [3] *constit.* 17. [4] *constit.* 113. [5] *Deut.* 4. [6] *Report.* 2. *d.* 14. *q.* 3. *n.* 5.

Prob. 3. ratione. Quia agens debet continere formaliter, aut saltem virtualiter effectum, quem causat in alio: sed nulla stella potest continere formaliter, nec virtualiter intellectionem, aut volitionem, ergo nec causare. Prob. min. Causa materialis non potest continere etiam virtualiter effectum spiritualem: sed intellectio, & volitio sunt qualitates spirituales, & astra, & cœli sunt entia materialia, ergo, &c.

Prob. 4. Si influerent in animam, & maximè in voluntatem, læderent libertatem: sed consеq. est erroneum, ergo & ant. Prob. maj. Astra sunt causæ naturales, & determinatæ, & agunt necessariò, ergo, si haberent actionem in voluntatem, illam necessitarent.

Objic. 1. Aliqua materialia agunt in spiritus, ergo & stellæ possunt agere in animam. Prob. ant. Dæmones fugantur Ruta, & aliis fumigationibus, ut patet de jecore piscis, quo Angelus Tobiæ fugavit eos, & fiunt sæviores in quibusdam temporibus Lunæ: nam in illis diebus magis sæviūt in Energumenos, ergo, &c.

Resp. dist. ant. Indirectè, & moraliter, conc. ant. directè, & physicè, neg. ant. Nam illa non agunt, nisi ex aliquibus pactis tacitis, vel explicitis, quibus fit, ut, talibus herbis, vel signis adhibitis, vel recedant, vel accedant, vel ex voluntate divina, ut de jecore piscis Tobiæ: quod autem Energumeni magis vexentur, non fit ex eo, quòd dæmones patiantur à Luna, sed quòd illi homines sint magis obnoxii impressionibus dæmonum, qui cùm id cognoscant, non negligunt eas occasiones nocendi. [1] *Illi quippe superbi, et impii spiritus non nidore, ac fumo, sicut nonnulli insani opinantur, sed hominum pascuntur erroribus.*

Objic. 2. Quædam ingenia sub certis Planetis nascuntur subtiliora, vel hebetiora, ergo stellæ influunt in animam.

Resp. dist. conseq. Indirectè, conc. directè, neg. conseq. Quia illæ differentiæ ingeniorum veniunt ex temperamento, & dispositione organica sensuum, ac facultatum corporis, in quæ influunt astra, sicut & plures aliæ causæ physicæ.

Objic. 3. Astrologi astrorum aspectu prædicunt certò

[1] *S. Aug. l. 20. contra Faustum.*

certò eventus procedentes à libertate hominum, ut constat pluribus, & quotidianis experientiis; sed id non facerent, nisi astra influerent in illos actus, & quidem efficaciter, ergo de facto sic influunt.

Resp. dist. maj. Prævident, & prædicunt conjecturaliter, & prævisa eveniunt per accidens, & contingenter, con. maj. certò prævident, & necessariò eveniunt, neg. maj. & conseq. Astra influunt in humores, in sensus, & in appetitus humanos, unde contrahunt homines varias propensiones, & habilitates, & inde fit, ut Astrologi prævideant ex astris, quæ præsunt nativitati, homines fore ambitiosos, luxuriosos, fortes, debiles, intemperantes, quantum est ex temperamento, sed hæc non evenirent, si vellent isti sequi *legem rationis, quam habent*, [1] inquit Scotus, *sed ideò hæc eveniunt, quia cogitationes hominum pronæ sunt in malum; & quia perversi difficilè corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.*

CONCLUSIO VII.

Astra influunt indirectè in actiones intellectus, et voluntatis, hanc tamen non necessitant ad ullos actus. Est communissima inter Catholicos, maximè quoad 2. partem, quam diximus esse definitam in Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [2] Nam *possunt agere in sensus, nam organa sensuum, quæ sunt corpora mixta, possunt alterari, et immutari ad aliquem gradum convenientem illis... & etiam ad disconvenientem sensui, et ita posset organum corrumpi, et lædi, et per consequens possunt habere aliquam actionem quoad intellectionem quodam modo, quia, si deordinatur sensus in actu suo, per consequens deordinatus intellectus potest etiam appetitum sensitivum alterare, ut magis inclinetur ad hoc, quàm in illud, et, quia in viatore voluntas rationalis inclinatur ad prosequendum, quod efficaciter appetitur ab appetitu sensitivo, ideò hoc modo inclinant voluntatem Planetæ.* Ecce pro 1. parte conclusionis: pro 2. autem addit, *in nullo tamen necessitatur absolutè voluntas propter hoc, sed ea sua libertate potest contra ire*, &c. ergo Astra agunt in intellectum, & voluntatem, sed salva istius libertate.

[1] *ibid.* [2] *ibid. H. n. 6.*

Prob.2. ex iisdem principiis. Certum enim est, astra influere in temperamentum, & sensus humanos, ut sint benè, aut malè affecti, & inclinentur ad has; aut illas passiones, sed intellectus, & voluntas multùm dependent in suis operationibus à dispositione sensuum, & appetituum sensitivorum, quibus fit, ut inclinentur ad vitia hæc, aut illa, ad has, aut illas virtutes, ergo astra hoc modo, qui est indirectus, influunt in actus intellectus, & voluntatis.

Confir. hoc 1. de intellectu. Certum enim est, ex bona, vel mala dispositione cerebri, & organorum corporis aliquos liberiores, aut impeditiores esse in suis operationibus intellectivis, unde aliqui *Lunatici* dicuntur ab influxibus Lunæ, quibus certis temporibus immutantur, ergo sic astra influunt in actus intellectus.

Confir.2. de voluntate. Quia etiam certum est, aliquos ex temperamento, & humoribus esse ad hæc, aut illa vitia propensos, ad has, aut illas virtutes impelli, ita ut majori egeant contentione, ac studio, ut ab illis vitiis divertantur, & alii minus laboris patiantur in assecutione habituum virtutis. Sic S. Job dicebat, se natum propensum ad charitatem, *ab infantia crevit mecum miseratio*, ergo, &c.

Secunda pars autem probata remanet tùm ex textibus ex Scoto allatis, tùm ex præcedenti conclusione, & iterùm de illa redibit sermo,

QUÆSTIO XII.

Quænam futura ex cœli aspectu prævideri possint.

QUæ naturalem habent connexionem cum futuris, possunt esse naturalia præsagia eorum, &, qualis est illa connexio, talis est certitudo prævisionis, si necessariò convertantur, certò prævidentur, si contingenter, eodem modo prævidentur, si nullo nexu naturali connectuntur, nulla ratione naturali possunt prævideri, hinc est, quod quædam artes prævidendi, & prædicendi futura damnantur, ut diabolicæ, vel vanæ, ac superstitiosæ, ut necromantia, quæ fit cum evocatione dæmonum, vel umbra mortuorum, vel cum ossibus cadaverum, vel imaginibus, in-

inspectione infantium, vel prægnantium in speculo, annulis, &c. *Cromantia*, quæ fit punctuationibus, vel numeris, *Pyromantia*, quæ divinat ex igne, *Acromantia*, quæ ex aere, *Hydromantia*, quæ ex aqua. Hæ, inquam, & similes artes divinandi sunt vanæ, & superstitiosæ, quia res illæ, ex quibus colliguntur tales cognitiones, nullam naturalem connexionem habent cum effectibus, qui prædicuntur, aut divinantur. Quædam minus damnantur ut *Metoscopia*, quæ ex lineis frontis, *Physionomia* ex facie, & *Chiromantia*, quæ ex lineis manuum divinant, quia, sive lineamenta illa sint ab astris prædominantibus, sive à temperamento, plus habent connexionis cum humoribus, & effectibus, qui ex illis dependent, tamen *Chiromantia* prohibetur per constitutionem suprà citatam Sixti V.

Alia denique prævidentur ex astrorum cognitione, & inspectione per scientiam, quæ astrologia nuncupatur, quæ minùs vana est, quia, ut diximus quæst. præcedenti, magnam vim, & influxum habent astra in hæc omnia inferiora, sed, secundum quòd magis, aut minùs dependent, præcognitiones sunt magis, aut minùs certæ.

CONCLUSIO I.

Qui perfectè cognosceret virtutes omnes cælorum, & syderum, posset certò prævidere ea, quæ certò pendent ab illis, ut ortus, occasus, conjunctiones, oppositiones, eclipses, item morbos, tempestates, pluvias, siccitates, sterilitates, &c. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui, cùm quæritur, quare Astrologi non prævident determinatè effectus astrorum; respondet, quòd causa hujus est, *quia non sciunt perfectè qualitates, & virtutes cælorum, & stellarum concurrentium ad tales effectus, quas si cognoscerent, possent de his judicare, & ideò credo, quod Angeli habent perfectam horum notitiam, ita quòd possunt de his bene judicare, & quòd tempus, quo venturi sunt, & quoad qualitates eorum, & quantitates, & cognoscunt etiam, si talis effectus sit impedibilis per aliam stellam. Poterunt enim scire, quòd non elevabitur,* nisi.

[1] *ibid. F. n. 6.*

nisi tantum de materia, et possunt scire, si erunt venti dissipantes, et in quo situ, et ubi dissipabuntur, et cadent. Hæc verò omnia, quia non plenè noverunt astrologi, ideò nec plenè, nec perfectè, nec securè de his possunt judicare, tot enim causas debent ibi concurrere; quòd nimis est difficile judicare de talibus, ergo ex Scoto, & ratione, possent ea omnia certo sciri, & prævideri, ex suppositione scientiæ perfectæ de virtutibus cęlorum.

Prob. 2. Cognitis perfectè causis naturalibus, & necessariis, præcognosci possunt earum effectus similiter necessarii, sed cęli, & astra sunt tales causæ talium effectuum, ergo, qui perfectè cognosceret illas, perfectè, & certò cognosceret ista.

Objic. 1. Cęlum, & sydera sunt causæ universales, & indeterminatæ rerum sublunarium, ergo ex illorum cognitione etiam perfecta non possunt prævideri ista.

Resp. neg. ant. Quia supponimus, quòd hi effectus ab illis solis dependent. Dixi autem, *possent certo prævideri ex astrorum scientia effectus, qui pendent ab illis*: nam quæ pendent partim ab astrorum influxu, partim ab aliis causis, & à fortiori, qui pendent à libertate hominis, possunt quidem morali aliqua conjectura prævideri, non tamen certò. Hujusmodi sunt inclinationes hominis, temperamentum, complexiones, naturales aptitudines ad benè, vel malè operandum circa certa negotia, vel artes, &c.

Ratio est, quia hæc omnia pendent quidem multùm ab influxu syderum, sed non totaliter, nam ad hæc etiam non parum conferunt complexiones, moresque parentum, atque etiam possunt corrigi, aut depravari per bonam, aut pravam educationem, per gratias actuales, &c.

CONCLUSIO II.

NUlla certitudine ex astris possunt prævideri actiones purè liberæ, seu dependentes ab humana voluntate. Ita Catholici omnes contra Astrologos, judiciarios, horoscopistas, & Genethliacos, & similes, qui prætendunt ex astrorum aspectu, & puncto nativitatis divinare futura circa hominum mores, & actiones, ac sortem.

Prob. 1. Ex Scriptura tales augurationes severè prohi-

hibentur: [1] *Non augurabimini, nec observabitis somnia* ... [2] *Gentes istæ, quarum possidetis terram, Augures, et Divinos habent. Tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es*.... [3] *Divinatio erroris, et auguria mendacia*, &c. *vanitas est* .... [4] *Ego Dominus irrita faciens signa Divinorum*, & Deus ipse sibi soli reservat munus divinandi futura. [5] *Non est ultra Deus, nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum... Unde factum est, quòd, qui contemplabantur sydera, ex eis annuntiarent futura tibi, ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos*, monet Jeremias: *à signis cæli nolite timere, quæ timent gentes*, &c.

Prob. ex Conciliis jam citatis, & Constantinopolitano VI. [6] *qui se vatibus tradiderunt, aut iis similibus, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint .... Qui fortunam, fatum, vel Genealogiam, aut similium verborum turbam ad nugas acceptorias obloquuntur ... omnino ejiciendos ab Ecclesia definimus*, etc. & novissimè in Conc. Trid. prohibētur librī omnes necromātiæ, hydromantiæ, chiromantiæ, &c. etc. [7] *Episcopi verò diligenter provideant, ne Astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, Indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus successibus fortuitisque casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audent*, & Conc. Tolet. I. In Regula fidei: *Errat, si quis Astrologiæ, vel Mathesi existimat esse credendum*.

2. Ex SS. Canon. ut videre est in decreto Gratiani. [8]

4. Ex Bullis SS. Pontificum ... [9] *nonnulli... curiosæ sectantes graviter Deum offendunt, errantes ipsi, et alios in errorem mittentes. Tales in primis sunt* Astrologi, *olim* Mathematici, Genethliaci, & Planetarii *vocati, qui vanam, falsamque syderum, et astrorum scientiam profitentes .... hominum nativitates, seu genituras ex motu syderum, aut astrorum cursu metiuntur*, &c. jubet, ut contra hujusmodi homines inquiratur ab Episcopis, & in eos severiùs canonicis pęnis ... animadvertant, quod item præstitit Urbanus VIII. [10]

5. Ex jure civili. Nam Imperatores Dioclet. & Ma-

 ximn.

[1] *Levit*. 19. [2] *Deuter*. 18. [3] *Eccl*. 34. [4] *Isa*. 44. *et* 46. *et* 47. [5] *Jerem*. 10. [6] *can*. 61. [7] *Regula. Indicis. Reg*. 9. [8] *Caus*. 26. q. 6. [9] *Sixt. V. B. cæli, et terra*. [10] *B. Inscrutabili an*. 1621. *L*. 9. *tit*. 18,

xim. artem Geometriæ discere, atque exercere publicè interest, *Ars autem mathematica damnabilis est, et interdicta omninò*. Et Imperatores Constantius, & Julianus, *nemo auspicem consulat, aut Mathematicum, aut Ariolum*, &c.

6. Ex SS. PP. August. [1] *Non immeritò creditur, cùm astrologi multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum, non bonorum, quorum cura est has falsas opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus, atque firmare*, & de hoc latè argumentatur occasione geminorum Isaac, & Jacob, qui uno momento concepti, & ferè una nati sorte diversissimi fuerunt. Iterumque vocat *fallaces divinationes, et impia* deliramenta. *Nonnulli nativitatum tentaverunt exprimere qualitates*, inquit S. Ambros. [2] *qualis futurus sit unusquisque qui natus sit? cùm hoc non solùm vanum, sed etiam inutile sit quærentibus*. Idem docent alii, ut Greg. Nyssen. Chrysost. Isidor. Cyrillus, &c. quos congerit Jos. Maria Maraviglia, [3] de fide divinationibus adhibenda.

7. Ratione 1. Quia vix ullus hominum probè novit virtutes syderum, ideò, licèt possent motus, & concursus, conjunctiones, & oppositiones ad punctum usque mensurare, adhuc non possent certò divinare, quid influant. 2. Quia etiam in eadem regione, eodem spatio loci, & temporis diversa metalla, lapides, herbas, & plantas generant. Similiter in hominibus, & animantibus diversa operantur secundum virtutem, & dispositiones materiæ, ergo illi effectus non pendent totaliter ab influxu astrorum, ergo ex sola cognitione astrorum non possunt prævideri. 3. & à fortiori. Quæ pendent à libertate humana, Angelica, & Divina, hæc, inquam, multo minùs prævideri possunt ex astris, quia multò minus pendent ab illis, quia in ea influunt, & voluntas humana, & operationes Angelorum assistentium, & Deus ipse per gratias excitantes, & operantes. 4. ne ipsi quidem motus, & constellationes certò sciuntur, unde tot inter Astrologos contentiones, & diversitates opinionum, ergo ex illis constellationibus nihil certi colligi potest, nam eventus pendent ex puncto

[1] *5. de civit. c. 7.* [2] *l. 4. exam. c. 4. Genethl. ep. de python.* [3] *par. 3. adag. 3.*

cto, ut ipsi fatentur. 5. & denique, quia, ut dicebamus ex SS. PP. & constat ex Scriptura, videmus geminos uno concubitu, & eodem puncto temporis conceptos, & eodem tempore natos, ut Isaac, & Jacob, diversissimam sortem subjisse, ergo vel eadem sydera oppositos causant eventus, vel nihil certi ex illis argui potest circa res humanas.

Objic. 1. Ex scriptura, quæ astra dicit à Deo posita, [1] *ut sint signa in tempora*. Et quòd [2] *in manu hominum signat, ut noverint singuli opera sua*, ergo ex lineis manuum, quæ syderibus correspondent, prævidentur opera etiam libera, eodem sensu cœlum dicitur [1] *liber complicatus*, involutus, &c. quia sc. in eo quasi leguntur futura, & id confirmant SS. PP. ergo ex syderibus possunt prævideri futura.

Respondeo dist. conf. Futura quædam naturalia, con. conf. libera, & fortuita, neg. conf. Id enim non intendunt loca illa Scripturæ, & patres.

Objic. 2. Astra influunt in inclinationes, & mores, ergo & in actus liberos, ergo ex illis tàm actus liberi, quàm naturales prævideri possunt.

Respondeo neg. conseq. Mores, & inclinationes sunt effectus naturales, actus verò liberi, quia possumus vincere per rationem, & gratiam inclinationes appetitus sensitivi.

Inst. Influunt in actus fortuitos, ergo & in liberos.

Prob. ant. Influunt in thesaurorum repertionem, in homicidia, &c. ergo, &c. Prob. ant. ex multis experientiis eorum, qui talia prædixerunt, qualiter evenerunt, ergo, &c.

Respondeo dist. ant. Per accidens, & fortuitò, transeat, per se, & ordinariè, neg. ant. trium argumentorum. Nam inventio thesauri pendet à concursu tot causarum, ut incredibile sit, quòd hæc omnia sint ab astris. 1. qui thesaurum cumulavit, & abscondit, 2. hoc liberè fecit, & potuit non facere, aut alibi facere, & dependet à fossione, & hæc etiam libera est. 3. in repertore innumeri per plura sæcula ibidem foderunt, & non invenerunt, &c.

[1] *Gen.* 1. [2] *Job.* 17. [3] *Apoc.* 6.

QUÆSTIO XIII.

Per quid influant cœli.

CONsiderari possunt in cælis *motus*, *lux*, & *formæ* singulorum, in quibus esse possunt virtutes diversæ, viresque agendi in hæc inferiora, & quæritur per quod illorum agant, an per *motum*, ut volunt aliqui post Aristotelem, qui docuit solem producere lucem, & calorem per motum localem, An per *lucem*, ita ut illa sit præcisa, aut principalis ratio agendi, ut volunt alii cum calore, quem per lucem dicunt ad nos descendere: an denique per formas, & actiones suas particulares, ut volunt plures.

CONCLUSIO.

IN *cælis principalis ratio agendi in hæc inferiora non est motus, nec lumen, sed propria cujusque virtus.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] Dico, inquit, *quòd cœli non possunt tantum per motum localem, quia omnis forma absoluta est perfectior respectiva.* Unde, stante cælo, & immoto planeta, *concedo, quòd causaret, quantum esset de se, nec ejus motus localis facit ad actionem suam, latio enim, vel motus solis requiritur ad hoc, ut adducat agens,* &c. ergo ex Scoto, & ratione, cæli, & astra non agunt per motum localem, tanquam per formam, & rationem agendi, sed tantum per conditionem necessariam, qua adducitur agens, & applicatur ad passum: unde astra immota agerent, saltem in ea, quibus essent applicata. Dicit alibi. [2] *Cùm quæritur, per quid agant in inferiora? Dico, quòd non per motum localem, quia non est illis causa formæ absolutæ, et concedo, quòd, si astra starent, haberent eamdem virtutem activam, quam nunc habent super partem, quam aspicerent, et majorem, quia manus mota per flammam minùs patitur, quàm si quiesceret, ideò motus solùm adducit generans.* &c.

Prob. 2. eadem pars. Quia, inquit Scotus, motus est forma purè respectiva, effectus autem causati per astra sunt formæ absolutæ, sed forma absoluta non pot-

[1] 2.d.14.q.3.L.n.7. [2] *Report. ibid. n.6.*

poteſt generari per relativam, alioqui cauſa eſſet imperfectior, & ignobilior effectu, ergo motus non eſt aſtris forma agendi.

Prob.3. Quia motus localis de ſe eſt indifferens ad quoſcumque effectus, ergo non poteſt eſſe ratio huic ſtellæ cauſandi calorem, & illi frigus, & alteri aurum, & alteri plumbum, &c.

Prob.2. p. de Luce. Quia lux ſyderum non pertingit ad viſcera montium, & terræ, vel in concavitates maris, in quibus generantur metalla, & piſces, ergo lumen non eſt principalis ratio, vel inſtrumentum actionis ſyderum, & lumen non eſt propria cauſa horum effectuum.

Prob.3. pars 1. ex eodem Scoto. [1] *Oportet ergo, quòd* (cęlum) *agat per formas ſubſtantiales, aut accidentales, quod concedo*, inquit.

Prob.2. Quia plurimi effectus ſyderum particularium non poſſunt tribui, niſi virtutibus eorum occultis de ſe, & non aliter cognitis, quàm ex effectibus, quæ ſunt qualitates quædam inſenſibiles eorum, per quas eorumdem effectus perveniunt, & innoteſcunt.

Dico *principalis*, nec enim inficior, quin plurima operentur per lucem, & quin lux ſit notabiliſſima virtus cęlorum.

Objic.1. Scotum dicentem,[1] *quòd non eſt alia qualitas conſequens formam ſubſtantialem corporis cœleſtis, quàm lux*: ergo lux eſt forma unica, per quam cęli agunt in ſublunaria.

Reſpondeo diſt. ant. Non eſt alia ſenſibilis, & nobis per ſe nota, con. ant. abſolutè, neg. ant. & conſeq. Verè lux eſt ſenſibilior proprietas, & forma accidentalis cęlorum, ſed non unica ob rationes allatas.

Objic.2. Illæ qualitates activæ, & occultæ eſſent nobiliores luce, ſed hoc eſt abſurdum, & falſum eſt illas dari, ergo, &c. Prob. maj. Qualitates, quæ ſequuntur gradum, & formam ſpecificam, ſunt nobiliores illis, quæ ſequuntur gradum genericum, ſed illæ occultæ eſſent ſpecificæ, & lux generica, & communis omnibus, ergo & nobiliores.

Reſpondeo neg. ſeq. Quia, ut diximus, lux ſyderum duplex eſt, una propria, quam ex ſe habent, & hæc

[1] *ibid. K. n.6.*
[2] *2. d.16. A. n.2.*

sequitur singulorum proprias formas, & non est imperfectior singularibus eorum qualitatibus, alia communis, quam à sole mutuantur, & hæc etiam, quia venit à nobilissima forma, qualis est forma Solis, est nobilissima.

Respondeo 2. neg. min. lux enim est quidem qualitatum, quæ sensibus obviæ sunt, nobilissima, sed qualitates singulares, & insensibiles, quæ propius, & immediatius fluunt à nobilioribus formis, possunt esse nobiliores. Quid hinc absurdi?

DISPUTATIO III.

De corpore elementari, seu de elementis, & 1. de elementis in communi.

POST disputationem de corpore universo, seu mundo, in quo omnia creata continentur, & de cœlo, quod est suprema pars universi, quod influit in esse omnium; disputamus de elementis, quæ sunt corpora sub cœlo simpliciora, & ex quibus sublunaria omnia constant, ipse Aristoteles de illis egit in libris 3. & 4. de cœlo.

QUÆSTIO I.

An, quid, & quot sint elementa.

NOmen elementi solet tribui rebus omnibus, ex quibus aliquid componitur, sic litteræ sunt elementa orationis, terminos diximus elementa Logicæ, &c. similiter hic tribuitur illis primis substantiis corporeis, ex quibus mixta omnia coalescunt, & in quæ resolvuntur, ut *Ignis*, *aer*, *aqua*, & *terra*, & de his quærimus. An sint, quid sint, & quot sint.

Quantùm ad existentiam, nescio quemquam de illa dubitasse, etenim sensibus ipsis constat terram, aquam, & aerem, ut de igne sileam, totum hunc mundum occupare, nec in hoc immoramur.

CONCLUSIO I.

Elementum sufficienter describitur corpus simplex, ex quo alia fiunt, & in quod ipsamet, quibus in-

est,

est, resolvuntur, ipsumque est indivisibile in diversa specie, colligitur ex Philosopho, & communiter admittitur.

Colligitur ex Scoto. [1] *Sciendum est*, inquit, *quod accipimus elementa pro primis corporibus actu existentibus, ex quibus generabilia, et corruptibilia nata sunt componi, sicut sunt ignis, aer, aqua, terra*, & prob. quia explicat naturam rei per verum genus, & differentiam absque defectu, vel superfluitate, ergo est bona, prob. ant. discurrendo per singulas particulas dicitur 1. corpus, & ponitur loco generis, quia sic convenit cum aliis corporibus, v. g. celo, & astris, sed distinguitur à materia prima, & etiam à forma quæ non sunt corpus, sed principia corporis. 2. *simplex*, non simplicitate opposita compositioni ex materia, & forma, quia utraque constant, sed opposita mixtioni, ut diximus de celo, & per hoc elementum differt à corporibus mixtis. 3. *ex quo alia fiunt*, & per hoc distinguitur à celis, & astris, quæ sunt corpora simplicia, sed non miscentur cum aliis, nec ingrediuntur ullam compositionem, benè verò elementa, quæ reperiuntur vel formaliter, vel virtualiter in mixtis. 5. *In quod ipsamet, quibus inest, resolvuntur*, quod ponitur majoris explicationis gratia: *nam ex quibus res componuntur, in ea resolvuntur*. 6. additur, *cum ipsum in alia corpora resolvi non posset*, seu ipsum est indivisibile in diversa specie, ut docemur, quod elementa sunt prima corpora, ex quibus alia componuntur, & in quæ cætera, id est mixta, resolvuntur ultimò, nam si elementum posset resolvi in corpora ulteriora specie diversa ab ipso, non ipsum, sed illa essent prima elementa, hæc magis constabunt ex dicendis infra, quomodò elementa maneant in mixto.

CONCLUSIO II.

Quatuor sunt elementa, et non plura, nec pauciora, sc. Ignis, aer, aqua, et terra, est communissima. Prob. 1. ex Scoto citato, [2] & in omnibus locis, ubi loquitur de elementis, semper enim illa quatuor numerat, & non plura, *omne productum à na-*

[1] *L. 1. Metaph. q. 3. n. 2.* [2] *Ibid. et 2. d. 14. q 3. 4. n. 2. de 1. princip. q. 18. n. 33.*

tura hoc est omne compositum saltem in virtute continet quatuor elementa.

Prob.2. ratione. Quia certum est illa omnia quatuor esse vere elementa, quia illis convenit definitio elementi, & quòd nullum aliud corpus est elementum, ergo illa quatuor, & non plura sunt elementa, ant. patebit solutione argumentorum, quibus impugnari posset: alterutra pars ejus probari solet etiam ex numero primarum qualitatum, & ex diversa illarum combinatione, nam calor convenit igni, humiditas aeri, frigiditas aquæ, & siccitas terræ, & quidem in summo, aliæ autem in remisso, ut dicemus, ergo, &c.

Item ex quatuor primis humoribus corporis humani singulis Elementis correspondentibus, nam flava bilis, seu cholera respondet igni, sanguis aeri, pituita aquæ, & melancholia, seu atra bilis terræ.

Item ex illis, in quæ resolvuntur mixta, nam si lignum comburitur, resolvitur in flammam, quæ est ignis, in fumum, qui est aer, in guttulas, seu sudores, qui sunt aqua, & in cineres, qui sunt terra.

Denique ex situ, & motu corporum sublunarium; nam ignis tenet supremum locum, aer inferiorem, & hæc duo feruntur sursum: aqua tertium, & terra infimum, & hæc duo feruntur deorsum.

Verum hæ rationes sunt potiùs congruentiæ, quam rationes convincentes, & suas patiuntur responsiones.

Objic.2. Elementum est irresolubile in alia corpora specie diversa, sed ignis est sic resolubilis, ergo non est elementum, maj. patet ex definitione elementi, prob.min. experientia, nam ignis resolvitur in aquam, & aerem, ergo ignis non est elementum, sed mixtum.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam licet forma aquæ, aut aeris possent educi ex potentia materiæ ignis per illius corruptionem, & illorum generationem, non tamen id fieret per veram resolutionem, de qua hic loquimur, ad hanc enim requiritur, ut ea, in quæ corpus resolvitur, contineantur in illo formaliter, & secundum suam entitatem, vel saltem secundum suas primarias qualitates, seu virtualiter. Quod non est verum de aqua, nec aere respectu ignis.

Objic.2.

Objic.2. Aristotelem, qui asserit esse quinque, ergo ita debet dici.

Respondeo, Aristotelem loqui de elementis largo sensu, & sic annumerat cælum inter elementa propter simplicitatem sui corporis. Imò & aliis multis rebus id tribuit, ut literis, principiis tàm Physicis, quàm Metaphysicis, ut ex ejus textu patet.

Inst. Dividit elementa per duas tantùm differentias, quæ sunt levitas, & gravitas, ergo non sunt nisi duo.

Resp. neg. conseq. nam illa divisio non est in species infimas, sed subalternas.

Objic.3. Si ignis esset elementum, deberet illi assignari locus super cætera, est enim levissimus, sed non potest illi assignari locus, ergo non est elementum verum.

Respondeo neg. min. ubi vero locandus sit, dicemus infra.

Objic.3. cum Chimicis tria tantum esse elementa sc. mercurium, sulphur, & Salem, quæ sunt incorruptibilia, & irresolubilia, & ex quibus cætera conficiuntur, ergo male assignata sunt illa quatuor, ant. probant suis experientiis, quibus credendum putant: nam ex omni ligno, lapide, &c. eliciunt partes crudas, & aquosas, alias pingues, & oleosas, & alias subtiliores instar cineris, primas mercurium vocant, 2. sulphur. 3. salem.

Igitur secundum chimicos, *Sal* est pars terrestris, & fixa, quæ non ascendit; *mercurius*, pars aquæ, seu humida, & *Sulphur* pars subtilis, & vivida, quæ ascendit. His suppositis.

Resp. neg. ant. nam etiam his admissis, ut illis placet, non possunt propriè vocari elementa, saltem prima, quia singula illa sunt ulterius resolubilia in ista, quæ assignamus, etenim singula illa adhuc resolvuntur in partes aqueas, & terreas, & aereas, constat argentum vivum igne urgente in aerem evanescere, salem aqua dissolvi, cineremque esse quid terreum, & sulphur in flammas abire, ut oleum. Imo & hæc non sunt pura, sed inter se permixta; sal habet partes inflammabiles, & ideo sulphureas, sulphur habet aliquid salis, & mercurii, &c.

Objic. pro Atomistis, sufficere unicum Elementum, sc. atomos insectiles ejusdem rationis, & sola figu-

figura distinctis, ex quibus omnia conficiuntur, & in quas omnia resolvuntur.

Respondeo jam huic opinioni respondisse in Physica, ubi de principiis.

Addo ab aliquibus illas atomos dici esse mixtas ex quatuor elementis, suntque diversæ speciei, *cum ex quatuor Elementis omninò diversis partes sint minimæ*, inquit Cardosus; ergo non sunt prima elementa, quia non sunt simplicia corpora.

QUÆSTIO II.

De simplicitate, compositione, incorruptibilitate, & transmutabilitate elementorum.

DIximus elementa esse simplicia, simplicitas excludit compositionem, aut mixtionem, & corruptibilitas arguit utrumque.

CONCLUSIO I.

Elementa nō sunt simplicia simplicitate opposita compositioni, sed mixtioni; sed constant materia, & forma substantiali. Est communior contra illos, qui volunt elementa constitui per 4. primas qualitates.

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] docente, quòd elementa *non manent in mixto secundum substantiam*, *& quòd nihil cogit ponere pluralitatem Elementorum, vel formarum substantialium manere in mixto...nam forma elementi, & forma mixti habent sufficientem entitatem, ut una sit terminus unius generationis, & alia alterius, vel ut hæc sit terminus à quo corruptionis, & illa terminus ad quem generationis....Item forma elementaris nata est cum materia constituere suppositum per se subsistens in genere substantiæ...forma elementi quantumcumque remissa cum materia constituit substantiam compositam*: ergo, ex Scoto, elementa sunt substantiæ compositæ ex materia, & forma, non autem simplices simplicitate opposita compositioni.

Prob. 2. elementa sunt corpora completa, quæ directè ponuntur in prædicamento substantiæ; ergo non possunt constitui in suo esse primario, & essentiali per qua-

[1] 2.*d.*15.*A.n.*5.

qualitates, quæ sunt accidentia, alioqui enim essent Entia per accidens, quia constarent rebus diversorum prædicamentorum.

Prob. 3. quoad compositionem, quodlibet elementum est corpus, & quidem substantiale, ut dicebamus, ut patet ex definitione allata, sed omne corpus substantiale est compositum ex materia, & forma substantiali, ergo & elementa.

Prob. 4. contra eos, qui dicunt illa non esse nisi materiam primam, nam si hoc esset, darentur quatuor materiæ primæ, sed consequens est falsum, & contra omnes; ergo sunt aliquid præter materiam primam.

Prob. seq. Quia singula essent materia prima distincta specie inter se, & ab illa alia, quæ est pura potentia, & naturaliter non potest existere sine forma, ergo essent quatuor.

Prob. denique singula elementa sunt proximum, & immediatum subjectum suorum accidentium; ignis est subjectum caloris, & siccitatis. Aqua est subjectum frigiditatis, & humiditatis, &c. sed subjectum immediatum accidentium est compositum ex materia, & forma substantiali: ergo, &c.

Confir. ex seq. conclus. ubi sustinemus esse generabilia, & corruptibilia, nam generatio terminatur ad formam substantialem, & corruptio est à forma substantiali, velut à termino à quo, ergo, &c.

Objic. formæ sunt propter operationes, sed nulla operatio est ab igne; ergo nec habet formam. Prob. min. Ignis nihil efficit nisi calorem, qui est pura qualitas, seu purum accidens, ergo solus calor est forma ignis, & non habet aliam operationem.

Respondeo neg. min. & ant. prob. Nam ignis operatur, & generat ignem, non solum calefacit, sed etiam gignit.

Objic. 2. principia motuum naturalium sunt formæ substantiales, sed gravitas, & levitas sunt principia motuum naturalium in elementis, ergo & formæ illorum. Prob. min. gravitas est principium unis movendi se deorsum, & levitas aliis movendi se sursum, ergo, &c.

Resp. dist. maj. principia radicalia, primaria, & principalia, con. maj. & neg. min. secundaria, & instru-

instrumentalia, neg maj. & conseq. nam formæ substantiales elementorum sunt principia radicalia, & exigitiva gravitatis, aut levitatis, idem est de calore, siccitate, &c.& iis mediantibus tamquam instrumentis, & secundariis principiis moventur sursum, aut deorsum, calefaciunt, aut frigefaciunt, &c.

CONCLUSIO II.

Elementa sunt generabilia, & corruptibilia. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto [1] nam textus allatus id expresse asserit, & antea dixerat, quod *accedente sole ad Zenith unius Regionis generatur ibi plus de igne, & minuitur de aqua, ita per ejus recessum ab alia regione generatur plus proportionaliter de elementis frigidis, & minuitur de calidis*, ergo ex Scoto, & experientia elementa sunt generabilia, & corruptibilia, prob.conseq. nam illa auctio, & diminutio non fit per annihilationem, & creationem, sed per generationem, & corruptionem.

Prob.2. alia experientia quotidiana de igne, quem videmus generari, & corrumpi.

Objic. 1. *ex Arist.* Elementa sunt æterna, veluti mundus; sed mundus est incorruptibilis, & ingenerabilis, ergo & elementa.

Resp. dist. min. mundus est ingenerabilis in toto: conc. min. secundum partes; neg.min.& ita est de elementis; in aliquo loco generantur, in alio corrumpuntur. Sed numquam ubique, & totaliter deficiunt, ita est de mundo.

Inst. Si nulla pars sit ingenerabilis, aut incorruptibilis; ergo idem erit de totis.

Respondeo dist. conseq. de possibili, & ex natura rerum; con.cons. de facto, & secundum dispositionem præsentem rerum neg.cons. quia sic Deus disposuit in mundo, ut dum hic generatur unum elementum, alibi corrumpatur, & è contra ut dicebamus ubi de mundo: dum aliqua pars ejus corrumpitur, altera generatur, nam generatio unius est corruptio alterius, & è contra.

Objic.2. si essent corruptibilia, aliquando corrumperentur; sed numquam corrumpuntur, ergo non sunt corruptibilia, maj. patet, nam frustra est potentia,

[1] *Ibid.d.14.q.3.A.n.2.*

tia, quæ non reducitur ad actum, prob. min. per defectum ullius experientiæ.

Resp. neg. min. & prob. nam singulis momentis videmus ignem accendi, & extingui, atque in fumum, & aerem abire, & aerem accendi, & aquam evaporari in aerem.

Inst. vel id fieret per generationem, & corruptionem, vel transmutationem mediatam, vel immediatam, sed nullum horum dici potest, ergo, &c.

Resp. neg. min. nam utroque modo id fieri potest, ut mox.

Inst. Formæ elementares non admittunt remissionem suarum qualitatum, nec alterationem; ergo nec corruptionem, prob. ant. Si ignis non esset calidus ut octo, non esset ignis; ergo non admitti t alterationem, seu remissionem caloris, idem est de cæteris.

Resp. neg. ant. utrumque, & patet de aqua, ita est de igne, licèt illa diminutio caloris non sit adeò sensibilis, sicut remissio frigoris in aqua.

Objic. 3. varias experientias. 1. distillatores experiuntur, si aquam in vas ferventissimum injiciant, & supernè vas obturent, ne quid evaporet; haberi tantam aquam, quanta injecta est. 2. cineres, qui vel terra, vel terreni sunt, numquam in terram convertuntur. 3. si ampulla vitrea aere plena benè obturetur, & in aqua ponatur, nihil aeris in ea convertetur in aquam, ne per centum quidem annos. 4. ignis nihil potest convertere, quod nō sit viscosum, at nullum purum elementum est viscosum, ergo nullum elementum converti potest in aerem. 5. non habemus elementa pura, ergo non se se corrumpunt, alioqui ignis corrumperet, quidquid habet de aliis, ergo &c.

Respondeo 1. generaliter, per has, & similes experientias haberi tantùm, quod in illis casibus particularibus elementa non corrumpantur propter impedimenta, sed non probant universaliter id non fieri de possibili, vel de facto.

Respondeo 2. neg. conseq. nam in 1. & 3. non corrumpuntur aqua, vel aer, quia per obturationem impeditur corruptio metu vacui, ad 3. de cineribus, diu quidem perseverant sine corruptione, sed tamen aliquando corrumpuntur, sicut & ipsa terra, quamvis diutiùs resistat, ad 4.

ad 4. neg. ant. sufficit, quòd sit exsiccabile & calefactibile, unde parum interest, quod habeamus hic purum elementum, vel non, & per hoc patet ad 5. cujus negatur conseq. loquimur de elementis, quæ apud nos sunt, de aliis, si non extant, non potest argui per experientias.

CONCLUSIO I.

Elementa omnia sunt in se invicem transmutabilia, sive symbola, sive dissymbola, etiam immediatè, saltem aliquando.

Elementa *Symbola* sunt ea, quæ conveniunt in aliqua qualitate, ut ignis, & aer in calore, ignis, & terra in siccitate; aer, & aqua in humiditate, aqua, & terra in frigore. *Dissymbola* verò sunt, quæ in nulla qualitate conveniunt, ut ignis, & aqua, terra, & aer.

Rursus *transmutatio alia* est immediata, per quam una forma immediatè succedit alteri, ut forma cadaveris formæ viventis per mortem animalis: alia *mediata*, per quam una forma succedit alteri mediante alia, ut forma vermis succedit animæ mediante forma cadaveris. His suppositis

Prob. 1. ex Scoto [1] jam non semel adducto. *Nam accedente sole, & aliis stellis calidis ad Zenit alicujus regionis, elementa superiora, sc. ignis, & aer augentur, & inferiora, sc. terra, & aqua minuuntur*, nota sequentia verba, & convertuntur *in superiora, & è converso recedente sole, & accedentibus stellis effectivè frigidis, accedit generatio aquæ, & terræ*: ergo ex Scoto elementa sunt in se invicem transmutabilia, sive sint symbola, ut aer, & aqua, sive dissymbola ut ignis, & aqua, & quidem etiam immediatè, nam de hoc Scotus non distinguit.

Imò supponit clarè, quòd ex aqua fit ignis. *Sicut impossibile est*, inquit, *quando ex aqua fit ignis, materiam perfici simul forma aquæ, & forma ignis.* Sic loquitur ad aliam Thesim quidem, sed hoc etiam facit ad nostram.

Confir. 2. ex eo, quod docet, [2] *quòd non obstante contrarietate elementorum, si essent accepta in tanta quan-*

[1] *2.d.14.cit.1.d.15.An.3.4.d.40.q.13.B.n.4.*
[2] *2. de gener.24.*

quantitate molis, *& virtutis*; *quod nullum eorum posset in aliquod aliud*, *vel aliqua alia vincere*, *vivere*, *vel ab alio*, *vel ab alia vinci*, *& sic proportionata semper ponerentur in quolibet corpore*, *numquam esset ibi corruptio alicujus illorum*, *quia & si contrarietas* (adesset inter illa) *tamen proportionata æqualitas*, ergo ex Scoto, ubi elementa non occurrunt sibi invicem in illa quantitate molis, & æqualitate virtutis, ut quotidiè accidit, possunt in se invicem converti; sc. fortius, & majus convertit debilius, & minus.

Confir. 3. *ex Arist. universaliter manifestum est*, (inquit) *quod omne ex omni generari natum est*: ergo omne elementum ex omni alio generari potest.

Prob.2.ratione, omnia elementa inter se repugnant per qualitates contrarias, sed frustra sic pugnarent, nisi possent in se invicem transmutari, ergo possunt in se invicem transmutari. Maj. patet ex dictis, & dicendis de illorum qualitatibus, prob. min. Omne agens agit, ut assimilet sibi passum, ergo frustra agerent, nisi possent in se invicem converti per victoriam unius super alterum, ut in æstate aer, & ignis superant aquam, & terram, & in hyeme aqua, & terra superant aerem, & ignem.

Prob.3. experientia, nam ex attritu silicis, aut chalybis, accenditur aer in ignem, & ex sufflatione candelæ ignis desinit in aerem, aer in cavernis subterraneis convertitur in aquam, & aqua in aerem evaporatur.

Idem est de terra, quæ in fluminibus vertitur in aquam, & hæc in terram condensatur; terra etiam, quæ in vapores elevatur, facilè ignescit, & ignis modicus terra sepultus in illam abit. Denique, si modica aqua in ignem ingentem verbi gratia in fornacem injiciatur, in ignem desinit.

Dixi etiam *immediatè*, & saltem aliquando id accidit; nam in hoc ultimo casu non apparet, in quid possit converti illa modica aqua, priusquam in ignem, sive quia experientia non docet hoc, sive quia ignis est causa univoca, ergo non tendit ad productionem aeris, vel fumi, sed ignis, ut assimilet sibi passum.

Dixi.2. *tàm dissymbola*, *quàm symbola*, ut patet de igne, & aqua; nec tamen propterea diffiterer, quin facilius convertantur Symbola ex natura rei, quia

unum

unum elementum non habet vincere nisi unam qualitatem circa aliud symbolum: verbi gratia ignis non habet vincere in aere calorem, in quo convenit, sed solam humiditatem per actionem siccitatis, in dissymbolis verò v. g. in aqua, habet vincere duas, sc. frigiditatem, & humiditatem; ergo in his victoria est difficilior.

Objic. sunt aliqua elementa, quæ non sunt activa; ergo non possunt in se convertere alia. Prob. ant. quia siccitas in summo est minimè activa, & summè resistitiva, ergo terra v. g. est minimè activa.

Respondeo neg. ant. sunt quidem minus activa, quàm alia, sed semper habent aliquid activitatis, unde, quando magis activa v. g. modicus ignis agit in massam ingentem terræ, ab ea repatitur, & vincitur, & suffocatur.

Objic. aqua valdè calefacta ab igne non convertitur, aut saltem priùs convertitur in vaporem, quam in ignem; ergo elementa dissymbola non convertuntur, saltem immediatè.

Resp. neg. consеq. Nam licèt tunc id non fiat, fit tamen aliquando, ut cùm modica aqua injicitur in fornacem.

Inst. ut aqua convertatur ab igne, debet ejus humiditas, & frigiditas gradatim minui, & destrui, ita ut prius diminuatur ad 4. gradum, quam ad 1. vel ultimum, sed in quarto gradu erit disposita ad formam alicujus mixti, ergo priùs aqua transit ad formam mixti, quàm ad formam ignis, ergo transmutatio non potest fieri immediatè.

Resp. dist. min. ad formam mixti, quæ introduceretur, nisi impediretur; con. min. quæ de facto debeat necessariò introduci; neg. min. nam per actionem ignis v. g. de quarto gradu tàm citò transit ad 5. & alios diminutionis, & ad contrarios, ut non possit succedere forma ulla mixti.

Objic. 3. Ut terra vertatur in ignem, non solùm debet destrui frigiditas, & introduci calor summus, sed etiam raritas, sed hæc non potest introduci immediatè; ergo nec ille converti potest immediatè. Prob. ant. quia raritas est qualitas propria ignis; ergo requiritur ad generationem ejus.

Resp. neg. ant. & dist. prob. Raritas est qualitas con-

consequens; vel concomitans, con. ant. prævia, & disponens, neg. ant. terra autem postquam corrupta est, & conversa, & non opponitur raritati.

Quæres, an per duo elemēta possit generari tertium.

Respondeo 1. *ex congressu duorum elementorum Symbolorum non posse generari tertium diversum*.

Ratio est, quia non possunt generare formam, nisi secundum dispositiones, quas possunt introducere in materiam; sed non possunt introducere nisi dispositiones, seu qualitates, quæ in ipsis sunt, seu dissymbolas; ergo nec formam, v. g. si concurrant aer, & aqua, vel corrumpentur qualitates Symbolæ; sc. humiditates utrique communes, & sic non remanebunt nisi calor, & frigus, ex quibus nullum potest consurgere elementum, vel corrumpentur qualitates dissymbolæ, ut calor, & humiditas, ex quibus consurget elementum Symbolum aeri, ergo, &c.

Resp. 2. *ex congressu duorum dissymbolorum potest generari tertium ab illis diversum, per generationem æquivocam*.

Ratio, quia corrupta in eis per actionem, & passionem mutuam una quasi in alterutro, potest introduci contraria, quæ erit dispositio ad formam alicujus tertii, verbi gratia concurrentibus igne, & aqua, destrui potest in aqua frigiditas, & causari calor in materia aquæ, & sic fiet aer: ergo, &c.

QUÆSTIO III.

De primis qualitatibus Elementorum.

LOquimur de elementis puris, & secundum se spectatis, non verò de illis, quæ apud nos sunt, quia impura, & peregrinis immixta qualitatibus, & supponimus singula, sicut propriam formam substantialem habent, ita & qualitates singulis formis convenientes, & per quas inter se pugnant, aut conveniunt, & ad generationem mixtorum concurrunt.

Qualitates autem aliæ sunt *primæ*, quæ non fluunt ab aliis prioribus, sed immediatè à formis substantialibus; seu *quæ neque ex se invicem, neque ex aliis, sed aliæ sublunares, & tangibiles ex illis fiunt*. Aliæ *secundariæ* dicuntur, quia ab illis prioribus fluunt, ut

gra-

gravitas, & *levitas*, quæ dicuntur etiam motrices, quia per eas singula elementa tendunt, & moventur ad locum proprium sibi à natura destinatum, ut *raritas*, & *densitas*, *perspicuitas*, & *opacitas*.

Suppono autem, quòd *calor* est qualitas *congregans homoganea, & disgregans heterogenea*. Sic ignis unit, & congregat partes auri in fornace, & separat eas ab aliis metallis: sic in Stomaco calor nativus unit partes alimenti in substantiam aliti, & separat excrementa. *Frigus*, est qualitas *congregans heterogenea, & homogenea*, ut patet, dum congelat aquam, & paleas, & terram, ligna, & lapides simul. *Humiditas* est qualitas, *per quam res difficilè proprio termino continetur, & facilè alieno detinetur*, ut aqua sibi relicta difluit, & colligitur in vase. *Siccitas* denique est *qualitas, per quam res facilè continetur proprio termino, & difficilè alieno*. Sic lapis propriis terminis, & figura continetur, sed difficile accommodatur figuræ alienæ, verbi gratia vasis.

Istæ qualitates dicuntur *activæ*, quia per illas elementa exeunt in suas proprias operationes; sicut per *Motrices*, suæ consulunt quieti quærentes centrum suum, illi effectus, & operationes, per quas hic definiuntur, sunt tantùm secundariæ, nam primariæ sunt *calefactio*, & *exsiccatio*, & *frigefactio*; sed sic definiuntur, ne videantur per se ipsas definiri.

Nec tamen simpliciter, nec æqualiter sunt activæ, sed etiam passivæ, etiam inæqualiter, *calor* enim, & siccitas plus habent activitatis, & minùs resistentiæ, seu passibilitatis, *frigus*, & *humiditas* minùs activitatis, & plus resistentiæ, seu passibilitatis. Tamen quælibet satis activa est, ut agat in contrariam, eamque attemperet, & in medium statum reducat, ut ex ipsis mixtum fieri queat, & conservari.

CONCLUSIO I.

Quatuor sunt primæ qualitates elementorum, sc. calor, siccitas, humiditas, & frigiditas, est communis.

Prob. 1. *ex Scoto*, sive quia supponit singula elementa habere suam propriam qualitatem, v.g. ignis habet calorem, & quod *qualitates elementi non sunt*

sine

sine elemento. Et alibi dicit, quòd *qualibet qualitas secundum aliquem gradum determinatè inest suo elemento. Qualitates consequuntur formam in suo esse, puta calor perfectissimus formam ignis, &c.* &c. hoc omnes supponunt.

Prob. 1. quia certum est istas esse veras qualitates, & quidem primas, & convenire singulis elementis, ergo tot sunt primæ qualitates elementorum. Prob. ant. Nam de ratione qualitatis nemo dubitat, sunt enim accidentia qualificativa subjecti, id magis probabitur infra, 2. certum est eas esse primas, quia non dantur aliæ priores, à quibus fluant, & omnes aliæ manant ab istis, ita ut nulla qualitas tangibilis possit assignari, quæ non fiat ex istis, ergo sunt primæ 3. denique quòd conveniant singulis Elementis, etiam certum est ipsa experientia, & amplius patebit: ergo hæ omnes quatuor qualitates sunt primæ, & elementares.

Confir. ex Philosopho: [1] cæteræ qualitates tangibiles, ut *durities*, *mollities*, *raritas*, *densitas*, *lenitas*, *asperitas*, &c. fiunt ex istis. Item *gustabiles*, ut sapor, & *visibiles*, ut color, *&* *audibiles*, ut soni, & *motrices*, ut gravitas, & levitas, & id etiam confirmatur experientia, qua constat ex mutationibus, & diversa combinatione harum qualitatum corpora laxari, aut stringi, addensari, aut rarescere, fieri dura, aut mollia, aspera, aut lęvia, & denique odores, sapores, & colores aliquo modo alterari quoad sensum.

Objic. 1. frigus, & siccitas sunt tantùm privationes caloris, & humiditatis, ergo non sunt qualitates, saltem positivæ. Prob. ant. Solo recessu caloris augetur frigus absque productione ullius novi gradus frigoris, ergo frigus non est nisi privatio caloris, & idem est de siccitate recedente humiditate,

Resp. neg. utrumque ant. dum recedit calor, producitur frigus, quod illum expellit. Unde vel magis sentitur frigus, vel non, si magis, ergo intenditur frigus, & quidem positivè, quia privatio non sentitur, si non, ergo non intenditur, sed vel durat calor, vel distrahitur agens.

Objic. 2. Siccitas, & humiditas non sunt per se sensibiles, nec operativæ, ergo nec qualitates; ergo sunt tan-

[2] 2. *de part. anim. & de sensu, &c.*

tantum duæ primæ qualitates, prob. ant. 1. quia si quis tangat aquam purè humidam, non sentit inde dolorem, aut molestiam, nisi quatenus sit calida, aut frigida, idem est de sicco, homo quantumcumque siccus non dolet nisi ex calore, vel frigore febris, ergo siccitas, & humiditas non sunt per se sensibiles. 2. si totus oceanus esset applicatus subjecto capaci humiditatis, non humefiet, si vel tenuissimum vitrum interponatur, & idem est de siccitate, ergo humiditas, & siccitas non sunt operativæ, ergo nec qualitates.

Resp. neg. ant. quoad utramque partem: nam si non sentirentur, unde tot, tantique viri somniassent illas qualitates, & agnovissent corpora sicca, & humida? ad prob. neg. conseq. 1. partis, licet enim non sentiatur dolor, aut molestia, non minus percipitur humiditas ex propria ratione ejus, neg. etiam conseq. quoad 2. partem, quia si ant. sit verum, de quo dubito, corpus intermedium impediet actionem, & quidem dicuntur passivè, in comparatione aliarum duarum, quæ activiores sunt.

Objic. 3. *quod non sunt primæ*; quia dantur in elementis aliæ virtuales, ex quibus istæ manant, ergo illæ sunt primæ, non istæ.

Resp. neg. ant. Id enim gratis omnino asseritur, cum non sit ullum indicium talium qualitatum virtualium.

Inst. aqua calidissima, remoto igne, reproducit in se frigus virtuale præter formale.

Respondeo neg. conseq. ad hoc enim sufficit forma substantialis aquæ sine alia qualitate distincta, & virtuali.

Inst. piper, & vinum, & alia mixta habent tales qualitates virtuales, quibus calefaciunt stomachum; ergo & elementa.

Resp. dato gratis ant. (nam hi effectus possunt evenire à formis substantialibus mixtorum, verbi gratia, vini & piperis) neg. conseq. quia experientia id docet de mixtis, non verò de elementis, & alia est ratio, & experientia de utrisque, nam aqua calida non refrigerat subjectum alienum, sicut facit piper, aqua producit in se frigus naturale amoto igne: piper non calefacit se ipsum, ergo non est eadem ratio de mixtis, & de elementis.

CON-

CONCLUSIO II.

UNaquæque qualitas est *activa*, & *resistitiva respectu suæ contrariæ*, sed non *æqualiter*. Est communior.

Activitas est ipsa virtus agentis, qua efficienter aliquem producit effectum. *Resistentia* est virtus rei, qua impeditur, vel retardatur actio contrarii, ne fiat vel totaliter, vel tam citò, vel tam intensè, aut perfectè, & hoc fit vel *activè*, debilitando potentiam agentis contrarii per reactionem, & dicitur resistentia activa, sic ignis resistit aquæ; vel *passivè*, conservando se, & permanendo in suo statu in præsentia, & invito contrario, ut cū lapis resistit per suam gravitatem, ne moveatur à loco suo. His positis

Prob. 1. ex Doctore, [1] *quare*, inquit, *ignis non comburit omnia elementa, cum sit majoris activitatis, non videtur ratio, nisi ex proportione, vel adæquatione aliorum in resistendo virtuti suæ in agendo*: ergo ex Scoto, ignis est summè activus respectu aliorum, & alia sunt resistitiva ea proportione, qua ille est activus. De activitate autē aut quod *inconveniens est, quod sit aliqua qualitas, & nō habeat aliquā actionem*.

Prob. 2. 1. pars, [2] si aliquæ non essent activæ, maximè humiditas, & siccitas, sed utraque est activa; ergo omnes sunt activæ; prob. min. experientia; nam ignis immediatè mutatur in aerem, sed id fieri non potest nisi per actionem mutuam inter siccitatem ignis, & humiditatem aeris, & ista vincente, & similiter ex aere, & terra fit ignis per pugnam Terræ, & aeris; ergo per actionem, & passionem inter siccitatem Terræ, & humiditatem aeris. Similiter sal humectatur, & liquefit ab aere, & glacies ab aqua, carnes in locis humidis computrescunt actione humiditatis, medici applicant humida siccis, & sicca humidis, auster calidus, & humidus humectat corpora, & Boreas siccus, & frigidus exsiccat, &c. ergo humida, & sicca sunt activa.

Prob. 2. pars, quælibet enim harum qualitatum, quamdiu est in subjectis, maximè in elementis resistit, & impedit, aut retardat actionem qualitatis contrariæ, ergo quælibet est resistitiva. Prob. ant. experientia, nā calor, & siccitas in igne impediunt, aut retardāt actio-

[1] 4. d 49. q. 13. b. n. 3. [2] *ibid. n.* 19.

actiones aliorum, & sic est de aqua, & cæteris cum proportione contrarietatis, ergo, &c.

Prob.3. pars, quia ex omnium sensu constat frigus, & calorem esse activiora, quàm siccitas, & humiditas, & è contra, constat has duas esse magis resistitivas. Unde hic ordo statuitur, & recipitur communiter, calor est summè activus, deinde frigus, 3. humiditas. 4. siccitas, & è contra; siccitas summè resistit, 2. humiditas, 3. frigus, & 4. calor.

Objic. contra 1. *par.* Aristoteles vocat calorem, & frigus qualitates activas, & siccitatem, & humiditatem passivas; ergo conclusio est contra Arist.

Resp. neg. con. quia, ut diximus, duæ priores dicuntur activæ comparativè, quia fortiùs, & velociùs multò agunt, & idem est de posterioribus, cum dicuntur passivæ, quia sc. plus resistunt; & id concedimus.

Objic. 2. si aqua, & ignis concurrant, faciliùs expellitur frigus ab aqua, quàm calor ab igne, ergo falsum est humidum magis resistere.

Item concurrentibus sicco, ut terra, & humido, ut aqua, siccum citiùs humectatur, ergo etiam falsum est, quòd siccitas magis resistat; ergo dicendum generaliter, quòd quæ sunt activiores, sunt etiam magis resistitivæ, & quòd aliæ magis resistant aliis.

Resp. neg. 1. ant. imo ignis citiùs extinguitur ab aqua etiam calida, neque etiam aliud de terra, & aqua; nam in principio madefactionis terra non dicitur *humida*, sed *Uda*, seu *irrigata*, quia tunc tantùm id dicitur propter adhæsionem substantiæ aqueæ immixtæ cum terra, progressu verò temporis aqua producit veram humiditatem actione univoca, & tunc terra dicitur humida.

CONCLUSIO III.

Duæ ex illis qualitatibus conveniunt singulis elementis, sc. calor, & siccitas, igni: calor, & humiditas, aeri: humiditas, & frigiditas, aquæ, frigiditas, & siccitas Terræ. Est communis inter Peripateticos.

Prob. 1. ex Scoto *sciendum est*, inquit, *quod quatuor sunt elementa simplicia, sc. ignis, aer, &c. quorum cuilibet tribuuntur duæ qualitates primæ in sua naturali dispositione, sc. igni caliditas, & siccitas, &c. & cuilibet istorum inest una primarum qualitatum in summo,*

&

& alia non, & addit, quod si teneatur, qualitates symbolas esse ejusdem speciei in diversis elementis; v.g. caliditas ignis, & aeris, tunc *cuilibet istorum elementorum inest una qualitas prima in summo, & alia citra summum eo ordine, quo ponit Arist. sed si teneretur, quòd qualitates symbolæ diversorum elementorum differrent specie, tunc oporteret concedere, quamlibet qualitatem elementi esse in summo, ita quod caliditas aeris, & ignis esset æquè intensa, nec oportet, quod ista appareant æquè intensa, quæ sunt diversarum rationum*. Ecce totam hujus materiæ doctrinam breviter, & clarè explicatam.

Prob. 2. experientia, & 1. de igne: qui dubitat de illius calore, tangat: de siccitate verò, patet ex oppositione ejus cum aqua, illi enim opponitur non tantùm in calore, & frigiditate, sed etiam in siccitate, & humiditate, unde extinguitur ignis in aqua etiam calidissima, quod non fit, nisi per humiditatem, item lignum eò facilius concipit ignem, quò est siccius, & ignis exsiccat humida; v.g. vestes lutum, &c. ergo ignis est siccus, & calidus.

2. De aere; nullum aliud elementum habemus, quod difficiliùs terminetur propriis terminis, & faciliùs contineatur alienis; ergo experientia docet aerem esse summè humidum, stando definitioni humiditatis communiter receptæ.

De caliditate verò constat, quia si esset frigidum, non corrumperetur, sed conservaretur frigore. Sed frigore corrumpitur, & convertitur in aquam; ergo non est frigidus; ergo calidus; Idem calor colligitur ex raritate, & levitate; in his enim maximè accedit ad ignem, frigus verò condensat, & aggravat. Item si esset frigidus, extingueret ignem, quod falsum est.

3. De humiditate aquæ nullus dubitat, unde Scriptura dicit. [1] *Si Deus continuerit aquas, omnia siccabuntur*. Nec minus est sensibilis ejus frigiditas, & maximè in æstate, tunc enim in puteis, & fontibus, licèt calore solis, & aeris obsessis frigidior est, & cum accepit ab agente contrario calorem, sibi relicta innatum recuperat frigus, & denique pisces in hoc elemento nati sunt frigidiores; ergo aqua est humida, & frigida in summo, & humida in remisso; nam

[1] *Job.12.*

nam faciliùs suis limitibus continetur, quàm aer.

4. Siccitas terræ probatur ex ipsius nomine, quod accepit à Deo, nam vocavit [1] *aridam terram*, & illi maximè & præ omnibus aliis convenit definitio sicci, quod facilè proprio termino continetur, & difficilè alieno, & cum perfunditur aqua, illam absumit, & exsiccat, & sibi relicta reducit se ad innatam siccitatem. De frigiditate verò constat ex eo, quòd in profundis visceribus extremum regnat frigus, & lapides, marmora, metalla, ut magis dura, & terrestria sunt, ita & frigidiora.

Objic.1. ignis difficilè terminatur proprio termino, & facilè alieno æquè, ac aer, aut aqua, ergo est humidus, non siccus, vel falsa est definitio humiditatis, & siccitatis. Prob. ant. experientia, nam flamma diffluit faciliùs, quàm ipse aer, & continetur in fornace, & concavo Lunæ, ergo, &c.

Respondeo dist.ant. utrumque, difficilè continetur proprio termino, & facilè alieno, & id venit ab extrinseco continente, ipso igne, & flamma renitente: conc.ant. ab intrinseca ejus natura, neg. ant. utrumque: nam ignis, quantùm potest, erumpit ex fornace, & ex limitibus, quæ illi ab extrinseco objiciuntur, &, quòd facilè diffluat, oritur ex prævalentia, & prædominio caloris, per quem rarefit ejus substantia.

Inst. Cineres facilè diffluunt extra proprios terminos, & facilè terminantur alienis, & tamen sicci sunt ab igne, ergo inde non benè arguitur siccitas ignis, vel humiditas aeris.

Resp. neg. conseq. nam pulvis, cineres, & hujusmodi non sunt corpora continua, sed corpuscula discontinua, quæ facilè ad continentiam, & figuram vasis accommodantur, sed si seorsim, & singulariter sumantur, illis planè conveniet definitio siccitatis.

Inst. Experientia docet, quòd, si manum flammæ imponamus, extrahimus illam cum aliqua humiditate: ergo flamma est humida.

Resp. neg. conseq. Ea enim humiditas venit ex eo, quod ex lignis evaporetur semper aliqua humiditas cum flamma.

Inst.

[1] *Gen.1.*

Inst. 3. Medici docent carnes assas esse humidiores elixatis, ergo ignis est humidior.

Resp. neg. conf. Id enim venit, quia plus de succo carnis elixatæ diffluit per aquam, & plus remanet in assa, unde fit humidior.

Objic.2. Aer, quo magis recedit à suis contrariis, sc. ab igne, & terra, ut in media regione, est frigidior, ergo aer est summè frigidus, non calidus. Ant. patet experientia, nam in media regione formantur grandines, & nives, ergo ibi est frigidior.

Resp. neg. ant. & conseq. prob. Nam ibi est frigidior, & ibi generantur ea Meteora frigida per accidens; sc. ex vaporibus aqueis, quæ illuc ascendunt, & illam regionem infrigidant, sicut hæc inferior infrigidatur recedente sole per vicinitatem aquæ, & terræ, & vaporum, ac exhalationum.

Objic. 3. quando aer est purus, omnia exsiccat, ergo potius est siccus, quàm humidus, prob. ant. experientia, nam in æstate aer exsiccat, & in hyeme congelantur liquida, & humida; ergo &c.

Resp. neg. ant. Illi enim effectus non veniunt præcisè ab aere, sed à sole, & à ventis calidis, & siccis, & urentibus: sicut in hyeme congelantur aquæ, & humida per exhalationes frigidas, & siccas, atque subtiles per aerem serenum excurrentes cum influentiis syderum effectivè frigidorum.

Inst. Si aer esset humidus in summo, inutiles essent pluviæ ad humectandam, & refrigerandam terram, sed hoc est contra omnem experientiam, ergo aer est potius siccus, quàm humidus.

Resp. neg. maj. Nam licèt aer sit humidus, est etiam calidus, & propter suam raritatem, & levitatem facilè diffluit; & minimè applicatur terræ, & hęc aliunde multum resistit per suam siccitatem summam, ideo aquæ, & pluviarum irrigationes necessariæ sunt, & faciliùs penetrant terram, cum qua symbolizant per suam frigiditatem.

Objic.4. de Terra; nam ex Arist. [1] nullus humor est sine calore, sed aqua est quidam humor, ergo est calida, & confirmatur ex ejus salsedine in mari, nam salsa omnia sunt calida.

Resp. dist. maj. Humor mixtorum con. maj. & neg.

[1] 5. *de Gener. anim.* c. 3.

& neg.min. humor elementaris, neg. maj. & conseq. loquitur de humoribus animalium, quæ sunt mixta, de salsedine verò maris nihil inferri potest, quia non est innata aquæ, ut dicetur suo loco.

Inst. Si esset summè frigida, non generarentur ibi pisces, nec animalia, quæ non vivunt sine calore, ergo est calida.

Resp.dist.ant.si esset apud nos,& ubi generantur pisces, aqua purè elementaris, con. ant. si non sit pura neg. ant. non est autem pura, sed permixta calore solis, & aliis humoribus, prout naturæ piscium convenit.

Objic.5. Videmus ex fontibus profundioribus, & ex puteis in hyeme fumantes vapores, & aquas calidiores, & pluviæ cadentes ex aere sunt tepidæ, licèt ea regio aeris sit frigida; ergo aqua ex se est calida.

Resp. neg. conseq. Nam illi vapores fumantes, & calor venit à vaporibus calidis, qui per hyemale, & circumstans frigus in antris detinentur, non verò ex natura aquæ, pluviæ verò, licèt descendant à frigida regione, ut est media, transeunt per infimam, quæ est calida, & ibi calefiunt.

Objic.6. de terra, si non esset calida, non esset fœcunda plantis, hæ enim non generantur sine calore, ergo terra est calida.

Resp. 1. si argumentum valeret, probaret etiam terram esse humidam, quia non minus ad generationem plantarum requiritur humor, quàm calor, nec minus illi opponitur siccitas, quàm frigus.

Resp.2. quod sicut siccitas terræ propter culturam, & irrigationem non impedit generationem, ita nec frigus propter calorem solis, quo deficiente sterilescit, æque ac deficiente humiditate, & hoc debemus divinæ providentiæ, nec Deus voluit terram etiam in paradiso voluptatis esse fœcundam, nisi mediante opera hominis, posuerat siquidem ibi hominem, ut *operaretur, & custodiret illum*. Quidam prætendunt, ignem habere duas qualitates in summo sc. calorem, & siccitatem; & similiter aquam summè frigidam, & humidam esse. Rem explicat Scotus citatus, & parum interest.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De qualitatibus motricibus, seu gravitate, & levitate elementorum.

JAm diximus qualitates motrices Elementorum eas esse, per quas feruntur ad centrum, quæ sunt *gravitas*, & *levitas*, gravitas *est qualitas motrix ad locum deorsum*. Levitas è contra est qualitas motrix ad locum sursum, unde si grave superponatur alii corpori, quantum in se est, descendit infra illud, si leve supponatur, elevat se supra illud, ut patet de vesica plena aere, quæ ex fundo aquæ elevat se super illam, & secundum quod id præstant fortius, aut lentiùs, dicuntur magis, aut minùs gravia, aut levia.

Porro de motu gravium, & levium jam diximus in Physica. Examinamus hìc, an illę qualitates distinguantur à substantia rerum gravium, & levium, quibus elementis cōveniant, & an ista gravitent in propriis locis.

CONCLUSIO I.

PRobabilius *est gravitatem, & levitatem esse qualitates distinctas à substantia gravium.*

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] qui gravitatem reponit inter qualitates mixti. *Prædominium elementi in mixto attenditur secundum convenientiam in qualitate naturali, quæ qualitas est principium motus*, ut *gravitas principium movendi deorsum*, & superiùs dixerat quòd *in gravibus, & levibus ubi est potentia motiva ad illud ubi*, & ex Philosopho docet, quòd *densum, & rarum concomitantur duæ contrarietates, videlicet grave, & leve, durum, & molle*...& quod *grave, & leve sunt activa motus secundum hanc contrarietatem*. Sed contrarietas non est inter substantias, sed inter qualitates; ergo ex Scoto, & Philosopho gravitas, & levitas sunt qualitates distinctæ, non solum à substantia, sed etiam à raritate, & densitate, quas comitantur.

Prob. 2. quia non solum reperitur contrarietas inter gravitatem, & levitatem, quæ sunt proprietates qualitatis, non verò substantiæ; sed etiam, quia inten-

[1] 2.*d*.15.*G*.*n*.*q*.& *d*.2.*q*.10.*A*. *n*.2.& 4.

intenduntur, & remittuntur, substantia verò non suscipit magis, & minus; ergo sunt veræ qualitates, & per consequens distinctæ à substantia gravium.

Confir. ex Mysterio Eucharistiæ, nam in speciebus Eucharisticis remanet eadem gravitas, licèt absit substantia panis, & vini; ergo gravitas, & levitas sunt qualitates distinctæ, & separabiles à substantia.

Dicunt, non remanere gravitatem formaliter, sed impulsum, qui suppletur à Deo, & quo feruntur species deorsum. Sed hoc est recurrere ad novum miraculum gratis, & sine fundamento, & idem posset dici de aliis accidentibus panis, & vini, quod tamen Theologi non admittunt.

Dices 2. eas non distingui à rebus raris,& densis,nec ab opacis,& diaphanis, nam,quæ sunt densa, sunt gravia,& quæ rara,sunt levia:ergo gravitas, & raritas non sunt qualitates distinctæ, saltē à raritate, & densitate.

Contra; nam licèt se se concomitentur, ut dicebamus ex Scoto, ordinariè hoc non impedit distinctionem. Dico ordinariè, nam aliqua sunt opaciora, & densiora, & simul leviora; fumus, & nubes sunt densiores aere, & tamen leviores, quia suprà illum elevantur, lignum est densius, & levius aqua, plumbum est densius, & levius ferro; glacies est densior, aqua, & levior, quia illi supernatat.

Objic. 1. si Deus poneret terram in aere nudatam omni qualitate, vel staret, aut caderet: si staret, ergo naturaliter quiesceret, & gravitas illi esset violenta, si descenderet, ergo esset substantialiter gravis, sed primum dici non potest; ergo dicendum quod descenderet.

Resp. neg. subsumptum, staret enim, sed violenter, quia terra licèt de se actu non sit gravis, sicut substantia non est de se quanta, nec extensa, tamen exigit gravitatem.

Objic. 2. Non datur qualitas distincta à substantia aquæ, per quam calida producat in se pristinum frigus; ergo nec datur qualitas distincta, per quam moveat se ad centrum.

Resp. neg. conseq. Et disparitas est, quia non habemus aliud principium productivum talis frigoris, quàm formam aquæ; habemus verò gravitatem, quæ sit principium talis motus.

Ob-

Objic. 3. cum Poncio, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi gravitatem, & levitatem, velut distincta entia à substantiis gravium, & levium, ergo non sunt asserendæ ut distinctæ.

Resp. neg. min. necessitas enim petitur ex fundamentis conclusionis.

Inst. Si essent qualitates, essent primæ, vel secundæ, sed neutrum dici potest, ergo non sunt qualitates. Prob.min. Non sunt primæ, quia diximus illas esse tantùm quatuor. 2. non secundæ, quia debent venire ex primis, sed hoc dici non potest, ergo &c.

Resp.neg.min.utramque; causantur enim à primis qualitatibus,& concurrunt etiam aliæ,nempe raritas, & densitas. Imo & ipsa forma substantialis aliquando, certum enim est, aquam calidam leviorem esse, item & corpora rariòra, quàm densiora.

CONCLUSIO II.

IGnis est summè levis, aer minus; terra gravissima, & aqua minùs. Est communis.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Ignis*, inquit; *est corpus simplex...inter omnia corruptibilia, & generabilia est magis calidum, & leve: magis rarum, & Diaphanum*, & pro reliquis sic habet; *semper elementum gravius movetur* ut subsit leviori; sicut terra naturaliter movetur, ut subsit aquæ, & aer supereemineat *aquæ*, quod forte non legerat Poncius, cum dixit, quòd aqua non petit ascendere super terram, non enim tàm apertè contradicere voluisset magistro, ergo ex Scoto Ignis est summe levis, aer minus, terra gravissima, & aqua minus gravis.

Prob.2. experientia, qua constat ignem tendere sursum etiam super aerem, & hunc super aquam,& hanc ideo graviorem utroq; sed constat terrã subesse aquæ, ergo ignis est summe levis, & terra gravissima, &c.

Confir. ex eodem Scoto, quia nobilissimo elemento debetur nobilissimus, seu supremus locus. Sed ignis est elementorum nobilissimus: ergo, &c.

Objicies 1. ignis aliquando descendit, ergo non est levissimus. Prob. ant. Arist. dicit ex sphæra ignis de-

E 5 scen-

[1] *1.meteor.q.7.n.3.*

ſc endere particulas quaſdam ejus in infima loca; ergo.

R ſp. neg. ant. & diſt. prob. portiones ignis mixti cum aliqua materia terreſtri; conc. ant. ignis puri; neg. ant. Ignes enim illi cadentes ſunt materiæ terreſtres, & graves in ſupremas partes ſublimiores aeris attractæ per ſolem, & aſtra, & inflammatæ, ut cometæ, non autem purus ignis.

Objic. 2. de terra non eſt gravior metallis, v. g. plumbo, ferro, auro, &c. ergo non eſt graviſſima.

Reſp. diſt. ant. terra non pura, ſed immixta aeri, vel aquæ; con. ant. terra pura; neg. ant. unde metalla eò ſunt graviora, quò magis terrea, & minùs gravia, quò minus permixtum eſt terræ.

Inſt. Cadavera injecta in mare poſt aliquot dies ex fundo in ſuperficiem aſcendunt: ſed illa tunc ſunt terreſtria, ergo terra ſupernatat aquæ, ergo eſt levior.

Reſp. neg. ſuppoſitum min. ſc. quod, poſtquam fuerint diu ſub aqua, ſint magis terreſtria, quàm cum deſcenderunt ſub illam; imò quod eſt terreſtrius, reliquerunt in fundo, & evaſerunt magis putrida, & aqua, & partes aereæ remanſerunt, unde fiunt leviora. Idem dicitur de pumice lapide, qui ſupernatat aquis propter multum aerem incluſum in poris.

CONCLUSIO III.

E*Lementa non gravitant, nec levitant in propriis locis*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] mox cit. *quoddam elementum magis movetur finaliter, ut conjungatur toti Elemento, cujus ipſum eſt pars, quàm ut propriè ſit in tali loco, vel tali, v. g. particula terræ, vel aquæ exiſtens ſurſum potiùs deſcendit, ut conjungatur aquæ, ſi ſit aqua, aut terræ, ſi ſit terra, quam proprie eſſe in tali loco, vel tali: cujus ſignum eſt, quod cum particula ſuo toti eſt conjuncta, quamvis actu gravitatem habet, non tamen habet tractum gravitatis, & ideo elementa non ſunt gravia in ſuis ſphæris, vel locis propriis*, & alibi docet, quòd grave ipſum eſt cauſa quietis ſuæ in loco naturali, & cauſa motus ad illum.

Prob. 2. ratione, & loquor de gravitate, aut levitate non habituali, & in actu primo, quatenùs important

tant

[1] *ibid. 4. 2. d. 2. q. 10. D. n. 5.*

tant ipsas qualitates, prout natas causare motus sursùm, aut deorsùm, sed de actuali, & in actu secundo, quatenùs important actus talium qualitatum, sc. motionem actualem sursùm, aut deorsùm, quæ motio dicitur gravitatio, aut levitatio: nam de gravitate in actu primo non est dubium, quin naturaliter insit cuilibet elemento gravi, ubicumque sit. Hoc sensu posito, sic probo concl. quia si gravitarent in propriis locis, numquam quiescerent, sed consequens est absurdum; ergo, prob. min. Si enim in propriis gravitant, aut levitant, sunt ibi in statu violento, nec apparet alius locus, in quo possint quiescere, ergo, &c.

Prob. 3. experientia; qua constat pisces, & natantes in aquis non sentire pondus ullum; & quod si elevetur aqua, non sentitur gravitas ejus, donec extrahatur, ergo, &c.

Objic. varias experientias, quibus constat, elementa gravitare in propriis locis, 1. utres pleni aere magis gravitant, quàm vacui, ergo aer gravitat in aere 2. vox ex alto meliùs auditur ad infra, quàm ex imo in altum, ergo facilius descendit, quàm ascendat. 3. aqua in vase testaceo gravitat super terram, quale est vas, & homo portans illud. 4. qui ex aqua emergunt, videntur ingens pondus exuere, ergo elementa gravitant in propriis locis.

Resp. neg. conseq. nam generaliter loquendo nullum ex his est in proprio loco: aer est reclusus violenter in utre; nec de illo pondere conveniunt omnes. 2. nec etiam de voce, imò experientia docet, eam melius audiri ex alto, quia faciliùs ascendit cum aere. 3. Aqua inclinat ad totum, & est extra proprium locum, licèt detenta in vase testaceo: nam idem faceret in vase aureo, & ipsa testa gravitat super caput, & est supra aerem circumstantem. Ob eamdem rationem cum in vase ipso descendit in fundum putei, vel fluvii, ut meliùs uniatur toti, à quo per ipsum vas separatur, ut videbamus ex Scoto 4. emergens ex aqua sentit difficultatem, quia aqua resistit elevationi, & divisioni.

QUÆSTIO V.

De situ elementorum, & principaliter de aqua, & igne.

QUem ordinem,& situm inter se teneant elementa non est magna difficultas,censent enim omnes infimum locum tenere terram, aquam immediatè superiorem, aerem tertium, ignem verò quidam ponunt supremum, seu medium inter concavitatem sub cęlo Lunæ, & regionem supremam aeris; alii in centro terræ, seu mundi, alii nullibi locum illi assignant præter illa, quæ apud nos occupat, nec putant alium dari ignem præter nostratem.

CONCLUSIO I.

D*Atur verus ignis elementaris in concavo Lunæ super omnem aerem*. Est communis post Aristotelem.

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] qui vocat *ignem*, & *aerem elementa superiora*; & hanc conclusionem expressè habet in Meteoris, ubi sic loquitur. *In concavo Lunæ est ignis,.... quia ad experientiam videmus, quòd corpora levia, quæ sunt de natura ignis, ascendunt superiùs naturaliter per aerem,tunc ergo vel iste ascensus est, ut illud ascendens conjungatur alicui consimilis naturæ, vel propriè;ut possit supereminere aeri.Si* 1.*modo habetur propositum, videlicet, quòd ibi habetur aliquid consimilis naturæ, sc. ignis. Si* 2. *sequeretur,quòd frustrà ascenderet versus illum locum, ex quo ita citò, sicut eò veniret, corrumperetur*. Alias tres rationes affert eximias, quas ibi legere non pigebit, & si Poncius legisset, non dixisset Scotum hanc sententiam supponere absque ulla probatione velut communem Aristotelis, & Peripateticorum,

In scripto Parisiensi idem sic probat. *Item motus Elementorum manifestat nobis, quod ignis est supra aerem totum, quia etsi parvus ignis non possit ascendere ultra totum aerem ad sphęram ignis, hoc propter magnitu-*

[1] 2.d.14.q.3.A.n.2.& d.47.p.2. B.n.3.& 1. Meteor. q.7.n.4.

gnitudinem virtutis continentis,et parvitatem virtutis resistentis, quæ corrumpitur, antequam veniat ad sphæram suam, &c.

Prob.2. ex SS.PP. [1] qui communiter hoc supponunt, & maximè Aug. qui hoc probat ex motu naturali ignis sursùm, nam *omnia moventur naturaliter ad centrum suum*, sed omnis ignis naturaliter movetur sursùm etiam super aerem, quantum potest, ergo centrum ignis est sursùm, & super aerem.

Tota ergo ratio Augustini, & Scoti, & aliorum est, quod singulis Elementis debet assignari locus, in quo quiescant, sed nullus potest assignari locus igni præter illam regionem, quæ est in concavo cœli Lunæ, ergo ita est. Prob. min. Non potest assignari locus ulli corpori naturalior, quàm ille, ad quem naturaliter movetur, ejusque partes, sed ignis, & partes ejus naturaliter feruntur super aerem, ergo non potest assignari alibi locus ejus.

Obj c.1. Si ignis esset in concavo Lunæ, & quidem tantus, deberet lucere, & à nobis videri, sicut videntur cometæ, aut sydera remotiora, sed non videtur, nec lucet, ergo nec ibi est.

Respondeo neg. seq. maj. Nam ignis in centro est adeò rarus, purus, & transparens, ut lux ejus à nobis videri non possit, apud nos verò lucet ob admixtionem, & densitatem, & hoc patet de cœlo, & puriori aere, hæc enim non videntur, licèt sint illuminata, sc. ob illas qualitates, ipsimet radii lucis non videntur, nisi sint terminati in subjecto aliquo denso, & ita est de igne apud nos, v. g. in candela.

Respondeo 2. neg. min. De nocte videtur, & ab eo certum est venire cæruleum colorem in cœlo, vel concavo Lunæ, unde ignis valdè accensus, & subtilis præfert illum colorem etiam apud nos.

Inst. Si inter nos, & cœlum esset ignis, numquam videri possent propria loca Planetarum, sed conseq. est contra omnes, & contra experientiam, ergo & antec. Prob. seq. Planetæ viderentur extra propria loca propter ignem, & aerem, quæ essent media diversæ diaphaneitatis, occurrente enim medio diversæ diaphaneitatis, frangitur radius visualis, & fractio illa facit rem apparere, ubi non est, ergo, &c.

Res-

[1] *de genes. ad lit. c.2. et 3.*

Respondeo cum Scoto neg. seq. maj. & ant. prob. & rationem ejus, sc. Ignem, & aerem esse diaphaneitatis satis diversæ ad illam refractionem.

Inst. 2. Ignis ille, & noster essent ejusdem speciei; sed noster ignis non est adeò transparens, ergo nec ille, ergo inde fieret, ut ne stellæ quidem videri possent.

Respondeo dist. maj. Essent ejusdem speciei quoad substantiam, conc. maj. quoad transparentiam, raritatem, & puritatem, neg. maj. & conseq. Ideò ille non impedit visionem syderum; benè verò noster, qui est opacior, densior, & impurior,

Objic. 2. Ille locus sub Luna est aptior ad corrumpendum ignem, quàm conservandum, ergo ibi non est. Prob. ant. Orbis Lunæ est frigidus, & humidus, ergo locus immediatus illi est frigidus, & humidus, & ideò contrarius igni, & aptus ad illum corrumpendum.

Respondeo neg. ant. & conseq. prob. Nam, licèt ille orbis secundum qualitates suas virtuales sit frigidus, & humidus; tamen propter velocitatem motus non nocet igni, (inquit Scotus) & præterea ignis habet fortiorem resistentiam; & illa humiditas potest exercere, & cohibere nimiam activitatem ignis.

Objic. 3. Ignis tantæ molis, & activitatis deberet omnia comburere, & summum calorem causare in hæc inferiora, ergo, &c. Prob. ant. Si enim astra ignea, licèt longè remotissima calores urentes causent in terris, quid faceret ingens adeo ignis, & tantò activior, quantò purior?

Respondeo neg. seq. & rationem ejus. 1 quia ignis ibi est rarissimus, & inde minimè activus, apud nos enim tantò ardentior est, quantò densior per immixtionem vaporum. 2. non est tam ingentis molis, quàm imaginamur. 3. obsistunt humiditates aeris, & cœli. 4. obsistit virtus regitiva cœlorum. 5. frigiditas mediæ regionis aeris, in qua generantur pluviæ, nives, & alia frigida, & humida Meteora. 6. disparitas de astris lata est: nam illa sunt virtualiter calida, & nobiliori modo calefaciunt.

Objic. 4. Non potest conservari noster ignis sine pabulo, ergo nec ille ibi, ubi contrariis esset obsessus,

sc.

sc. cœlo, Luna, humido, & frigido, & aere pariter summè humido.

Respondeo neg. conseq. & parit. de nostro, & de illo. Noster eget pabulo, quia debet deorsùm retineri contra inclinationem suam, sursùm verò est in centro, & propria substantia contentus, sicut cætera corpora.

Objicies 5. auctoritates 1. Scripturæ, quæ nullam facit mentionem de creatione ignis inter alias creaturas etiam minimas. 2. ex Patribus, v. g. Hieronymo, & Augustino asserentibus aerem diffundi à terra usque ad cœlum, quod non esset verum, si ignis medius esset inter cœlum, & aerem. 3. ex Arist. dicente; quòd, *si superiores distantiæ plenæ sunt corpore aliquo, igne quidem impossibile, quia exsiccarentur omnia alia, ergo*, &c.

Respondeo neg. conseq. & dico. 1. Scriptura nomine terræ significat omnia elementa, alioqui nec aer esset, nec ignis terrestris. 2. SS. PP. & alii per aerem, & de aere loquuntur secundum vulgi sensum, quod nihil aliud percipit inter cœlum, & terram, nisi aerem. Arist. denique excludit ignem, qui repleat totum spatium, aut magnam partem spatii à cœlo ad terram, & qui sit talis, qualem vulgus experitur nostrum.

CONCLUSIO II.

Noster ignis est verus ignis ejusdem speciei cum elementari. Est communis contra aliquos volentes, illum nihil esse præter calorem solis accensum in materia.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Ignis, inquit, *potest esse extra suam sphæram in materia aliena, utpote in corpore ignito*. [2] Item inter ignem in concavo Lunæ, & nostrum non ponit aliam differentiam, nisi quòd infra orbem Lunæ est magis perspicuus, & diaphanus, quàm aer, & à fortiori, quàm noster, ergo ignis utrobique est ejusdem speciei, nec differt, nisi accidentaliter. Confirmatur ex ratione fundamentali præcedentis conclusionis, quæ supponit, ignem inferiorem esse consimilis naturæ illi superiori, ad quem movetur sursum, ut illi conjungatur.

Prob.

[1] *4.d.47.q.2.B.n.3.* [2] *L.1.Meteor.cit.n.6.*

Prob. 2. quod non sit calor, sed substantia. Quia calor, quantumvis accensus, calefacit, sed non urit, nec destruit alias substantias, sed ignis noster urit, & consumit alias substantias, ergo est verus ignis substantialis. Prob. maj. Accidens non habet vim generandi, aut corrumpendi substantias.

Prob. 3. Quia nulla est ratio multiplicandi speciem ignis, ergo ille, & noster sunt unius speciei, licet differant aliquot qualitatibus, ut diximus.

Objic. 1. Diversæ proprietates, & effectus arguunt diversitatem specificam; sed illi ignes habent diversas proprietates, & effectus, ergo & formas, seu naturas. Prob. min. Ignis noster est principium lucis, & lucet, non verò ille: hic eget alimento, non ille; noster non generat, sed corrumpit animalia. Denique, ex Arist.[1] non est una species ignis; nam diversus est carbo, & flamma, & lux.

Respondeo dist. min. Habent diversas proprietates accidentales, & contingentes, conc. min. inseparabiles, seu necessarias, & convertibiles, neg. min. & 1. prob. de Luce. Nam uterque est lucidus suo modo, licet elementaris lux non sit tàm visibilis ob raritatem, lucet tamen. 2. calor utriusque debitè applicatus inservit ad generationem, vel neuter inservit, & denique illæ differentiæ carbonis, flammæ, & lucis veniunt ex parte materiæ, non verò formæ.

CONCLUSIO III.

I*Gnis in concavo Lunæ movetur circulariter.* Est etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Cælum movetur circulariter, & superior regio aeris movetur circulariter, ergo & ignis, &c. Conseq. tenet. Quia non est imaginabile, vel consonum rationi, quòd illa duo loca extrema moveantur circulariter, & medium non; Prob. Ant. quoad 2. partem. Nam stella cometa, quæ generatur in suprema regione aeris, movetur circulariter; & non dividendo aerem, quia tunc statim consumeretur, ergo movetur motu aeris.*

„ Prob. 2. ex eodem. Quia ignis, & superior regio
„ aeris sunt multùm leves, & propter suam levitatem mul-

[1] *S.Topic.loco* 54. [2] 1. *Met. cit.n.*8.

„ multum inclinantur sursùm, & ratione ipsius in-
„ clinationis fortiter inhęrent cœlo; propter quam ad-
„ hærentiam deferuntur cum motu cœli. Sed media
„ regio aeris, & quidquid est hoc inferius, sunt gra-
„ via quodammodò, & ideò non adhærent sursùm,
„ nec oportet ea moveri tali motu, ergo.

Objic. 1. Cætera elementa, ut aer, aqua, & terra deberent etiam moveri, sed non moventur, ergo neque ignis. Prob. maj. Quia eadem ratio valet de aliis.

Respondeo neg. maj. & ant. prob. propter rationẽ mox allatam. Quia scilicet ignis ob levitatem, & raritatem summam, sicut & pars summa aeris, adhæret parti concavæ cœli, alia verò elementa è contra propter gravitatem, & densitatem potiùs divelluntur.

Objic. 2. Ille motus ignis esset vel naturalis, aut violentus; non naturalis, quia per levitatem non movetur, nisi sursùm; non violentus, alioqui non esset perpetuus, ergo non movetur.

Respondeo neg. conseq. Quia ille motus est præternaturalis, seu neuter.

Inst. Vel erit simplex, vel compositus, non simplex, id est per lineam rectam, quandoquidem mobile est indifferens, non mixtus ex simplici, & alio indirecto, ita ut partes hinc inde ascendant, & descendant, quia non potest assignari causa illius diversitatis, ergo, &c.

Respondeo neg. conseq. Potest enim esse rèctus, si partes ignis sint unitæ inter se, vel mixtus, si sint sparsæ. Quid inde?

Inst. 2. Unius entis est unus motus; sed ignis est unum ens, & motus ejus est sursùm, ergo & rectus, ergo non potest alio motu moveri.

Respondeo dist. maj. Unus motus ab intrinseco, conc. maj. & ab extrinseco, neg maj. Ignis ab intrinseca levitate movetur sursùm; ab extrinseco, id est à cœlo, movetur circulariter.

Quæri posset de terra: [1] *An illa sit in centro mundi?* sed hoc jam asseruimus suprà, ubi de dispositione, & partibus sphæræ universæ.

Quæri etiam posset hìc, quod examinant alii, de Meteoris: *An terra sit altior aqua.*

Res-

[1] *Disp. de Mundo.*

Respondeo cum distinctione. Nam terra secundum montes est sine dubio altior aqua, quoad superficiem verò planam est saltem æqualis.

Prob. 1. *pars ex Scoto* [1] dicente, *quòd aquæ diluvii inundaverunt miraculosè* (ascendentes super cacumina montium 15. cubitis) *ad punitionem peccatorum*. Sic loquens supponit montes esse altiores aquis.

Prob. 2. tota resolutio ex Scriptura. [2] *Super maria fundavit eam* (terram) [3] *congregans sicut in utre aquas maris*, &, [4] *qui descendunt mare in navibus*; hi omnes loquendi modi ostendunt aquam contineri in terra, propter fluiditatem suam; sicut aqua in utre, &c. ne scilicet diffluat, & quòd descendunt, qui se mari committunt ad navigandum, &c.

Confir. ex SS. Patribus, Augustino Chrysostomo, Hieronymo, Damasceno, & aliis, quos videre est apud Auctores. [5]

Ratione, & experientia. Aqua enim semper descendit, & diffluit, & si altior esset montibus, operiret eos. Item in ipso Oceano, qui est marium altissimus, reperiuntur insulæ super illum elevatæ, & videntur flumina intrantia in mare per 40. milliaria, quod non facerent, si Oceanus esset altior terra; potiùs enim rejicerentur in terram, quàm ab illa excurrerent.

Confir. ex S. August. [6] Numquidnam *in altum congregatæ sunt aquæ, sicut fit, cùm ad ventilandum in area messis trita surrigitur, & congesta in aggerē nudat locum, quem diffusa contexerat? quis hoc dixerit, cùm videat usquequaque campos maris æqualiter fusos, qui etiam, cùm aquæ fluctuantis quidam velut montes eriguntur, sedatis rursùs tempestatibus complanantur*.

Objic. 1. ex Scriptura. [7] *Veni in altitudinem maris*, &, [8] *super montes stabunt aquæ*, & *terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram* &, [9] *usque huc venies, hic confringes tumentes fluctus tuos*, &, [10] *quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis*, &c. &, [11] *posui Arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit*. Deni-

que,

[1] 2.*d*.17.*q*.2.*B*.*n*.1.& 4. [2] *Psal*.23. [3] *Psal*.32. [4] *Psal*.106. [5] *Apud Avers*. *q*.36. [6] *Lect*.4. *In ses*.135.& *l*.1.*sup*.*Gen*.*ad lit*. [7] *Psal*.68.. [8] *Psal*.103. [9] *Job*.38. [10] *prov*.8. [11] *Jerem*.5.

que [1] *duc in altum, ascendit in naviculam*, ergo aqua de se est altior terra, & si non cooperiat terram, non venit ex eo, quòd non sit superior, sed quia, Deo jubente, sic continetur, ne diffluat.

Respondeo neg. conseq. Nihil enim tale colligi potest ex illis, vel similibus locis Scripturæ per *altum*, vel *altitudinem* [2] intelligitur profunditas maris, ut norunt grammatici: pro *stabunt*, alii legunt *stabant*, scilicet tempore diluvii. *Abyssus* ita crevit, *ut supra montes starent aquæ*, legimus hoc factum in diluvio. *Terminum verò posuit* Deus congregans aquas ex superficie terræ in creatione, cùm operirent terram. Dixit enim: *congregentur aquæ in locum unum*, alia loca potiùs faciunt pro nobis, probantque terram esse altiorem, & quasi murum.

Objic. 2. experientias, quibus videmus mare rubrum altius esse terra; &, cùm ex littore maria aspicimus, videmus aquas velut globum elevari, sicut non, nisi montium vertices appareant, ergo aqua est celsior saltem planitie terræ.

Respondeo dist. conseq. Celsior quoad aliquas partes; conc. conf. totaliter, seu universaliter, neg. conseq. id ergo verum esse potest de mari rubro, & aliis quibusdam locis, sed universaliter id non est verum; unde cùm à littore maris recedimus, mare cessat videri, quòd signum est illud esse profundius. De Montibus idem accidit aspicientibus eos à longe, & nullo intermedio mari; sic etiam navigantibus terra apparet demissior ex illusione oculorum, qui obscuriores colores percipiunt in præsentia clariorum, quasi essent profundiores, ut in tabellis pictis.

Queri etiam posset, *an Elementa sint formaliter in mixto*, sed priùs vidēdū est, quid sit mixtio, & mixtum.

QUÆSTIO VI.

De elementorum mixtione, an, & quid sit.

M*Ixtio* opponitur simplicitati, seu puritati, quam diximus propriam corporibus, & elementis. *Largè* sumpta significat omnem localem conjunctionem duorum, aut plurium corporum, qua fit, ut inter se

[1] *Luc. 2.* [2] *S. August. ibi.*

se conjungantur qualitercumque, sive unumquodque servat formam, & qualitates suas, sive non, sed fiant ex eis, & eorum corruptione unum tertium distinctæ speciei, sic duæ farinæ, v. g. tritici, & hordei miscentur, *propriè* verò sumitur hic pro ea, qua duo corpora sic inter se conjunguntur, ut amittant rationem suam specificam, & formalem, & ex eis fiat unum tertium specie distinctum, in quo tamen ipsa aliqualiter contineantur. Ad hanc concurrunt tria. 1. conjunctio localis eorum, quæ miscenda sunt. 2. mutua illorum alteratio sufficiens ad introductionem formæ mixti in materiam illorum. 3. effectiva introductio formæ mixti.

Corpora, quæ sic possunt conjungi, dicuntur *miscibilia*, ut corpus illud tertium, quod ex illis generatur dicitur *mixtum*. In illis autem requiritur, 1. ut sint reciprocè activa, & passiva, & se se mutuò possint alterare: unde materia, & forma, subjectum, & accidens, corpora cœlestia, & sublunaria non sunt *miscibilia*, quia non sunt adinvicem activa, & passiva. 2. ut possint facilè dividi, & comminui in partes minutas, ideò lapis, & ferrum non miscentur. 3. ut non sint nimiùm magna, & multa: nam, quæ mole, & magnitudine nimia sunt, non facilè alterantur. 4. ut sint proportionatè activa, & passiva secundum activitatem, & resistentiam, nam si activitas unius nimiùm superat resistentiam alterius, non miscentur, sed convertuntur, & fit *augmentatio*, non *mixtio*, ut in nutritione, in qua vivens convertit alimentum in suam substantiam, quæ inde augetur.

CONCLUSIO I.

Mixtio est miscibilium alteratorum unio. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hanc tradit ex professo, & explicat. *Verum est*, inquit, *quòd mixtio est eorum, quæ fuerunt alterata. Et quod dicitur unio, debet sic intelligi, quòd omnis mixtio est quædam generatio, et per consequens corruptio alterius*, sensus ergo definitionis est, quòd mixtio est generatio alicujus, in quo uniuntur miscibilia, quæ fuerunt alterata, & mixta.

Prob. 2.

[1] *4.d.15.F.nn.1.n.1.*

Prob.2. Quia sufficienter explicat naturam definiti per verum genus, & differentiam: nam dicitur 1. *unio*, & id habet rationem generis. 2. *miscibilium alteratorum*, & in his est differentia: nam *miscibilium* significat, quod est corporum, quæ possunt uniri, & *alteratorum* indicat, quod, ut sic uniantur in tertium, debent inter se alterari, non tamen sic totaliter corrumpi, quin aliquo modo maneant in mixto.

Objic.1. Bona definitio debet dari per aliquid notius, sed ista non sic datur, ergo non est bona. Prob. min. *miscibilia* sub ratione *miscibilitatis* sunt æquè ignota, ac *mixtio* ipsa, ergo, &c. Imò videtur idem definiri per se ipsum; nam miscibilitas includit mixtionem.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam Philosophus priùs declarat, quid sit miscibile, & hìc supponit materialiter pro rebus corporeis, quæ sunt miscibiles, & ut diximus in Logica, non est mirum, quòd relativa non possint definiri sine connotatione aliorum, & talis est mixtio. Relativa enim sunt simul natura, & cognitione.

Objic.2. Generantur mixta absque concursu diversorum elementorum, sed ex unico Elemento, ergo malè definitur mixtio, quòd sit unio miscibilium. Prob. ant. Pisces generantur ex sola aqua, aves ex aere, vermes ex terra, sed hæc animalia sunt vera mixta, ergo vera mixta fiunt absque unione plurium elementorum. Maj. prob. ex Arist. [1] id asserente.

Resp. neg. ant. & maj. prob. Nec id voluit Aristoteles, sed ita loquitur ob prædominium talium elementorum in illis generationibus.

Objic.3. Quæ sic miscentur, corrumpuntur substantialiter, antequam fiat *mixtum*, & sit *mixtio*, ergo malè dicitur miscibilium unio.

Resp. dist. ant. Corrumpuntur secundum quid, conc. ant. absolutè, & simpliciter, neg. ant. Quidam enim existimant, elementa manere formaliter in mixto, nos dicemus ea manere virtualiter, & hoc sufficit, ut dicantur uniri in mixto.

CON-

[1] *L. 3. de Gen. anim. c. 11.*

CONCLUSIO II.

D*Atur verè mixtio Elementorum*. Eſt communis. Prob.1. ex Scoto loco citato, & aliis innumeris, ubi ſupponit *mixtionem*, & *mixta*, & maximè dum negat elementa manere in *mixto* formaliter.

Prob.2. Quia Elementa ſunt ordinata ad mixtionem, per quam alia corpora multiplicentur, ut ſpecies Plantarum, animalium, & aliorum corporum: & hæc omnia eſſe mixta probat eorum reſolutio in eadem elementa, ergo, &c.

Objic. Mixtio eſſet vel naturalis, aut violenta, ſed neutrum dici poteſt, ergo non datur. Prob. min. 1. Non eſſet violenta, alioqui raro fieret. 2. non naturalis, quia, ut ad eam concurrerent elementa, levia deberent deſcendere, aut gravia aſcendere, ſed hi motus ſunt violenti, ergo & mixtio.

Reſpondeo neg. min. & diſt. maj. prob. Hi motus ſunt violenti reſpectu elementorum in particulari, quæ alterantur, & moventur, conc. min. reſpectu agentium, neg. min. Nam cauſa efficiens, & generans mixtum eſt naturalis.

QUÆSTIO VII.

De cauſis mixtionis, & quomodò elementa ſint in mixto.

C Auſæ ſunt *materialis*, *formalis*, *efficiens*, & *finalis*, de *finali* nihil occurrit particulare examinandum, conſtat eam dici poſſe perfectionem, ſeu bonum univerſi, nec de *formali*, quia certum etiam eſt, eam eſſe formam ſubſtantialem mixti, v.g. formam ligni, piſcis, ranæ, &c. reſtat videndum de aliis cauſis, & circa *efficientem* quæritur, an mixtio ſit effectivè ab ipſis elementis, an ab alio agente, & circa materialem. 1. an ipſa Elementa ſint, & omnia debeant ſemper concurrere ad mixtionem, an ſufficiant duo, vel tria, an etiam unicum. 2. an ipſa contineantur formaliter, id eſt ſecundum formas ſuas ſubſtantiales in mixtis.

CON-

CONCLUSIO I.

Elementum non est causa efficiens mixtionis, seu mixti, sed vel agens universale, vel aliquod particulare, quod est generativum formæ substantialis mixti.

Prob.1. ex Scoto. [1] Quandò concurrunt elementa ad generationem, *non generatur mixtum per actionem illorum corrumpentium se mutuò, sed oportet illa agere in virtute universalis agentis.*

Prob.2. ex eodem. Quandò generatur forma mixti, elementa non sunt, sed quod non est, non potest agere, ergo elementum non est causa efficiens mixti. Prob. maj. eo instanti, quo generatur mixtum, elementa sunt alterata usque ad corruptionem, immò sunt corrupta, ergo pro eo instanti non sunt. Ant. meliùs patebit ex concl. seq.

Prob.3. ex eodem. [2] Quia causa æquivoca est nobilior suo causatò, sed elementa in eo instanti, in quo corrumpuntur, & in quolibet instanti, sunt imperfectiora ipso mixto, ergo non causant, nec generant ipsum mixtum actione sua. Prob. min. maximè de mixtis viventibus, quæ sunt simpliciter nobiliora quocumque elemento.

Igitur causa vera efficiens formæ mixti est illud agens, vel universale, ut cœlum, & astra, vel particulare, & univocum, per quod alterantur elementa, & eorum materia disponitur ultimò ad formam mixti. [3]

CONCLUSIO II.

Potest etiam unum mixtum causare aliud mixtum effective.

Prob.1. ex Scoto [4] dicente, quòd vinum convertit aquam in se, (& hoc in multis locis docet) sed vinum est aliquod mixtum, ergo vinum mixtum potest aliud causare effectivè.

Prob.2. aliis experientiis collectis ex variis auctoribus, nam observatum est, quòd magnes attrahit ferrum, ut illud in se convertat, & id præstat, si diù maneant simul. Idem de plumbo, qui super tecta diù exposi-

[1] *2.d.15.q.un.B.n.7.* [2] *ibid.* [3] *Lichetus ibid.*
[4] *2. d.19.q.un. A.n.4. et 4.d.11.q.7.B. n.2. et d.44. q. 3. E.n.7.*

expositum mole, & pondere crescit per aeris in se conversionem. [1] Idem de petra salis, & aliis lapidibus, & metallis observarunt alii, idem de aceto, quod aquam ferventem, & vinum in se convertit. Item de pravis humoribus in hominis stomacho, ubi cibos in se convertunt. Aristoteles idem observat de modica aqua in dolium vini immissa, quæ in illud convertitur, & de igne convertente in se ligna, ergo unum mixtum potest aliud generare.

Objic. 1. Mixta habent primas qualitates refractas, & debilitatas, non verò in gradu excellenti, ut elementa, ergo per illas non possunt alia corpora alterare, & in se convertere.

Respondeo neg. conseq. Nec enim semper requiritur, ut qualitates sint in gradu excellenti absolutè, sed sufficit, ut habeant illas in gradu aliquo satis intenso, alioqui ipsa viventia, quæ non habent illas qualitates in gradu excellenti, & summo, ut elementa, non possent convertere cibos.

Objic. 2. ex Arist. [2] Nutritio fieri non potest ex unico elemento, sed ex pluribus, ergo aqua pura non potest in vinum converti. Prob. ant. Ex unico Elemento non potest fieri mixtum, ergo nec alimentum, aut nutritio. Prob. ant. ex definitione mixtionis, quæ est *miscibilium unio*.

Resp. neg. ant. de quo, ubi de nutritione dicemus, & dist. ant. prob. Non potest ex unico elemento fieri mixtum propriè, quatenùs ex multis miscibilibus, quæ quoad substantiam maneant in mixto, conc. ant. impropriè, quatenùs ex uno corrupto generatur alia substantia per quandam conversionem, v. g. per nutritionem, neg. ant. & talis est ista.

Inst. Si vinum converteret in se aquam, id faceret per qualitates formales, vel virtuales, sed neutrum dici potest, ergo non convertit. Prob. min. 1. non per formales, quia formaliter est frigidum, aut humidum, sicut aqua. 2. nec per virtuales, quia istæ non agunt, nisi excitentur per formales, ut piper, & vinum excitantur per calorem stomachi, ergo per neutras potest vinum alterare aquam.

Resp. neg. maj. Id enim facit per propriam formam,

[1] *V. Mastrium Disp. 7. de mixt. n. 52.*
[2] 2. *de Gen. 50.*

mam, sicut animal convertit cibos: licèt per qualitates suas formales, & virtuales alteret, & disponat ad illam conversionem, de ista conversione ex professo agemus in tract. de Eucharistia.

Quæres, *an ad mixtionem requirantur omnia quatuor elementa.*

Respondeo cum Scoto, mixtionem essentialiter dicere unionem plurium, & fortè non semper omnia concurrunt, saltem de possibili, & in rigore, tamen potest ex unico generari mixtum, ut patet de vino, & aqua: sed tunc erit mixti generatio, non autem mixtio.

CONCLUSIO III.

E*Lementa non manent formaliter in mixto secundum suas formas substantiales.* Conveniunt Scotistæ, & Thomistæ.

Prob.1. ex Scoto. [1] Elementa *non manere in mixto secundum substantiam, sive remissam, sive non remissam, &c.* quod deindè probat multipliciter.

Prob.2. ex eodem. Non est ponenda pluralitas sine necessitate, sed nihil cogit ponere pluralitatem elementorum, vel formarum substantialium in mixto, ergo, &c. Prob. min. Si quid cogeret, maximè operatio, *quæ maximè concludit formam*, vel transmutatio, ut esset terminus *ad quem*, vel *à quo* generationis, aut corruptionis: sed neutra cogit, ergo nulla. Prob. min.1. Quia operatio mixti non est ejusdem rationis, seu speciei cum operatione elementi, ergo non est ponenda pluralitas illa propter operationem. 2. Quia forma mixti, & forma elementi habent sufficientem entitatem, ut una sit terminus unius generationis, vel corruptionis, & alia alterius item generationis, vel corruptionis, ergo transmutatio non inducit illam pluralitatem.

Confir. Quia, sicut nihil potest simul esse sub forma ignis, & aquæ, ita à fortiori sub forma mixti, & eorumdem elementorum.

Prob. 3. Si Elementa essent formaliter in mixto, essent

[1] *2.d.15.q.un.A.n.5.L.5.*

essent vel omnia simul in qualibet parte mixti, vel divisim, unum in una, & alterum in alia, sed neutrum dici potest, ergo nec primum. Prob.1. pars min. Si omnia essent simul in qualibet parte, ibi essent compenetrativè, & ignis, & aqua essent simul, sed hoc utrumque est naturaliter impossibile, ergo non sunt simul in singulis partibus. Prob.2. pars ejusdem min. Singulæ partes mixti sunt mixtæ, sed non essent mixtæ, si unum Elementum, v. g. ignis, esset in una, & aqua in alia, ergo non sunt ibi divisim.

Prob.4. Mixtum præter formas elementares habet propriam, vel nullam aliam, si nullam, ergo omnia mixta essent ejusdem speciei, quia haberent easdem formas substantiales, si haberet propriam, ergo nullum elementum ex se esset substantia completa, quia omnia quatuor essent ulteriùs complebilia per formam mixti, cui formæ illorum subordinarentur. Prætereà hæc forma mixti subjectaretur, & informaret subjecta realiter distincta, scilicet 4. Elementa, quorum singula possent seorsim existere.

Prob.5. Ignis ibi existeret, & conservaretur sine pabulo, sicut in propria sphęra, quod est contra omnes, & tàm in mixto, quàm seorsim deberet accendi, & accendere pulverem tormentarium, æquè ac una scintilla separata, & non posset extingui in aqua, & conservaretur potiùs, ut in piscibus.

Prob.6. Mixtum esset aggregatum per accidens, sicut acervus lapidum, sed hoc absurdum est, ergo, &c. Prob. seq. Illa Elementa non essent continua, sed contigua, sicut lapides acervati, ergo, &c. Prob. ant. Duo corpora specie diversa nequeunt continuari, ex Arist. [1] sed elementa specie differunt, ergo nequeùnt in mixto continuari.

Prob. denique. Nullum corpus mixtum de novo generaretur, absurdum conseq. ergo & ant. Prob. maj. Fieret tantùm nova adunatio elementornm, ergo nihil de novo generaretur, & id fortè concedent aliqui, negantes, formas substantiales esse aliquid distinctum ab Elementis diversè combinatis, sed hos refutavimus in Physicis, ubi de forma substantiali.

Objic.1. In omni mixto sunt quatuor primæ qualitates elementares, ergo & ipsa elementa. Prob. conseq.

[1] *Phys.c.4.*

seq. Quia sunt proprietates inseparabiles elementorum.

Respondeo neg. ant. Sunt quidem qualitates similes, sed non elementares, scilicet in summo, vel excellenti, seu propè in summo, sed attemperatæ, & mixtæ.

Objic. 2. Omne mixtum resolvitur in 4. Elementa ergo hæc in illo continentur formaliter. Prob. cons. Unumquodque resolvitur in ea, ex quibus constat, seu, *quæ insunt*, ergo, si mixtum resolvitur in Elementa, ut nos ipsi fatemur, hæc in eo sunt formaliter.

Respondeo dist. ant. In quatuor Elementa, quæ ex illo de novo generantur, conc. ant. tanquam in partes actu in eo existentes, neg. ant. & conseq. Illud docuimus, non istud, & dist. ant. prob. Resolvitur in ea, ex quibus constat potentia, vel actu, conc. ant. actu tantùm, neg. ant. & conseq. Elementa ergo continentur in mixto potentia, & virtualiter, non actu, & id sufficit, ut in illa resolvatur per novam generationem eorum.

Inst. ex variis experientiis, v. g. de igne, qui exit ex silice percusso, de aqua, quæ exit à ligno in ignem, de terra, quæ manet post fusam nivem, aut glaciem. Item in combustione ligni reperitur flamma, quæ est ignis, fumus, qui est aer, humor fluit, qui est aqua, & manent cineres, qui sunt terra, ergo ex his liquet, elementa esse in mixtis formaliter.

Respondeo neg. conseq. Id enim minimè sequitur ex illis, & similibus experientiis, sed tantùm arguitur, quòd quædam elementa sint abscondita in poris mixtorum quorumdam, ut in silice ignis, qui ex collisione excitatur, & eruitur, & præterea aer ex collisione duorum corporum rarefit, calefit, & disponitur ad formam ignis, quam deinde producit cœlum; in ligno viridi sunt partes, seu humores aquei, in nive, & glacie corpuscula terræ, & denique ex mixtis generantur aliqua elementa, aut substantiæ elementis similes.

Objic. 3. In mixtione non adest causa corruptiva formæ elementaris, ergo manere debet. Prob. ant. Nec enim corrumpitur à forma mixti, quæ nondùm adest, neque à mixto generante, quia mixtum non

producit sibi simile, non à cœlo, quia cœlum non habet qualitates contrarias, nec per consequens corruptivas formarum elementorum, ergo nulla adest causa corruptiva formæ Elementaris.

Resp. neg. 1. ant. & 2. quoad 2. & 3. partem. Nam corrumpitur à causa generante mixtũ, qualiscumque sit, sive mixtum, sive cœlum, sive aliud, & si aliqua illarum nõ posset inducere qualitates contrarias, saltem poterit inducere dispositiones ad formam mixti, per quas directè destruentur dispositiones formæ elementaris.

Inst. 1. Elementa uniuntur in mixto pari virtute, vel impari, si pari, ergo neutrum vincit, nec vincitur, ut corrumpatur, si impari, ergo fortius vincit, & debilius solum convertitur, ergo non omnia corrumpuntur, nam aliqua remanent.

Respondeo neg. suppositum conseq. & argumenti. Supponit enim elementa destrui à se invicem, quod falsum est, agunt quidem in se invicem, & repatiuntur, & alterantur, sed non destruuntur, nisi à causa generante mixtum.

Inst. 2. Elementa ordinantur ad mixtionem, velut ad finem optimùm, ergo per mixtionem destrui non debent. Prob. conseq. Nam natura non ordinat quidquam ad suam destructionem.

Resp. neg. conf. & dist. prob. Nihil ordinat sic velut ad finem intrinsecum rerum, conc. ant. ut ad finem extrinsecum, neg. ant. Sic alimentum ordinat ad nutritionem animalis, per quam ipsum destruitur, sed ut ad finem extrinsecum rebus alimentariis, sic elementa ad mixtionem, quæ non est bonum ipsorum, sed universi, ordinantur.

Objic. plura loca Philosophi, quibus docet, elementa manere in mixto, & præcipuè definitionem elementi, qua dicitur esse *id, ex quo inexistente aliquid primò corrumpitur*, &c. ergo ex Philosopho ita dicendum est.

Resp. neg. conf. Nam Philosophus nihil aliud intendit, nisi permanentiam virtualem, & sic explicantur, & salvantur omnia illa loca, & definitio.

CON-

CONCLUSIO IV.

E*Lementa manent in mixto virtualiter.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] & Philosopho. *Dico, quod 4. elementa manent in uno mixto virtualiter habente formam substantialem continente in virtute formas elementorum, non tamen secundum substantiam, ut partes sui, sed propter prædictam convenientiam, & continentiam virtualem, & pro hoc videtur esse Philosophus, qui dicit, quòd manent potentia, & virtute,* &c. *convenientia* est in qualitatibus, quas mixtum habet similes elementaribus, sed in gradu refractiori, & remissiori, quàm sint in suis elementis, & *continentia* in hoc, quod mixtum operatur similes operationes, quas operantur elementa, sicut anima rationalis continet virtualiter vegetantem, & sentientem, & similes operationes habet, quas illæ habent, sic enim exemplificat Scotus, non tamen est eadem omninò paritas.

Prob. 2. Quia non potest melius explicari illa continentia, & certum est, quòd sic continentur, scilicet secundum illam convenientiam qualitatum, & operationum.

Objic. Si mixta continerent virtualiter elementa, possent eadem operari perfectiori modo, sed falsum conseq. Nullum enim mixtum perfectiùs calefacit, quàm ignis, ergo, &c. Prob. maj. id enim importat continentia virtualis respectu contenti.

Respondeo dist. maj. Si continerent continentia virtuali perfecta, sicut anima rationalis sensitivam, conc. maj. si sit continentia imperfecta, neg. maj. Talis autem est hæc continentia elementorum in mixto, consistens solùm in hoc, quòd habeant qualitates similes in gradu remisso, & formas substantiales illas qualitates, & operationes exigentes, licèt Scotus exemplificet de anima rationali, non tamen intendit comparationem arguere æqualitatem.

Inst. Si mixtum contineret similes qualitates elementis, plura contraria essent simul in eodem subjecto, nempe in eodem mixto, sed hoc repugnat, saltem naturaliter, ergo & continentia illa.

[1] *Ibid. E. n. 7.*

Respondeo dist. maj. In gradu remisso, & refracto, conc. maj. & neg. min. in gradu summo, vel propè summo, neg. maj. & conseq.

Inst. 2. ex Scoto [1] negante, in mixto, & elementis esse easdem qualitates, ergo ista continentia virtualis aut vera non est, aut malè explicatur.

Respondeo dist. ant. Non vult easdem qualitates primas, & elementares, conc. ant. similes, aut quæ apparent similes, & sunt in aliquo gradu, neg. ant. *Dico*, inquit, *quòd in mixto sunt qualitates qualitatibus Elementi similes, non eædem*, unde est ibi convenientia qualitatis; & alibi dicit, quòd aliquæ operationes apparent communes mixto, & Elemento, vel similes in aliquo gradu.

Quæres, *an illæ qualitates mixti, & Elementorum sint ejusdem speciei?*

Respondeo affirmativè, nihil enim cogit illas multiplicare specie.

DISPUTATIO IV.

De Alteratione.



HÆc Disputatio, & aliquot sequentes pertinent ad libros de generatione, & corruptione, & multi præcedentem de Elementis, & eorum generatione, & conversione, & mixtione ibidem tractant, utcumque sit, hunc ordinem putamus satis naturalem, ut, postquam egimus de substantiis corporeis simplicibus, ut sunt cœli, & Elementa, descendamus ad mixta, & priùs de illorum generatione, & corruptione, quæ utrisque communes sunt, agamus, & incipiamus ab alteratione, quæ corruptionem, & generationem præcedit.

QUÆSTIO I.

An sit, & quid sit Alteratio.

ALterationis vox, 1. *largissimè* significat motum rei, quo fit altera, sive accidentaliter, sive substantialiter. 2. *minùs largè* motum, quo fit altera acciden-

[1] *Ibid. n. 8. & in Report. ibid. n. 8.*

dentaliter per quodcumque accidens, v. g. per *quantitatem*, aut *qualitatem*, aut *ubi*, *situm*, &c. 3. *strictiùs* pro mutatione qualitatis tàm intentionalis, aut spiritualis, ut sunt species intentionales, & habitus animæ, quàm realis, & corporeæ, ut calor, color, &c. 4. *propriissimè* pro mutatione per qualitates corporeas, & contrarias, quæ disponunt ad generationem, & corruptionem, & in hoc sensu de illa agimus tota hac disputatione, & quærimus, an detur, & quid sit, & quomodò differat à generatione, & corruptione. Interim vides non esse idem, *fieri aliud*, & *fieri alterum*, primum significat mutationem essentialem, seu substantialem, & 2. mutationem accidentalem de qualitate in qualitatem.

Porrò, an detur de facto, nemo dubitat, & de hoc disputare superfluum esset.

CONCLUSIO I.

Alteratio rectè definitur à Philosopho motus penes qualitates contrarias extremas, aut medias eodem sensibili remanente.

Prob. 1. ex Scoto [1] post Arist. docente, *quòd in alteratione non transit totum in totum, quia quodlibet totum per se unum, quod præcessit alterationem, manet in termino alterationis, sed tàtùm transit totū unum secundum quid, sive per accidens in totum aliud per accidens, ut lignum calidum in lignum frigidum, &c.* ex quo vides explicationem alterationis conformem definitioni Aristotelicæ, [2] & ejus differentiam à generatione.

Dicitur autem, 1. *motus*, & ponitur loco generis, quia per hoc alteratio convenit cum generatione, & aliis mutationibus quibuscumque. 2. *penes qualitates*, & per hoc jam incipit differre à mutationibus aliis, maximè penes alia accidentia. 3. *contrarias extremas*, *aut medias*, & per hoc differt hæc stricta *alteratio* ab ea, quam 3. loco recensuimus, & ostenditur, quòd attenditur solùm penes qualitates tertiæ speciei, scilicet passionem, & passibilem qualitatem, quales sunt calor, & frigus, albedo, nigredo, & simi-

[1] 1. *de Gen. c. 4. T. 23.*
[2] 4. *d. 11. q. 1. A. n. 2. & Repor. ibid. n. 2.*

similes, quæ actionem contrarietatis, vel passionem in subjectis indicant, & ordinantur, ac disponunt ad generationem, & corruptionem. 4. *eodem sensibili remanente*, & sic differt ultimò à generatione, & corruptione, quæ sunt *mutationes totius in totum*, *nullo sensibili remanente*, & per hoc significabatur, quod dicebat Scotus, quòd in alteratione subjectum unum totum per accidens mutatur in totum per accidens aliud, ut album in nigrum, calidum in frigidum.

Hinc colliges, *alterationem* à generatione substantiali differre 1. penes terminos, ad quos tendunt, & à quibus proficiscuntur. Generatio tendit ad substantiam, & proficiscitur à privatione substantiæ, alteratio tendit ad qualitatem, & proficiscitur à qualitate, v. g. calefactio à frigore ad calorem. 2. penes subjecta, quia subjectum *generationis* est semper substantia incompleta substantialiter, ut materia prima, *alterationis* verò est ens completum substantialiter, saltem ut tale, v. g. corpus, vel homo. 3. penes durationem, quia *generatio* est motus instantaneus, *alteratio* successivus, nam forma substantialis, quæ est terminus *generationis*, est indivisibilis, & non suscipit magis, & minùs, sicut qualitas, ideò tota simul, & indivisibiliter ponitur, qualitas verò successivè intenditur. 4. penes finem, nam *generatio* est propter se, *alteratio* est propter ulteriorem motum, scilicet propter *generationem*, ad quam ordinatur, sed quæri solet, an sic ordinetur ad illam, ut, si generatio esset impossibilis, *alteratio* etiam esset impossibilis.

CONCLUSIO II.

Alteratio non ita essentialiter respicit generationem, ut, si hæc esset impossibilis, illa quoque esset impossibilis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet quidem, quod alteratio in illis qualitatibus præcedit generationem, & corruptionem formæ substantialis, sed non prætendit, quòd sic ab eo fine dependeat, ut aliter esse non posset.

Prob. 2. ex eodem. Quia omne absolutum prius potest esse sine posteriori, ut sæpè docet: sed *alteratio* præ-

[1] *q. 36. univ. n. 3.*

præcedit *generationem*, & est quid absolutum, ergo potest esse sine generatione, & illa cessante, vel implicante, v.g. si substantia esset ingenerabilis, adhuc posset alterari, calefieri, frigefieri, &c.

Confir. Quia primarius finis caloris non est ignem causare, sed calefacere, ergo potest haberi finis primarius alterationis, quamvis non posset haberi generatio, & certè durum videtur dicere, quòd si lignum non posset corrumpi, nec posset exsiccari, nec calefieri.

Objic. 1. Aristotelem dicentem, quòd, *si non sit possibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, neque* possibile erit fieri *ex albo nigrum, neque ex molli durum*, &c. ergo ex Aristotele ex impossibilitate generationis sequitur impossibilitas alterationis.

Respondeo neg. cons. Nam per id vult solùm contra Empedoclem (qui secundas qualitates putabat esse proprietates elementorum) quòd si hæc sint incorruptibilia, ita & illæ, quia omnis proprietas vera est inseparabilis à subjecto suo.

Objic. 2. Alteratio est inter qualitates contrarias se expellentes ab eodem subjecto, sed ista expulsio ordinatur ad generationem, ergo & alteratio, ergo si illa est impossibilis, ita & ista.

Respondeo dist. min. Ordinatur secundariò, conc. min. primariò, neg. min. & conseq. Calor, v. g. ordinatur primariò ad calefactionem.

Objic. 3. Ideò cœli sunt inalterabiles, quia sunt incorruptibiles, ergo ex incorruptibilitate sequitur inalterabilitas.

Resp. dist. ant. De facto, conc. ant. de possibili, & ab intrinseco, neg. ant. Nulla enim est implicantia, cur non possent esse alterabiles, licèt essent incorruptibiles.

Alteratio alia *simplex*, seu *perfectiva*, seu *intensiva*, quæ est acquisitio majoris perfectionis qualitatis in eadem parte subjecti, & opponitur *remissioni*, quæ est deperditio qualitatis: seu *motus* à majori qualitate ad minorem. Alia *extensiva*, quæ est acquisitio in aliis, & aliis partibus subjecti. Rursùs *intensiva* alia est *absoluta*, quæ est acquisitio cujuscumque gradus qualitatis, alia *relativa*, quæ est acquisitio qualitatis, quæ dicitur perfectior respectu alterius imperfectioris.

CONCLUSIO III.

Alteratio est motus successivus, & continuus, sive extensivè, sive intensivè. Est communior cum Scotistis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui loquens de processu motus alterationis ait, quòd *agens, quod debet movere, ab illo instanti incipit movere mobile, & hoc successivè, vel propter partes mobilis, quia nulla pars mobilis est æquè propinqua agenti, sed pars propinqua altera parte in infinitum, sive propter partes formæ, secundum quas debet esse motus, quarum quælibet ante aliam debet esse inducibilis à movente præsente* (Ecce quod ad successionem) & addit, *ab illo ergo instanti immutationis continuæ remittitur calor, qui anteà erat, & acquiritur frigus.* Ecce pro continuitate.

Prob. 2. Alterationis motus attenditur vel penes qualitatem intentam, & remissam, pro alteratione intensiva, & remissiva, vel penes subjectum pro extensiva, sed ex utroque principio motus est successivus, & continuus, ergo alterationis motus est successivus, & continuus. Prob. min. Qualitas intensibilis, & remissibilis est divisibilis per gradus, ut subjectum, quod est substantia quanta, est etiam divisibilis: ergo penes utrumque alteratio est successiva, & continua.

Confir. experientia de igne, & aqua, aut ligno, certum enim est, nec frigus aquæ totum simul expelli, nec totum calorem simul induci, nec per omnes partes aquæ, aut ligni simul, ergo utrumque fit successivè.

Dices, id non probare, quòd fiant continuè, nam possunt intervenire morulæ quædam temporaneæ.

Contra. Nec ratio, nec experientia permittunt dicere, quòd ignis applicatus unquam cesset ab actione, ergo nec quòd interrumpatur introductio caloris, & remissio frigoris. Ant. patebit solutione objectionum.

Objic. 1. ex Philosopho, *dicere alterationem fieri continuè, est adversari valdè manifestis*, ergo ex Arist. alteratio non est motus continuus, sed discretus.

Resp. neg. conf. Nam, ex Scoto, [2] Philosophus vult

[1] *2.d.2.q.9.N.n.31.* [2] *Ind.ib.32.O.*

vult tantùm, quòd res omnes *non semper moveantur, ut volebat Heraclitus, continuè, idem est, ac semper*, unde non negamus, quin aliquandò interrumpantur motus alterationis, v. g. si moveatur ignis, interrumpitur calefactio.

Objic. 2. Si calefactio ab igne fiat per horam, in quolibet instanti producitur aliquid, vel nihil, si nihil, ergo interrumpitur, si aliquid, ergo aliqua alteratio fit in instanti, & sic non erit successiva.

Respondeo, produci semper aliquid, scilicet in instanti producitur indivisibile continuativum, in tempore verò pars divisibilis qualitatis, ita ut alterationis motus correspondeat partibus divisibilibus, & indivisibilibus temporis, qualitatis, & subjecti.

Objic. 3. Sonus causat speciem sui ad certum spatium in instanti, sed illæ species non causant alias species statim in instanti, sed paulò post, ergo in illa productione specierum, seu alteratione illa dantur aliquæ morulæ interruptionis. Prob. maj. Qui est prope scindentem ligna, audit sonum ictus æquè citò, ac videt ictum, qui verò longiùs distat, citiùs videt ictum, quàm audiat sonum, ergo species soni retardantur per aliquot morulas.

Respondeo, hujus argumenti solutionem pendere ex dicendis de speciebus, & sensationibus in libris de anima. Nam multa supponit falsa, & dubia, quæ ibi examinabimus. Pro nunc neg. maj. & ant. prob. Non enim species soni, sed ipse sonus producit species, per quas auditur, &, quòd ab aliis citiùs, ab aliis tardiùs audiatur, venit tùm à distantia, tùm à dispositionibus mediorum, & potentiæ auditivæ, non autem ab ulla interruptione causalitatis soni, & specierum, licèt ille motus non fiat in instanti.

Respondeo 2. minorem etiam supponere, quòd in longiori distantia primæ species soni non audiantur, sed aliæ ab ipsis productæ, alioqui non audiretur ibi sonus, sed species soni.

Objic. 4. Lapis gravis positus super asserem non frangit illum, nisi post multos dies, aut annos, ergo non agit continuè in asserem, ut frangat. Prob. conseq. Si ageret continuè, inciperet frangere à primo instanti: sed hoc non facit, ut experientia docet, ergo non agit continuè.

Resp. neg. conf. & min. prob. Non frangit quidem per divisionem actualem partium, sed per dispositiones imperceptibiles, gravans, debilitans, minuens dispositiones ad continuitatem, incurvans, comprimens, & tandem frangit, unde fert commune dictum, quòd pondus numquam dormit.

QUÆSTIO II.

De intensione qualitatis, an fiat per additionem Gradus ad Gradum, & ejusdem rationis.

Intensio est principalis species alterationis, & quæritur, an fiat per acquisitionem novorum graduum qualitatis, an solùm importet majorem radicationem ejus in subjecto, & an illi gradus novi sint ejusdem rationis cum primis, an verò deperdatur præcedens, dùm alius perfectior acquiritur.

Suppono autem, quòd, sicut quantitas augetur, aut minuitur per partes, v.g. pedes, palmos, ulnas, &c. qualitas intenditur per partes, quæ dicuntur gradus, & ad vitandam confusionem numerantur ab uno usque ad octavum, in quo *qualitas* dicitur summa.

CONCLUSIO I.

Intensio qualitatis fit per additionem gradus ad gradum, seu, *per acquisitionem novæ qualitatis*. Est Scotistarum, & aliorum contra Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui sic proponit quæstionem de charitate. Utrum tota charitas præexistens corrumpatur, cùm nova inducitur, ita ut nulla realitas eadem numero maneat in charitate majore, & minore, & sic resolvit. *Ad quæstionem igitur teneo, quòd realitas illa positiva*, scilicet ut unum, aut duo, *quæ erat in charitate minore, manet eadem realiter in charitate majore* (scilicet, ut quatuor, aut sex) &c. ergo ex Scoto, dùm qualitas augetur, acquiritur novus gradus, remanente priori, quod enim dicit de charitate, quæ est qualitas supernaturalis, idem est de omni qualitate.

Prob. rationibus ejusdem Scoti contra eos, qui di-

[1] 1. d. 17. q. 3. & 4. RR. n. 9. & q. 5. n. 7.

dicunt, quòd, cùm acquiritur novus gra dus qualitatis, v. g. gratia, & charitas, ille, qui præexistebat, destruitur, & novus perfectior producitur. 1. Quia in instanti, quo elicitur actus meritorius novi gradus gratiæ, & quo ille confertur, existit præcedens, qui concurrit ad actum meriti, ergo iste non destruitur. 2. Quia decimus actus meriti potest esse remissior, & imperfectior secundo, & tertio, ergo vel decimus gradus augmenti correspondens huic actui non erit perfectior secundo, aut tertio, vel effectus superabit causam. 3. Quandò frigus remittit in aqua unum gradum caloris, causaret novum illum calorem, qui remaneret; sed hoc absurdum est, ergo, &c. 4. Qualitas non magis reciperet plus, & minus, quàm substantia, nec propriè diceretur intendi, & remitti, sed hoc est contra omnes, ergo, &c. Prob. maj. Quia unus gradus non posset augeri. 5. Non potiùs maneret prior pars quãtitatis, quãdò augetur, quàm primus gradus qualitatis, cùm acquiritur. Duo prima argumenta sunt Theologica, posteriora sunt Philosophica.

Prob. etiam contra eandem opinionem. Quia, quand intenditur calor aquæ, v. g. prope ignem, nulla adest causa destructiva prioris caloris, ergo gratis dicitur destrui. Prob. ant. Ignis non est destructivus caloris, sed productivus, & ipsemet illum produxerat, ergo ipse non est, qui destruit.

Prob. 2. contra eos, qui tenent intensionem illam fieri per minorem mixtionem contrarii, quòd expellitur, v. g. quòd aqua fiat calidior solùm per expulsionem plurium partium frigoris. Nam 1. plures sunt qualitates, quæ non habent contrarium: saltem propriè, & positivè, ut *lux*, *gratia*, &c. ergo istæ non intenduntur per solam expulsionem contrarii. 2. Quia contrariæ qualitates, ut frigus, non magis sunt divisibiles, & corruptibiles per gradus, quàm intensibiles, ergo, si remittuntur per expulsionem gradus post gradum, ita & intenduntur per additionem gradus ad gradum.

3. Prob. contra eos, qui dicunt, intensionem fieri per communicationem perfectioris Existentiæ. 1. Quia existentia non distinguitur realiter ab essentia rei, nec potiùs suscipit plus, & minus, quàm essentia, ut patet ex Metaphysica. 2. Existentia non dat agere per-

fectius,

fectiùs, aut imperfectiùs; sed qualitas intensior agit perfectiùs, ergo id non habet à sola existentia, sed ab entitate aliqua. Prob. ant. Quia existentia præcisè nihil aliud præstat, quàm quòd ponat rem extra causam, sed hoc præcisè non dat perfectiùs, aut imperfectiùs agere, & tàm musca realiter existit, quàm Angelus, ergo id non venit ab existentia. 3. denique. Vel prior existentia destruitur, vel nova additur, remanente priori; si primum, incidit in primam; si secundum, ergo existentia qualitatis augetur per gradus.

4. Contra Thomistas, qui volunt, intendi per majorem radicationem qualitatis primò productæ. 1. Quia non potest qualitas accipere majorem radicationem, vel unionem in subjecto, nisi aliquid de novo adveniat ipsi, aut subjecto: ergo intensio fit per additionem novæ qualitatis, aut entitatis. 2. Quia, ut notat Scotus, rubor nascens in facie ex verecundia, vel ira minùs radicatur, quàm qui aliunde inest, & tamen sæpè intensior videtur, ergo major radicatio non facit intensiorem qualitatem. 3. Qualitates panis, & vini in Eucharistia non habent radicationem in subjecto, cùm sint sine subjecto, & tamen intenduntur, & remittuntur, ergo, &c. 4. Quia non conveniunt Thomistæ in explicanda illa radicatione, & innumeras, & inextricabiles singuli incurrunt difficultates, ut videbis apud Mastrium, & Poncium, [1] ergo intensio fit per additionem gradus ad gradum.

Objic. 1. ex Philosopho. [2] *Quæ sunt contrariis impermixtiora, sunt magis talia*. 2. *magis, aut minus ex eo, quia minus contrarii inest*; homo est magis albus, quia minus habet nigredinis. 3. dicit, quòd ex calido fit magis calidum nullo facto de novo calido, ergo intensio fit ex minori intensione contrarii, & sine additione novi gradus.

Respondeo neg. conseq. Nam sensus primi, & secundi loci non est, quòd impermixtio sit tota, & positiva ratio intensionis majoris, sed solùm concomitans. Certum enim est, quòd, qua proportione intenditur calor in aqua, frigus remittitur, &, quo calidior

[1] *Disp. 3. de Al. n. 15. Disp. 53. n. 18.*
[2] *3. Topic. 4. & 5. Phys. 19.*

lidior est, eò minus habet frigoris. Sensus verò tertii est, quòd, cùm res fit calidior, non fit de novo calida, quia jam erat, sed tantùm ex calida fit calidior.

Objic. 2. Terminus *à quo*, & *ad quem* sunt contrarii, & incompatibiles; sed in intensione prior qualitas est terminus *à quo*, & posterior est terminus *ad quem*, ergo prior est incompatibilis, & debet destrui per adventum posterioris. Min. prob. Nam per intensionem qualitas movetur, & recedit à minori, & accedit ad majorem, ergo, &c.

Respondeo dist. maj. In motu locali, vel generationis, & generaliter, cùm mobile recedit à termino *à quo*, dùm acquirit terminum *ad quem*, conc. maj. & neg. min. In motu, in quo acquiritur terminus *ad quem* sine amissione termini *à quo* neg. maj. & ant. prob. Non enim semper relinquitur terminus *à quo*, dùm novus acquiritur, ut in augmentatione, & intensione. An autem hìc dicatur propriè motus, quando non relinquitur propriè terminus à quo, quæstio est de nomine.

Respondeo 2. conc. maj. & dist. min. prior qualitas est terminus *à quo* materialis conc. min. formalis, neg. min. nam motus intensionis in qualitate, sicut augmentationis in quantitate habet pro termino formali minoritatem qualitatis, pro materiali verò qualitatem, recedit autem per motum ab illa minoritate formaliter, & reduplicativè non æqualitate, nisi materialiter, & specificativè.

Inst. In aliis motibus relinquitur totus terminus *à quo*; ergo & in isto.

Respondeo neg. conseq. quia alii sunt successivi non continui, ita ut illorum partes sibi succedant, iste verò est continuus, & ejus partes permanent, licèt acquirantur successivè.

Objic. 3. Illi gradus essent formæ ejusdem speciei realiter inter se distinctæ; ergo non possent esse in eadem parte subjecti, prob. conseq. duæ formæ ejusdem speciei non possunt esse simul in eodem subjecto, quia individuantur à subjecto, ergo, &c.

Respondeo neg. conseq. & ant. prob. & rationem ejus, loquendo de formis accidentalibus in gradibus diversis, & falsum est accidentia individuari à subjecto, ut diximus in Logica, & Metaphysica.

Inst.

Inst. Sola quantitas habet partes, ergo qualitas non habet.

Resp. neg. ant. vel dist. sola quantitas habet partes extensas, conc.ant. intensas, & intensivas, aut graduales neg.ant. has partes vocamus gradus.

Inst. Si haberet partes, esset composita, & sic non esset forma, sed compositum, sed hoc est absurdum, nam forma est quid simplex; ergo non habet partes.

Resp. neg. maj. esset composita ex partibus gradualibus, & integralibus conc. maj. ex partibus essentialibus neg.maj. & conseq. & subsumptum, ac rationem ejus in hoc sensu, nam forma est simplex simplicitate compositionis ex subjecto, & forma non ex partibus integrantibus, aut gradualibus, ut patet de quantitate.

CONCLUSIO II.

Gradus intensionis qualitatum sunt homogenei, id est ejusdem speciei, & perfectionis, est communior inter Scotistas.

*Prob.*1. *ex Scoto*, [1] dicente, quod *ordo in intensione qualitatis non se habet, ut res diversæ speciei, quarum una continet essentiam alterius, sed est ordo secundum gradus ejusdem formæ, & secundum partes materiales, quæ possunt esse simul, & sicut in quantitate molis tota quantitas est de se una, & tamen habet partes ejusdem rationis, sic partes quantitatis virtutis, ut est qualitas, de se sunt unæ, & constituunt totum unigeneum*, ergo ex Scoto gradus intensivi qualitatis non sunt heterogenei, seu diversæ speciei: Id colligitur etiam ex præcedenti, nam si 8. gradus esset diversæ speciei à septem aliis, contineret perfectionem totam illorum, ut arguebat Goffredus, contra quem scribit, & sic non remanerent alii, ergo, quandoquidem alii remanent, sequitur, quod sint ejusdem speciei, & homogenei, & id clarè insinuat in respons. ad fundamentum dicti auctoris, [2] *quia prior gradus non remanet sub secundo sicut, materia sub forma, sed ut natura in individuo, supra quam quodlibet individuum aliquid addit*: ergo singuli gradus se habent ad qualitatem,

[1] *ibid.n.9.& in Report. ibid.q.6.n.5.*
[2] *5.Metaph.q.7.n.16.*

tatem, sicut totidem individua ejusdem speciei, & in Metaphysica docet, quod quodlibet ejusdem speciei adveniens in eodem natum est intendere formam talem in subjecto, ergo gradus caloris, quo intenditur caliditas aquæ, est ejusdem speciei cum præcedenti.

Prob. 2. ratione ex eodem, nam si quis habens gratiam ut quinque, eliciat actum spei, aut charitatis ut unum, acquiret unum gradum augmenti gratiæ, sed ille gradus non erit perfectior, nec diversæ speciei ab aliis quinque; ergo gradus intensionis gratiæ sunt homogenei, & idem est de aliis.

Confir. in naturalibus, nam si in trutina ponantur ex una parte 5. grana, facient impulsum ut quatuor, & si addas 5. granum, augebitur impulsus uno gradu, sed ille gradus erit ejusdem rationis, unde enim diversificaretur? causæ, seu grani sunt ejusdem rationis, ergo & gradus omnes impulsus.

Prob. 3. Si gradus intensionis essent diversæ speciei, secundus gradus esset duplo perfectior primo, quia contineret totam perfectionem primi, & præterea suam, sicut anima sensitiva est duplo ad minus perfectior vegetativa, & similiter 3. gradus esset quadruplo perfectior 2. & 4. octuplo, &c. & sic octavus superaret septimum 128. gradibus similibus primo, & calidum ut octo ageret secundum 255. gradus supra primum; hoc posito sic argumentor, frigidum ut unum applicetur calido ut octo, destruet unum gradum caloris; peto quem, an primum, an octavum, si octavum, ergo primus gradus frigoris prævaleret, & superaret gradum centies perfectiorem, & fortiorem, sc. primum gradum caloris sibi in virtute & in perfectione æqualem, ergo omnes superabit, quia omnes primum intendunt, & perficiunt.

Confir. hoc, quia si secundus contineret perfectionem primi cum sua propria, & sic de octavo respectu aliorum septem, frustra isti conservarentur, sed hoc est contra adversarios, ergo, &c.

Prob. 4. quia idem ignis, qui causat primum gradum caloris in aqua, causat etiam secundum, & tertium, ergo omnes sunt ejusdem rationis.

Prob. denique, quia nulla est necessitas illos distinguendi specie, & multiplicandi potiùs, quàm partes integrales substantiæ, & quantitatis, ergo de facto

non

non sunt distinctæ speciei, sicut nec partes integrales substantiæ, & quantitatis, ant. patebit solutione objectionum.

Objic.1. Si omnes gradus qualitatis essent homogenei, calidum ut duo posset intendere calidum ut tria, vel sex, sed falsum conseq. ergo & ant. prob. maj. calidum ut duo est ejusdem speciei cum calido ut unum, & ut sex, ergo sicut posset intendere calidum ut unum, ita & calidum ut sex.

Resp.neg.maj. & conseq.prob. quia simile non agit in simile actione univoca, ut dicetur infra, & multò minùs potest agere in fortius.

Inst. Si hoc non posset, esset vel defectu capacitatis in subjecto, vel virtutis in agente, vel applicationis agentis ad passum; sed nullum horum dici potest, ergo posset calidum ut duo intendere calidum ut sex. Prob. min.1. calidum ut sex est intensibile; ergo est capax unius gradus. 2. ut duo potest calorem producere in frigidum, vel in calidum ut unum; ergo habet virtutem causandi unum gradum caloris. 3. tam posset applicari calido ut sex, quam calido ut unum; ergo esset sufficienter applicatum.

Resp.neg.min.& dist. conseq.prob. quoad primam, & 2.partem, nam defectus non venit ex virtute agentis, aut capacitate passi absolutè, sed respectivè, scilicet agens respectivè ad subjectum simile, aut intensius, seu calidius, passum respectivè ad agens debilius, & imperfectius in calore, & hoc patet experientia, quod scilicet simile non agat in simile, nec per consequens in perfectius.

Objic.2. Si gradus essent ejusdem rationis, qualitas intensa ut sex non esset perfectior extensa ut sex, sed hoc est falsum; ergo non sunt ejusdem rationis, min. patet, nam intensa ut sex fortius agit, quàm duo extensa ut tria, habens lumen gloriæ, vel visionem ut sex, clarius videt Deum, quàm duo habentes singuli visionem, vel lumen, ut tria, prob. maj. sex gradus utrobique essent ejusdem rationis; ergo essent utrobique æqualis perfectionis.

Resp. neg. maj. & dist. ant. prob. Essent æquales entitativè, conc. ant. secundum modum essendi, & operandi neg.ant. Nam essent uniti in qualitate intensa, & ut tales fortiùs agerent, & in extensa essent separati,

rati, & ideo remissius agerent, virtus enim unita fortior, certè si habes centum florenos, eris centies ditior, quàm centum homines habentes singuli unum florenum, & tamen isti singuli floreni erunt ejusdem valoris cùm singulis tuis, idem est de visione, cæteris paribus, & posito quod illa intendatur per gradus, de quo aliàs.

Inst. Si sex calida ut unum compenetrarentur, æquè unirentur gradus caloris, ac uniuntur in uno calido ut sex; ergo æqualiter ageret, & æquè perfecta esset qualitas intensa, ac extensa. Si verò illa non æquè agerent, ergo unio graduum nihil facit, sed sola perfectio inæqualis singulorum.

Resp.neg.ant. Nam singuli gradus caloris remanerent uniti singulis corporibus, non verò inter se; citius agerent, sed non producerent intensiorem calorem, quia ad hoc requiritur unio graduum ipsorum inter se.

Inst. 2. Si duo agentia totalia applicentur eidem passo, si effectus sit divisibilis, erit perfectior; si indivisibilis, sic argueret, ut neutrum sit causa totalis, ut patet de calore, qui potest esse perfectior, ergo duo calida ut quatuor producent perfectiorem calorem, quàm unum solum calidum, ut quatuor.

Resp. dist. conseq. producent citiùs, & extensius, conc.conseq.intensius, seu perfectiorem in intensione neg. conseq. quia igitur duo calida totalia simul applicata mole sua se se juvant, mutuò producent majorem, & citiùs calorem quoad extensionem, non verò quoad intensionem.

Inst. 3. duæ quantitates compenetratæ non dicerentur intensæ; ergo nec duæ qualitates unitæ in eadem parte subjecti, prob. ant. quantitas non suscipit magis, & minus: ergo nec intensionem.

Resp.neg.conseq. & disparitas est, quia quantitas non est capax intensionis, sicut qualitas.

Objic. Si omnes gradus essent ejusdem rationis, nullus posset dici primus, aut tertius, aut octavus, sed consequens est contra omnes, ergo & ant. prob. maj. nullus differret ab alio, per quod posset discerni, ergo nullus esset primus.

Respondeo dist.maj Nullus esset primus dignitate, aut aliqua præeminentia entitatis, seu perfectione: conc.

conc. maj. & neg. min. ordine continuitatis, & positionis neg. maj. & conseq. Nam qui ultimo, & octavo loco advenit, potuisset advenire primo loco, si casus, vel causa fuisset applicata, vel à Deo fuisset determinatum; & idem est in remissione, illa incipere dicitur ab octavo, seu ultimo; sed hujus determinatio est à Deo.

Inst. 1. qualitas intendi posset in infinitum æquè, ac quantitas extendi; sed hoc est contra nos, ergo gradus differunt perfectione. Prob. seq. infiniti gradus ejusdem rationis non magis repugnant, quàm infinitæ partes quantitatis; ergo si dantur, aut possunt crescere partes quantitatis in infinitum, ita & gradus qualitatis.

Respondeo neg. maj. 1. quia eadem esset ratio de gradibus heterogeneis; nam licet differant perfectione, semper tamen possent dari perfectiores in infinitum 2. quia potentiæ activæ sunt naturaliter determinatæ. Unde qui potest portare centum libras, non potest ferre ducentas, sic est de causis activis qualitatum, quæ potest causare 8. non potest causare 16. Non ita est de quantitate discreta, quæ non est activa, & partes ejus augentur, undecumque veniant, de continua verò etiam naturaliter non potest crescere in infinitum, sed habet terminum magnitudinis.

Inst. Detur ultra.per extensum calida, ut duo, Deus posset auferre calorem ab una medietate, & ponere in alia, & hæc fieret calida ut 4. & rursus ab una parte istius medietatis ad aliam, & sic esset calida ut 8. & si denique reduceret omnes caloris gradus aliarum partium ad punctum, illud esset infinitè calidum, haberet enim infinitos gradus caloris collectos ab infinitis partibus, ergo calor posset crescere in infinitum, si gradus essent homogenei.

Respondeo quidquid sit de hypotesi, neg. cons. sicut enim non sunt infinitę partes quantitatis categorematicè, ita nec infiniti gradus caloris, sed tantùm syncategorematicè, & hoc non magis repugnat in calido, quàm in quanto ex hoc capite, ex alio posset repugnare, v. g. si qualitas essentialiter includat terminum intensionis determinatum, de quo non decido.

Hinc

Hinc ergo constat intensionem fieri per additionem novæ qualitatis ejusdem rationis cum præexistente, & in eadem parte subjecti, & ideò qualitas intensa est quoddam continuum homogeneum, & similare constans partibus unigeneis in infinitum divisibilibus, quæ partes dicuntur gradus, sicut in quantitate dicuntur partes integrales, & à Philosophis determinantur, ut dixi, usque ad octavum, non ut partes proportionales, sed aliquotæ, & æquales, & non communicantes, sicut ulna in octo palmos, quę determinatio est arbitraria, & de intensione qualitatis philosophandum, sicut de extensione quantitatis cum proportione.

Quæres, *an omnes qualitates sic intendantur.*

Resp. 1. affirmativè de omnibus qualitatibus realibus permanentibus, tàm materialibus, quàm spiritualibus.

Ratio petitur ab experientia, nam Albedo, calor, & similes intenduntur per gradus, item & habitus tàm materiales, quā spirituales intenduntur peractus iteratos, ut gratia, fides, spes, & charitas, quę sunt qualitates habituales, & supernaturaliter augentur, ut ex ipsa scriptura patet, *adauge nobis* fidem... [1] *oro, ut charitas vestra magis, & magis abūdet* & Ecclesia orat Deum, [2] *ut det nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.*

Respondeo 2. id non ita certum esse de qualitatibus transeuntibus, ut sunt actus vitales, visionis, auditionis, &c. non enim puto, quòd visio, qua videtur modò obscurè, aut imperfectè objectum aliquod, remaneat eadem cum illa, qua deinde videtur clariùs, & perfectius, ita ut illa prior augeatur per secundam, sicut augetur calor ab igne, sed potius dicerem, quod prior illa visio cessat, & illi succedit ista clarior, de quo vide Poncium, nec eadem est ratio de his qualitatibus, ac de aliis permanentibus.

Quæres 2. *an inter partes qualitatis dentur indivisibilia continuativa, & terminativa, & hoc inter partes extensivas æque, ac intensivas.*

Resp. affir. 1. Quia Ratio quoad hoc eadem est, quæ id suadet pro continuo quantitatis; hoc enim ipso, quod qualitas tàm extensiva, quàm intensiva potest acquiri succe-

[1] *Luc. 7.* [2] *ad Philip. 1.*

successivè, & continuè, non est dubium, quin singulæ partes ejus debeant inter se uniri, & continuari sicut partes subjecti, in quo est, & partes temporis, quo motus alterationis intensivæ, & extensivæ mensuratur: ergo sicut in subjecto, & tempore dantur indivisibilia continuativa, & terminativa, ita & in qualitatibus, quæ in illis subjectantur, & commensurantur.

Dices sufficere, quod illa sint in subjecto, non est autem necesse, quod sint in ipsa qualitate.

Contra, estque 2. ratio, quia non implicat colorem v. g. conservari extra subjectum: sed tunc esset continuus, & terminatus, sicut est in subjecto; ergo haberet puncta continuativa, & terminativa, alioqui deberet reduci in indivisibilia discreta, & infinita, quod absurdum est.

3. *Probatur* præcipuè de partibus intensivis, non enim minùs sunt unitæ, & continuatæ inter se in eadem parte subjecti per additionē gradus ad gradum, quàm partes extensivæ, ergo non minùs egent punctis unitivis, seu continuativis, ac terminativis.

Quæres 3. *An qualitates habeant terminum suæ intensionis, ultra quem non possint intendi, aut remitti.*

Diximus in Physica [1] quod continua viventia habent terminos suæ magnitudinis, & parvitatis, non autem alia, scilicet non viventia; alia fortè posset esse ratio de qualitatibus, & hic non semel supposuimus cuilibet assignari terminum, quem nos appellavimus summum, scilicet octavum; quia sic placuit Philosophis numerum graduum præfigere, licet potuissent plures, aut pauciores.

Respondeo 1. probabilius est quamlibet qualitatem de facto habere terminum suæ intensionis.

Prob. 1. ex Scoto [2] qui docet summam gratiam posse à Deo creari, & fuisse de facto concessam animę Christi D. *Dico*, inquit, *quòd summam gratiam creabilem potuit dare huic animæ ... quod summa gratia isto modo, scilicet negativè, ita ut non possit creari major, potuit creari simul unica creatione, & 2. potuit conferri creaturæ, & supponendo, quod summa gratia possit unica actione creari, probo, quod possit conferri animę Christi ... de facto probabile est dicere secundum magistrum,*

[1] *Disp.* 17. q. 3. [2] 3. d. 13. q. 4. C. & E. n. 2.

strum, quòd Deus tantam ei gratiam contulerit, quantam potuit; potuit autem ex quæstione præcedenti conferre summam gratiam creabilem.

Prob. 2. quia de facto omnis creatura est limitatæ virtutis, ita ut non possit ultra certos terminos intendere, vel alterare; ergo & qualitates ab omnibus creaturis producibiles, prob. ant. experientia de igne, qui est activissimus omnium, & non habet, nec causare potest calorem ultra summum: ergo.

Confir. nam in Elementis primæ qualitates sunt sic determinatæ ad summum: ergo à fortiori aliæ, & in mixtis omnibus, in quibus illæ primæ sunt magis temperatæ, & permixtæ.

Vide quæ diximus in Physica[1] de infinito, ubi conclusimus dari statum in speciebus, & etiam in qualitatibus, non in quantitatibus.

Respondeo 2. qualitates non habere terminum suæ extensionis.

Prob. quia non apparet ulla ratio, propter quam petant determinatum ullum terminum extensionis; ergo non habent. Idem est quoad hoc de qualitate, & de quantitate.

QUÆSTIO III.

De contrarietate Qualitatum.

UNa ex proprietatibus qualitatis est *contrarietas;* illa autem *contrarietas*, ut diximus in Logica, in eo consistit, quod se se in eodem subjecto non compatiuntur, sed ab eo se invicem expellunt; sic experimur, quod frigus ab aqua discedit ea proportione, qua subintrat calor, albedo disparet, cùm nigredo inducitur.

Quæritur, an qualitates illæ ita inter se pugnent, ut nequeant esse simul in eodem subjecto; & hoc vel in gradibus remissis, v. g. calor ut sex cum frigore ut duo, vel etiam in gradibus intensis, v. g. calor ut octo cum frigore pariter ut octo saltem supernaturaliter.

CONCLUSIO I.

COntrariæ qualitates possunt naturaliter esse simul in eodem subjecto in gradibus remissis; est communior.

Prob.

[1] *disp.* 18.*q.*3.

Prob. 1. ex Scoto, & Phil. [1] hoc vult Philosoph us manifestè, *quòd omne, quod movetur* (loquitur [2] de motu alterationis) *habet aliquid utriusque extremi, & videtur manifestum ad sensum, quòd aquæ successivè calefaciendæ inest aliquid caloris manente frigiditate hac, & non adhuc totaliter corrupta*; ergo ex Scoto, & Philosopho, calor, & frigus in gradu remisso sunt simul naturaliter in eodem subjecto, quod clarius dixerat alibi. *Contraria in summo sunt incompossibilia in eodem, in gradibus verò remissis non.*

Prob. 2. ratione illinc deducta; [3] cùm calefit aqua, nō statim totaliter, nec totum corrumpitur frigus, nec statim totus introducitur calor; sed illud gradatim, & sensim remittitur, & iste intenditur; ergo in illo motu, & tempore alterationis frigus, & calor sunt simul in aqua, imò dum magis fervet, & ebullit aqua, semper retinet aliquid frigoris, alioqui forma ejus destrueretur, & fieret ignis; ant. patet experientia; nam si frigus statim, & totaliter periret, calor similiter statim adesset totus, sicut videmus, quod quàm primùm adest lux, abest tota obscuritas.

Dices, tunc non adesse nec frigus, nec calorem, sed mediam aliquam qualitatem ex calore, & frigore mixtam, quæ dicitur tepiditas, sicut in coloribus ex albo, & nigro fit tertius color.

Contra 1. in principio calefactionis tàm formalis calor sentitur crescere, & frigus decrescere, quàm ulla simplex qualitas sentiri potest, ergo formalissimè inest utraque qualitas; in coloribus verò, & in aliis qualitatibus mixtis primarii colores, aut qualitates non sic percipiuntur, v. g. in cęruleo, vel rubro, vel cinericio non percipiuntur formaliter albedo, nec nigredo, ergo calor, & frigus insunt verè, & formaliter, non virtualiter tantum.

Contra 2. quia non assignatur causa efficiens illius mediæ, ac simplicis qualitatis v. g. *Teporis*, non enim causatur ab igne, qui est calidus, nec ab aqua, quæ est frigida, nec ab utroque simul, quia potius agunt contra se invicem.

3. Per hoc non effugitur difficultas, nam ille *tepor* ex-

[1] *6. Physic. to. 7.*
[2] *2. d. 2. q. 9. O. n. 32.*
[3] *1. d. 17. q. 3. VV. vel q. 5. n. 3.*

expellere formalem calorem, & frigus, ergo esset utrique contrarius, sicut rubor expellit nigredinem, & albedinem: sed non expellit eas omnes simul, sed successivè, ergo est per aliquod tempus, & per aliquos gradus simul cum aliis. Prob. min. Ille tepor ab initio est cum majori frigore, & deinde cum majori calore, aut dicendum esset singulis momentis produci novam qualitatem, seu novam tepiditatem, quæ omnia sunt absurda.

Dices 2. Scotum dicere, quòd medii colores sunt simplices qualitates, verbi gratia, *rubor*, est qualitas simplex distincta à nigredine, & albedine, ergo ita est de aliis, *medium*, inquit, *dicitur compôni ex extremis, ut rubor ex albo, & nigro, non ita quòd media qualitas habeat extremas partes sui; imo est ita simplex, sicut extremum*, & ideò concludit extremas qualitates esse in mediis, sicut elementa in mixtis, scilicet virtualiter, non formaliter.

Contra. Nam licèt id doceat, & verum sit de coloribus, aut etiam aliis qualitatibus secundis, non potest id dici de aliis, & semper ob experientiam, & rationem allatam de calore, & frigore, qui sentiuntur, & sensim intenduntur, & remittuntur in eodem subjecto, ergo in istis qualitates contrariæ remanent formaliter, & in propria entitate.

Objic. 1. Authoritates S. Augustini,[1] Aristotelis[2] & Scoti, [3] negantium contraria posse esse simul. 1. dicit, quòd nullus cibus, aut potus est simul dulcis, & amarus, &c. 2. dicit, substantiam esse susceptivam contrariorum successivè tantùm. 3. dicit, omnia contraria esse incompatibilia, ergo nullo modo qualitates contrariæ possunt esse simul.

Resp. neg. conseq. Nam loquuntur de contrariis in summo, non in remisso, ut patet de S. August. & Philosopho, Scotus autem loquitur de incompatibilitate, ex qua sequitur expulsio aptitudinalis, & exigitiva.

Objic. 2. Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto se mutuò expellunt, sed istæ qualitates etiam remissæ sunt contrariæ, ergo se mutuò expellunt. Maj. continet definitionem

[1] *Ench. c. 2.* [2] *de Gen. 1. t. 61.* [3] *1. d. 43. q. un. & alibi.*

contrariorum. Prob. min. Contrarietas est secundum essentiam, & formam, sed in qualitatibus remissis est tota eorum essentia, & forma; consistit enim indivisibili, ergo & contrarietas. Maj. est Aristotelis. [1] Min. est recepta ab omnibus.

Resp. dist. maj. Se expellunt aptitudinaliter, vel actualiter, conc. mai. actualiter, & necessariò, neg. maj. exigunt quidem, & aptæ sunt ex se expellere se, & de facto sic pugnant, ut se expellant, sed quoad actum non semper de facto se expellunt, ut contingit in gradibus remissis propter actionem agentium externorum, & capacitatem subjectorum, quæ cùm sint capacia octo graduum qualitatis alicujus, quod de una tollitur per agens aliquod, suppletur de alia contraria per illud idem agens. Si ab aqua ignis tollat duos, aut tres gradus frigoris, supplet totidem caloris.

Inst. Ergo contrarietas venit, non ex ratione formali qualitatum, sed ex parte subjecti capacis, vel incapacis: sed hoc est contra Scotistas, ergo nulla responsio.

Resp. neg. subsumptum: nec enim dicimus compossibilitatem, vel incompossibilitatem absolutè venire formaliter ex capacitate, vel incapacitate subjecti, sed tantùm coexistentiam, & simultatem, seu compossibilitatem actualem: formalis enim, & aptitudinalis venit ex eorum formis, & essentiis.

Objic. 3. Actus scientiæ, & erroris, lætitiæ, & doloris, item sanitas, & ægritudo, deformitas, & pulchritudo non possunt esse simul etiam in remisso, ergo idem est de aliis, ant. patet ex Scoto.

Resp. neg. conseq. & disparitas est, quia illi actus important contradictionem ex parte objectorum formalium, adeò ut unus importet negationem objecti formalis alterius v.g. actus scientiæ tribuit risibilitatem homini, & actus erroris negat risibilitatem, amor tribuit bonitatem, & odium tollit. Non ita est de habitibus acquisitis per illos actus: nam habitus odii alterius objecti non statim, nec totaliter tollitur per unum actum amoris, unde illi habitus in gradu remisso possunt esse simul, quia sunt tantùm inclinationes ad actus, non verò actuales tendentiæ in objecta.

[1] 10. *Meteor.* 13. & 14.

cta. Quantum ad sanitatem, & pulchritudinem, alia est ratio disparitatis, quia, ut diximus, non sunt propriè qualitates, sed relationes quædam convenientiæ, & disconvenientiæ ortæ ex diversa positione partium, ut in pulchritudine, & deformitate, aut qualitatum attemperatione, ut in sanitate, & ægritudine.

Objic. 4. Magis repugnant frigus, & calor, quàm major, & minor calor: sed istæ non possunt esse simul in eodem subjecto, ergo nec illæ.

Resp. dist. maj. Magis repugnant materialiter, & entitativè, conc. maj. formaliter quoad majoritatem, & minoritatem, neg. maj. & conseq. Magis enim formaliter ut tale importat negationem *minoris*, & sic quasi contradictoriè opponuntur. Idem est de duobus frigoribus ut octo, magis repugnant in illis gradibus summis, non ab essentia sua, sed ab extrinseco, quia nullum agens potest illa ponere in eodem subjecto, nec ullum subjectum ea simul recipere.

Objic. 5. Nihil potest moveri simul motibus contrariis: sed aqua v.g. sic moveretur, si posset habere simul calorem, & frigus, nam frigesceret, & calefieret, ergo frigus, & calor, seu duæ contrariæ qualitates in nullo gradu possunt esse simul.

Resp. dist. maj. Motibus contrariis, quibus acquirat terminos, vel qualitates oppositas in gradibus incompossibilibus, conc. maj. & neg. min. ad qualitates oppositas, sed compossibiles in gradibus aliquibus, neg. maj, & conseq. & præterea, dum aqua calefit, non proprie movetur ad frigus, sed potius à frigore ad calorem, quia tantum deperdit frigoris, quantum acquirit caloris, & sic de cæteris, & ideò negaretur etiam minor.

CONCLUSIO II.

Qualitates contrariæ non possunt naturaliter esse simul in gradibus summis; an verò supernaturaliter videtur negare auctoritas, non ratio: probabilius enim est id posse.

Prob. 1. ex Scoto, [1] maximè quoad 1. p. sic enim affert textum Philosophi, *si igitur impossibile est simul*

[1] 4. *Metaph.* 1.5. n. 84.

affirmare, & negare, verè impossibile est contraria simul inesse, nisi aut aliqua ex parte ambo (sc. in gradu remisso) *aut alterum quidem aliqua ex parte, alterum verò simpliciter*, explicat hoc, quatenus unum dicit privationem, seu negationem alterius, & addit. *Simpliciter autem inesse eidem ambo contraria, vel ambo contradictoria, est impossibile*, quod verum est, saltem naturaliter.

Clariùs, & expressis verbis docet, [1] *contraria in summo sunt incompossibilia in eodem, in gradibus verò remissis non*, & addit Poncius[2] id implicare naturaliter in gradu intenso, per quod significat illa non esse incompossibilia respectu potentiæ Dei absolutæ, quod facit pro secunda parte.

An autem id possibile sit supernaturaliter, non satis constat de mente Scoti, [3] videtur inclinare in affirmativam, loquens de actione ignis in animas damnatorum. *Quod si ponatur calorem induci in summo, & tamen qualitatem illam mixti* (sc. corporis damnati) *stare in eodem, videtur, quod formaliter repugnantia sit, &, an hoc sit possibile Deo, non hic, sed alibi decidendum*, illa tamen repugnare formaliter docet, [4] *album non potest esse nigrum formaliter, vel è converso, propter eorum repugnantiam formalem*, & hanc repugnantiam asserit alibi, talis enim est inter contraria, dubitant ergo Scotistæ de mente Doctoris, quoad 2. partem, & merito.

Prob. 2. quoad 1. experientia, qua docemur contrarias qualitates se se mutuò expellere ab eodem subjecto, unde ortum illud commune axioma, *contraria contrariis curantur*, quia expelluntur; confirmatur ex difficultate sustinendi, quòd possunt esse simul ne supernaturaliter quidem, ergo multò minus id poterunt naturaliter.

Prob. 2. p. quia licèt non videatur Scotus tribuere divinæ potentiæ absolutè, non tamen negat, imò id videtur permittere loquens de igne inferni, quod sc. causet in damnatis Physica actione summum calorem, dum aliunde patiuntur summum frigus. *Si velimus recurrere ad novum miraculum, non possunt improbari*: ergo non satis constat de mente Scoti, an

[1] 1. *d.*17. *q.*3. *A. vel* 5. *n.*2. [2] *Poncius ibid. n.*48. [3] 3. *d.*1. *q.* 1. *L. n.* 12. [4] 4. *d.*49. *q.*16. *C. n.*4.

an hoc sit possibile supernaturaliter, imò videtur potiùs inclinare in negativam partem, quam tenent Scotistæ [1] non ignobiles

Prob. 3. p. Quia nihil debet denegari potentiæ Dei supernaturaliter agenti, nisi implicet manifestam contradictionem, sed non apparet manifesta contradictio, quòd summum frigus, & summus calor sint simul in eodem subjecto, ergo non debet dici impossibile supernaturaliter. Prob. min. respondendo ad implicantias, quæ afferuntur.

Objic. 1. ex Doct. [2] Magis repugnant duo contraria in summo, quàm duo ubi, & duæ dimensiones sed vix duæ dimensiones possunt esse simul, & id negat de duobus contrariis, quæ repugnant formaliter, ergo ex Scoto repugnant eadem contraria simul esse, etiam supernaturaliter.

Resp. neg. min. Nam absolutè sustinet compossibilitatem duorum corporum in eodem loco, seu duarum dimensionum supernaturaliter, & licèt dicat, quòd duo contraria magis repugnent, quia repugnant non solùm quoad effectus, sed etiam secundum se, in quo consistit repugnantia formalis, non tamen negat illa posse esse simul de potentia absoluta.

Inst. Scotus post Philosophum [3] negat compossibilitatem inter contradictoria, ergo & inter contraria in summo. Prob. conseq. Quia contraria in summo inferunt contradictionem, & opponuntur privativè, ergo, &c.

Resp. neg. conseq. & dist. ant. prob. Inferunt contradictionẽ mediatè, conc. ant. immediatè, neg. ant. Nam unum contrarium immediatè, & primariò opponitur alteri positivè, mediatè verò, & secundariò infert privationem, seu exclusionem alterius secundum communem cursum naturæ, in quo Deus dispensare potest, & in eo casu non diceretur idem esse calidum, & non calidum, quæ sunt contradictoria, sed calidum, & frigidum, quæ sunt tantum contraria.

Inst. 2. Unum contrarium infert necessariò, & essentialiter negationem alterius, ergo nulla solutio.

Resp. dist. ant. Negationem alterius quoad essentiæ identitatem, conc. ant. Nam semper verum est,

[1] *Lichet. q. d. 2. q. 9. Columbus l. 3. de Elem. q. 3. a. 5. n. 32.* [2] *2. d. 49. cit. B. n. 3.* [3] *9. Met. cit.*

affirmare, & negare, verè impossibile est contraria simul inesse, nisi aut aliqua ex parte ambo (sc. in gradu remisso) *aut alterum quidem aliqua ex parte, alterum verò simpliciter*, explicat hoc, quatenus unum dicit privationem, seu negationem alterius, & addit. *Simpliciter autem inesse eidem ambo contraria, vel ambo contradictoria, est impossibile*, quod verum est, saltem naturaliter.

Clariùs, & expressis verbis docet, [1] *contraria in summo sunt incompossibilia in eodem, in gradibus verò remissis non*, & addit Poncius[2] id implicare naturaliter in gradu intenso, per quod significat illa non esse incompossibilia respectu potentiæ Dei absolutæ, quod facit pro secunda parte.

An autem id possibile sit supernaturaliter, non satis constat de mente Scoti,[3] videtur inclinare in affirmativam, loquens de actione ignis in animas damnatorum. *Quod si ponatur calorem induci in summo, & tamen qualitatem illam mixti* (sc. corporis damnati) *stare in eodem, videtur, quod formaliter repugnantia sit, &, an hoc sit possibile Deo, non hic, sed alibi decidendum*, illa tamen repugnare formaliter docet, [4] *album non potest esse nigrum formaliter, vel è converso, propter eorum repugnantiam formalem*, & hanc repugnantiam asserit alibi, talis enim est inter contraria, dubitant ergo Scotistæ de mente Doctoris, quoad 2. partem, & merito.

Prob. 2. quoad 1. experientia, qua docemur contrarias qualitates se se mutuò expellere ab eodem subjecto, unde ortum illud commune axioma, *contraria contrariis curantur*; quia expelluntur; confirmatur ex difficultate sustinendi, quòd possunt esse simul ne supernaturaliter quidem, ergo multò minus id poterunt naturaliter.

Prob. 2. p. quia licèt non videatur Scotus tribuere divinæ potentiæ absolutè, non tamen negat, imò id videtur permittere loquens de igne inferni, quod sc. causet in damnatis Physica actione summum calorem, dum aliunde patiuntur summum frigus. *Si velimus recurrere ad novum miraculum, non possunt improbari*: ergo non satis constat de mente Scoti, an

[1] 1. *d.*17. *q.*3. *A. vel* 5. *n.*2. [2] *Poncius ibid. n.*48. [3] 3. *d.*1. *q.* 1. *L. n.* 12. [4] 4. *d.*49. *q.*16. *C. n.*4.

an hoc sit possibile supernaturaliter, imò videtur potiùs inclinare in negativam partem, quam tenent Scotistæ [1] non ignobiles

Prob. 3. p. Quia nihil debet denegari potentiæ Dei supernaturaliter agenti, nisi implicet manifestam contradictionem, sed non apparet manifesta contradictio, quòd summum frigus, & summus calor sint simul in eodem subjecto, ergo non debet dici impossibile supernaturaliter. Prob. min. respondendo ad implicantias, quæ afferuntur.

Objic. 1. ex Doct. [2] Magis repugnant duo contraria in summo, quàm duo ubi, & duæ dimensiones: sed vix duæ dimensiones possunt esse simul, & id negat de duobus contrariis, quæ repugnant formaliter, ergo ex Scoto repugnant eadem contraria simul esse, etiam supernaturaliter.

Resp. neg. min. Nam absolutè sustinet compossibilitatem duorum corporum in eodem loco, seu duarum dimensionum supernaturaliter, & licèt dicat, quòd duo contraria magis repugnent, quia repugnant non solùm quoad effectus, sed etiam secundum se, in quo consistit repugnantia formalis, non tamen negat illa posse esse simul de potentia absoluta.

Inst. Scotus post Philosophum [3] negat compossibilitatem inter contradictoria, ergo & inter contraria in summo. Prob. conseq. Quia contraria in summo inferunt contradictionem, & opponuntur privativè, ergo, &c.

Resp. neg. conseq. & dist. ant. prob. Inferunt contradictionē mediatè, conc. ant. immediatè, neg. ant. Nam unum contrarium immediatè, & primariò opponitur alteri positivè, mediatè verò, & secundariò infert privationem, seu exclusionem alterius secundum communem cursum naturæ, in quo Deus dispensare potest, & in eo casu non diceretur idem esse calidum, & non calidum, quæ sunt contradictoria, sed calidum, & frigidum, quæ sunt tantum contraria.

Inst. 2. Unum contrarium infert necessariò, & essentialiter negationem alterius, ergo nulla solutio.

Resp. dist. ant. Negationem alterius quoad essentiæ identitatem, conc. ant. Nam semper verum est, quòd

[1] *Lichet. q. d. 2. q. 9. Columbus l. 3. de Elem. q. 3. a. 5. n. 32.* [2] *2. d. 49. cit. B. n. 3.* [3] *5. Met. cit.*

quòd calor non est frigus, idem est de albedine, & dulcedine, licèt sint simul in lacte, idem est de omnibus specie differentibus, essentialiter enim differunt. quoad coexistentiam in subjecto, neg.ant. saltem supernaturaliter, de quo est quæstio.

Objic.2. Contraria in summo formaliter se expellunt, ergo Deus non potest hoc impedire. Ant. patet ex Scoto,& ex omnibus. Prob. conf. Deus non potest supplere, vel impedire effectum causę formalis, ergo nec illam expulsionem.

Resp.neg.conseq. & dist. ant. prob. Non potest supplere, vel impedire effectum formalem primarium, conc.ant.secundarium,neg.ant. Effectus formalis primarius caloris, v.g. est informatio, & denominatio calidi, & hic immediatè exit ab entitate formæ, nec potest Deus illum supplere: expulsio verò contrarii, v.g. frigoris est secundarius, & exit mediāte primario illo,& quasi per efficientiam, & Deus potest illum supplere, aut impedire.

Inst. 1. Calor,& frigus repugnant seipsis,& antecedenter ad illum effectum secundarium, ergo licèt Deus possit impedire hunc effectum, adhuc non potest facere, ut sint simul.

Resp. conc. ant.& neg.conseq. Nam Deus non efficiet, ne sint contraria, & ne exigant se expellere, benè verò ne de facto se se mutuò expellant, de quo est quæstio.

Inst.2. Non magis duæ formæ accidentales contrariæ sunt compossibiles, quàm substantiales in eadem materia: sed Deus non potest unire istas, ergo nec illas.

Resp.neg.min. de quo patet ex dictis in Physica.[1] Præterea disparitas est inter formas substantiales, & accidentales, illæ dant esse simpliciter: ejusdem autem rei non possunt esse duo esse simpliciter, accidentales verò dant esse tantùm secundum quid, & duo talia esse non adeò repugnant esse simul.

Objic. 3. Si idem paries esset albus, & niger, esset visibilis, & non visibilis: sed visibile, & non visibile sunt contradictoria, ergo & esse album, & nigrum. Prob. maj. Esset visibilis,ut supponitur, esset enim coloratus, non esset visibilis, quia non esset potior ratio,

[1] Disp 4. q. 8

tio, cur videretur, ut albus, quàm ut niger, idem est de calido, & frigido, amaro: & dulci respectu tactus, & gustus.

Resp. neg. maj. & conseq. prob. Quia si oculus non posset simul videre utrumque colorem, de quo dubito, quia oculus videt simul duo objecta alba, & nigra, duos colores in duobus subjectis, cur non in eodem? Dei esset determinare oculum ad alterutrius coloris visionem. Idem est de tactu respectu caloris, & frigoris, & de gustu respectu amari, & dulcis, &c.

Inst. 2. Non est duplex potentia contraria receptiva in subjecto, ergo neque potest esse duplex qualitas contraria. Prob. conseq. Actus enim supponit potentiam.

Resp. neg. conseq. Non enim requiritur duplex potentia naturalis, & determinata, sicut nec in materia ad duas formas, sed sufficit indifferentia naturalis, & obedientialis ad plures; & maximè quia incompatibilitas non tam venit ex parte subjecti, quàm formarum, & qualitatum, quæ ex se non se compatiuntur, sed expellunt ab eodem subjecto.

QUÆSTIO IV.

De Rarefactione, & Condensatione.

RArefactio, & *condensatio* sunt species quædam alterationis, & motus ad qualitatem, aut saltem effectus ejus, quia *rarefactio* non solet accidere, nisi ex calefactione, nec *condensatio*, nisi ex frigore, licèt fortè spectare videantur ad prædicamentum quantitatis. *Rarefactio* est quædam extensio rei, qua parum materiæ majorem locum occupat, ut cùm aqua in lebete ebulliens inflatur, & totum occupat, *condensatio* verò è contra est quædam restrictio, & coarctatio ejusdem materiæ, qua minorem occupat locum, ut cùm eadem materia, quę totum lebetem replebat, reducitur ad fundum: unde *rarum* dicitur, *quod parum habet materiæ sub magna dimensione*: *densum*, *quod multum habet materiæ sub parva dimensione*.

Rarefactio largè, & impropriè significat quamcumque dilatationem materiæ per separationem partium ejus, & *condensatio* similiter pro quacumque coarcta-

[illegible], ut cum spongia [illegible] aut post expulsionem [illegible] extenditur, & [illegible] ligamine, vel [illegible] materiæ abs[illegible] cor[illegible] pro restrictione [illegible] vel [illegible] cor[illegible] signi[illegible], atque inconstans. [illegible] corpus non spissè [illegible] pro corpore [illegible] & propriè verò [illegible] ma[illegible] non sit propriè [illegible], & quantitatem, [illegible] & magis extenditur, [illegible] parva quantitate, sed ma[illegible] erat, oportet [illegible] habeat exten[illegible] unde hæc fiat, [illegible] aut deperdi[illegible] imperceptibilium in[illegible] vel per simplicem ex[illegible] in rarefactio[illegible], an per extra[illegible], aut *condensatio* per [illegible]. Singuli siquidem hi [illegible] & controversia de his [illegible].

CONCLUSIO I.

R[illegible] *inter par-* [illegible] *per [illegible]* [illegible]. Est communis [illegible].

[illegible] non admit[illegible] ut constat ex dictis in [illegible] admittere ingens, [illegible].

[illegible] non sit per admix[illegible] non potest fieri per illius ex[illegible].

CON-

CONCLUSIO II.

R*Arefactio non fit per extractionem partium corporis à se invicem, nec densatio per earum compenetrationem*. Est etiam communis.

Prob. similiter ex dictis, quia substantia, & præcipuè quantitas habent partes extra partes, & non penetrantur: sed condensatio est naturalis, ergo hæc non consistit in illa compenetratione, nec per consequens rarefactio in illa eductione partium.

Objic. Rarefactio importat majorem partium distantiam, & densatio majorem illarum unionem: sed illa unio major non potest concipi absque quadam compenetratione; aut illa distantia sine vacui interjectione, ergo vel rarefactio fit per interjectionem vacui inter partes, seu in poris corporis rarefacti, vel densatio per compenetrationem illarum; hæc est præcipua totius quæstionis difficultas, quæ non potest resolvi in hoc vestibulo.

Responsio igitur patebit ex decisione ampliori per sequentia.

CONCLUSIO III.

R*Arefactio non fit per immissionem substantiæ extraneæ, seu corpusculorum in poros corporis, nec densatio per illorum ejectionem*. Hæc longè plures habet adversarios etiam Scotistas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui videtur facere pro adversariis dicens, *rarum, seu rarius est, quod habet corpora aliqua permixta subtiliora hoc modo cum suis partibus adhuc manentibus in propria forma*: & respondet ad duo argumenta in contrarium, sed postmodum illam ex professo impugnat: *omnis opinio dicens, quod aliqua quantitas est nova, sc. rarior, patitur eandem difficultatem, quam & illa, quæ ponit totam quantitatem esse novam, nisi teneatur ibi virtute, quod rarefactio est quædam juxta positio corporum subtiliorum*; hæc dicimus corpuscula inter partes corporis grossioris.

Hanc autem sententiam improbat ob tria 1. quia

G 5 non

[1] 4. *d.* 12. *q.* 4. *B.* & *F. n.* 12. & 20.

conc. maj. & neg. min. ordine continuitatis, & positionis neg. maj. & conseq. Nam qui ultimo, & octavo loco advenit, potuisset advenire primo loco, si casus, vel causa fuisset applicata, vel à Deo fuisset determinatum; & idem est in remissione, illa incipere dicitur ab octavo, seu ultimo; sed hujus determinatio est à Deo.

Inst. 1. qualitas intendi posset in infinitum æquè, ac quantitas extendi; sed hoc est contra nos, ergo gradus differunt perfectione. Prob. seq. infiniti gradus ejusdem rationis non magis repugnant, quàm infinitæ partes quantitatis; ergo si dantur, aut possunt crescere partes quantitatis in infinitum, ita & gradus qualitatis.

Respondeo neg. maj. 1. quia eadem esset ratio de gradibus heterogeneis; nam licet differant perfectione, semper tamen possent dari perfectiores in infinitum 2. quia potentiæ activæ sunt naturaliter determinatæ. Unde qui potest portare centum libras, non potest ferre ducentas, sic est de causis activis qualitatum, quæ potest causare 8. non potest causare 16. Non ita est de quantitate discreta, quæ non est activa, & partes ejus augentur, undecumque veniant, de continua verò etiam naturaliter non potest crescere in infinitum, sed habet terminum magnitudinis.

Inst. Detur ultra per extensum calida, ut duo, Deus posset auferre calorem ab una medietate, & ponere in alia, & hæc fieret calida ut 4. & rursus ab una parte istius medietatis ad aliam, & sic esset calida ut 8. & si denique reduceret omnes caloris gradus aliarum partium ad punctum, illud esset infinitè calidum, haberet enim infinitos gradus caloris collectos ab infinitis partibus, ergo calor posset crescere in infinitum, si gradus essent homogenei.

Respondeo quidquid sit de hypotesi, neg. cons. sicut enim non sunt infinitę partes quantitatis categorematicè, ita nec infiniti gradus caloris, sed tantùm syncategorematicè, & hoc non magis repugnat in calido, quàm in quanto ex hoc capite, ex alio posset repugnare, v. g. si qualitas essentialiter includat terminum intensionis determinatum, de quo non decido.

Hinc

Hinc ergo constat intensionem fieri per additionem novæ qualitatis ejusdem rationis cum præexistente, & in eadem parte subjecti, & ideò qualitas intensa est quoddam continuum homogeneum, & similare constans partibus unigeneis in infinitum divisibilibus, quæ partes dicuntur gradus, sicut in quantitate dicuntur partes integrales,& à Philosophis determinantur, ut dixi, usque ad octavum, non ut partes proportionales, sed aliquotæ, & æquales, & non communicantes, sicut ulna in octo palmos, quę determinatio est arbitraria, & de intensione qualitatis philosophandum, sicut de extensione quantitatis cum proportione.

Quæres, *an omnes qualitates sic intendantur.*

Resp. 1. affirmativè de omnibus qualitatibus realibus permanentibus, tàm materialibus, quàm spiritualibus.

Ratio petitur ab experientia, nam Albedo,calor,& similes intenduntur per gradus, item & habitus tàm materiales, quā spirituales intenduntur per actus iteratos,ut gratia,fides,spes,& charitas,quę sunt qualitates habituales,& supernaturaliter augentur,ut ex ipsa scriptura patet, *adauge nobis* fidem... [1] *oro, ut charitas vestra magis, & magis abūdet* & Ecclesia orat Deum, [2] *ut det nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.*

Respondeo 2. id non ita certum esse de qualitatibus transeuntibus, ut sunt actus vitales,visionis,auditionis,&c. non enim puto,quòd visio, qua videtur modò obscurè,aut imperfectè objectum aliquod, remaneat eadem cum illa, qua deinde videtur clariùs,& perfectius,ita ut illa prior augeatur per secundam, sicut augetur calor ab igne, sed potius dicerem, quod prior illa visio cessat, & illi succedit ista clarior, de quo vide Poncium,nec eadem est ratio de his qualitatibus, ac de aliis permanentibus.

Quæres 2. *an inter partes qualitatis dentur indivisibilia continuativa, & terminativa, & hoc inter partes extensivas æque, ac intensivas.*

Resp.affir.1.Quia Ratio quoad hoc eadem est,quæ id suadet pro continuo quantitatis; hoc enim ipso,quod qualitas tàm extensiva,quàm intensiva potest acquiri succe-

[1] *Luc.7.* [2] *ad Philip.1.*

successivè, & continuè, non est dubium, quin singulæ partes ejus debeant inter se uniri, & continuari sicut partes subjecti, in quo est, & partes temporis, quo motus alterationis intensivæ, & extensivæ mensuratur: ergo sicut in subjecto, & tempore dantur indivisibilia continuativa, & terminativa, ita & in qualitatibus, quæ in illis subjectantur, & commensurantur.

Dices sufficere, quod illa sint in subjecto, non est autem necesse, quòd sint in ipsa qualitate.

Contra, estque 2. ratio, quia non implicat colorem v.g. conservari extra subjectum: sed tunc esset continuus, & terminatus, sicut est in subjecto; ergo haberet puncta continuativa, & terminativa, alioqui deberet reduci in indivisibilia discreta, & infinita, quod absurdum est.

3. *Probatur* præcipuè de partibus intensivis, non enim minùs sunt unitæ, & continuatæ inter se in eadem parte subjecti per additionẽ gradus ad gradum, quàm partes extensivæ, ergo non minùs egent punctis unitivis, seu continuativis, ac terminativis.

Quæres 3. *An qualitates habeant terminum suæ intensionis, ultra quem non possint intendi, aut remitti.*

Diximus in Physica [1] quod continua viventia habent terminos suæ magnitudinis, & parvitatis, non autem alia, scilicet non viventia; alia fortè posset esse ratio de qualitatibus, & hic non semel supposuimus cuilibet assignari terminum, quem nos appellavimus summum, scilicet octavum; quia sic placuit Philosophis numerum graduum præfigere, licet potuissent plures, aut pauciores.

Respondeo 1. probabilius est quamlibet qualitatem de facto habere terminum suæ intensionis.

Prob. 1. ex Scoto [2] qui docet summam gratiam posse à Deo creari, & fuisse de facto concessam animę Christi D. *Dico*, inquit, *quòd summam gratiam creabilem potuit dare huic animæ ...quod summa gratia isto modo, scilicet negativè, ita ut non possit creari major, potuit creari simul unica creatione, & 2. potuit conferri creaturæ, & supponendo, quod summa gratia possit unica actione creari, probo, quod possit conferri animę Christi ... de facto probabile est dicere secundum magistrum,*

[1] *Disp.* 17.q.3. [2] 3.d.13.q.4. *C. & E. n.2.*

strum, quod Deus tantam ei gratiam contulerit, quantam potuit; potuit autem ex quæstione præcedenti conferre summam gratiam creabilem.

Prob. 2. quia de facto omnis creatura est limitatæ virtutis, ita ut non possit ultra certos terminos intendere, vel alterare; ergo & qualitates ab omnibus creaturis producibiles, prob. ant. experientia de igne, qui est activissimus omnium, & non habet, nec causare potest calorem ultra summum: ergo.

Confir. nam in Elementis primæ qualitates sunt sic determinatæ ad summum: ergo à fortiori aliæ, & in mixtis omnibus, in quibus illæ primæ sunt magis temperatæ, & permixtæ.

Vide quæ diximus in Physica[1] de infinito, ubi conclusimus dari statum in speciebus, & etiam in qualitatibus, non in quantitatibus.

Respondeo 2. qualitates non habere terminum suæ extensionis.

Prob. quia non apparet ulla ratio, propter quam petant determinatum ullum terminum extensionis; ergo non habent. Idem est quoad hoc de qualitate, & de quantitate.

QUÆSTIO III.

De contrarietate Qualitatum.

UNa ex proprietatibus qualitatis est *contrarietas;* illa autem *contrarietas*, ut diximus in Logica; in eo consistit, quod se se in eodem subjecto non compatiuntur, sed ab eo se invicem expellunt; sic experimur, quod frigus ab aqua discedit ea proportione, qua subintrat calor, albedo disparet, cùm nigredo inducitur.

Quæritur, an qualitates illæ ita inter se pugnent, ut nequeant esse simul in eodem subjecto; & hoc vel in gradibus remissis, v. g. calor ut sex cum frigore ut duo, vel etiam in gradibus intensis, v. g. calor ut octo cum frigore pariter ut octo saltem supernaturaliter.

CONCLUSIO I.

COntrariæ qualitates possunt naturaliter esse simul in eodem subjecto in gradibus remissis; est communior.

Prob.

[1] *disp.* 18. *q.* 3.

Prob. 1. *ex Scoto*, *& Phil.* [1] hoc vult Philosophus manifestè, *quòd omne*, *quod movetur* (loquitur [2] de motu alterationis) *habet aliquid utriusque extremi*, *& videtur manifestum ad sensum*, *quòd aquæ successivè calefaciendæ inest aliquid caloris manente frigiditate hac*, *& non adhuc totaliter corrupta*; ergo ex Scoto, & Philosopho, calor, & frigus in gradu remisso sunt simul naturaliter in eodem subjecto, quod clariùs dixerat alibi. *Contraria in summo sunt incompossibilia in eodem*, *in gradibus verò remissis non*.

Prob. 2. *ratione illinc deducta*; [3] cùm calefit aqua, nō statim totaliter, nec totum corrumpitur frigus, nec statim totus introducitur calor; sed illud gradatim, & sensim remittitur, & iste intenditur; ergo in illo motu, & tempore alterationis frigus, & calor sunt simul in aqua, imò dum magis fervet, & ebullit aqua, semper retinet aliquid frigoris, alioqui forma ejus destrueretur, & fieret ignis; ant. patet experientia; nam si frigus statim, & totaliter periret, calor similiter statim adesset totus, sicut videmus, quod quàm primùm adest lux, abest tota obscuritas.

Dices, tunc non adesse nec frigus, nec calorem, sed mediam aliquam qualitatem ex calore, & frigore mixtam, quæ dicitur tepiditas, sicut in coloribus ex albo, & nigro fit tertius color.

Contra 1. in principio calefactionis tàm formalis calor sentitur crescere, & frigus decrescere, quàm ulla simplex qualitas sentiri potest, ergo formalissimè inest utraque qualitas; in coloribus verò, & in aliis qualitatibus mixtis primarii colores, aut qualitates non sic percipiuntur, v. g. in cæruleo, vel rubro, vel cinericio non percipiuntur formaliter albedo, nec nigredo, ergo calor, & frigus insunt verè, & formaliter, non virtualiter tantum.

Contra 2. quia non assignatur causa efficiens illius mediæ, ac simplicis qualitatis v. g. *Teporis*, non enim causatur ab igne, qui est calidus, nec ab aqua, quæ est frigida, nec ab utroque simul, quia potius agunt contra se invicem.

3. Per hoc non effugitur difficultas, nam ille *tepor* ex-

[1] 6. *Physic. to.* 7.
[2] 2. *d.* 2. *q.* 9. *O. n.* 32.
[3] 1. *d.* 17. *q.* 3. *VV. vel q.* 5. *n.* 3.

expellere formalem calorem, & frigus, ergo esset utrique contrarius, sicut rubor expellit nigredinem, & albedinem: sed non expellit eas omnes simul, sed successivè, ergo est per aliquod tempus, & per aliquos gradus simul cum aliis. Prob. min. Ille tepor ab initio est cum majori frigore, & deinde cum majori calore; aut dicendum esset singulis momentis produci novam qualitatem, seu novam tepiditatem, quæ omnia sunt absurda.

Dices 2. Scotum dicere, quòd medii colores sunt simplices qualitates, verbi gratia, *rubor*, est qualitas simplex distincta à nigredine, & albedine, ergo ita est de aliis, *medium*, inquit, *dicitur componi ex extremis, ut rubor ex albo, & nigro, non ita quòd media qualitas habeat extremas partes sui, imo est ita simplex, sicut extremum*, & ideò concludit extremas qualitates esse in mediis, sicut elementa in mixtis, scilicet virtualiter, non formaliter.

Contra. Nam licèt id doceat, & verum sit de coloribus, aut etiam aliis qualitatibus secundis, non potest id dici de aliis, & semper ob experientiam, & rationem allatam de calore, & frigore, qui sentiunt, & sensim intenduntur, & remittuntur in eodem subjecto, ergo in istis qualitates contrariæ remanent formaliter, & in propria entitate.

Objic. 1. Authoritates S. Augustini,[1] Aristotelis [2] & Scoti, [3] negantium contraria posse esse simul. 1. dicit, quòd nullus cibus, aut potus est simul dulcis, & amarus, &c. 2. dicit, substantiam esse susceptivam contrariorum successivè tantùm: 3. dicit, omnia contraria esse incompatibilia, ergo nullo modo qualitates contrariæ possunt esse simul.

Resp. neg. conseq. Nam loquuntur de contrariis in summo, non in remisso, ut patet de S. August. & Philosopho, Scotus autem loquitur de incompatibilitate, ex qua sequitur expulsio aptitudinalis, & exigitiva.

Objic. 2. Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto se mutuò expellunt, sed istæ qualitates etiam remissæ sunt contrariæ, ergo se mutuò expellunt. Maj. continet definitionem

[1] *Ench. c.* 2. [2] *de Gen.* 1. *t.* 61. [3] 1. *d.* 43. *q. un. & alibi.*

contrariorum. Prob. min. Contrarietas est secundum essentiam, & formam, sed in qualitatibus remissis est tota eorum essentia, & forma; consistit enim indivisibili, ergo & contrarietas. Maj. est Aristotelis. [1] Min. est recepta ab omnibus.

Resp. dist. maj. Se expellunt aptitudinaliter, vel actualiter, conc. mai. actualiter, & necessariò, neg. maj. exigunt quidem, & aptæ sunt ex se expellere se, & de facto sic pugnant, ut se expellant, sed quoad actum non semper de facto se expellunt, ut contingit in gradibus remissis propter actionem agentium externorum, & capacitatem subjectorum, quæ cùm sint capacia octo graduum qualitatis alicujus, quod de una tollitur per agens aliquod, suppletur de alia contraria per illud idem agens. Si ab aqua ignis tollat duos, aut tres gradus frigoris, supplet totidem caloris.

Inst. Ergo contrarietas venit, non ex ratione formali qualitatum, sed ex parte subjecti capacis, vel incapacis: sed hoc est contra Scotistas, ergo nulla responsio.

Resp. neg. subsumptum: nec enim dicimus compossibilitatem, vel incompossibilitatem absolutè venire formaliter ex capacitate, vel incapacitate subjecti, sed tantùm coexistentiam, & simultatem, seu compossibilitatem actualem: formalis enim, & aptitudinalis venit ex eorum formis, & essentiis.

Objic. 3. Actus scientiæ, & erroris, lætitiæ, & doloris, item sanitas, & ægritudo, deformitas, & pulchritudo non possunt esse simul etiam in remisso, ergo idem est de aliis, ant. patet ex Scoto.

Resp. neg. conseq. & disparitas est, quia illi actus important contradictionem ex parte objectorum formalium, adeò ut unus importet negationem objecti formalis alterius v.g. actus scientiæ tribuit risibilitatem homini, & actus erroris negat risibilitatem, amor tribuit bonitatem, & odium tollit. Non ita est de habitibus acquisitis per illos actus: nam habitus odii alterius objecti non statim, nec totaliter tollitur per unum actum amoris, unde illi habitus in gradu remisso possunt esse simul, quia sunt tantùm inclinationes ad actus, non verò actuales tendentiæ in objecta.

[1] 10. *Metеor.* 13. & 14.

cta. Quantum ad sanitatem, & pulchritudinem, alia est ratio disparitatis, quia, ut diximus, non sunt propriè qualitates, sed relationes quædam convenientiæ, & disconvenientiæ ortæ ex diversa positione partium, ut in pulchritudine, & deformitate, aut qualitatum attemperatione, ut in sanitate, & ægritudine.

Objic. 4. Magis repugnant frigus, & calor, quàm major, & minor calor: sed istæ non possunt esse simul in eodem subjecto, ergo nec illæ.

Resp. dist. maj. Magis repugnant materialiter, & entitativè, conc. maj. formaliter quoad majoritatem, & minoritatem, neg. maj. & conseq. Magis enim formaliter ut tale importat negationem *minoris*, & sic quasi contradictoriè opponuntur. Idem est de duobus frigoribus ut octo, magis repugnant in illis gradibus summis, non ab essentia sua, sed ab extrinseco, quia nullum agens potest illa ponere in eodem subjecto, nec ullum subjectum ea simul recipere.

Objic. 5. Nihil potest moveri simul motibus contrariis: sed aqua v.g. sic moveretur, si posset habere simul calorem, & frigus, nam frigesceret, & calefieret, ergo frigus, & calor, seu duæ contrariæ qualitates in nullo gradu possunt esse simul.

Resp. dist. maj. Motibus contrariis, quibus acquirat terminos, vel qualitates oppositas in gradibus incompossibilibus, conc. maj. & neg. min. ad qualitates oppositas, sed compossibiles in gradibus aliquibus, neg. maj, & conseq. & prætereà, dum aqua calefit, non propriè movetur ad frigus, sed potius à frigore ad calorem, quia tantum deperdit frigoris, quantum acquirit caloris, & sic de cæteris, & ideò negaretur etiam minor.

CONCLUSIO II.

Qualitates contrariæ non possunt naturaliter esse simul in gradibus summis; an verò supernaturaliter videtur negare auctoritas, non ratio: probabilius enim est id posse.

Prob. 1. ex Scoto, [1] maximè quoad 1. p. sic enim affert textum Philosophi, *si igitur impossibile est simul affir-*

[1] 4. *Metaph.* 1. 5. n. 84.

affirmare, & negare, verè impossibile est contraria simul inesse, nisi aut aliqua ex parte ambo (sc. in gradu remisso) *aut alterum quidem aliqua ex parte, alterum verò simpliciter*, explicat hoc, quatenus unum dicit privationem, seu negationem alterius, & addit. *Simpliciter autem inesse eidem ambo contraria, vel ambo contradictoria, est impossibile*, quod verum est, saltem naturaliter.

Clariùs, & expressis verbis docet, [1] *contraria in summo sunt incompossibilia in eodem, in gradibus verò remissis non*, & addit Poncius[2] id implicare naturaliter in gradu intenso, per quod significat illa non esse incompossibilia respectu potentiæ Dei absolutæ, quod facit pro secunda parte.

An autem id possibile sit supernaturaliter, non satis constat de mente Scoti, [3] videtur inclinare in affirmativam, loquens de actione ignis in animas damnatorum. *Quod si ponatur calorem induci in summo, & tamen qualitatem illam mixti* (sc. corporis damnati) *stare in eodem, videtur, quod formaliter repugnantia sit, &, an hoc sit possibile Deo, non hìc, sed alibi decidendum*, illa tamen repugnare formaliter docet, [4] *album non potest esse nigrum formaliter, vel è converso, propter eorum repugnantiam formalem*, & hanc repugnantiam asserit alibi, talis enim est inter contraria, dubitant ergo Scotistæ de mente Doctoris, quoad 2. partem, & merito.

Prob. 2. quoad 1. experientia, qua docemur contrarias qualitates se se mutuò expellere ab eodem subjecto, unde ortum illud commune axioma, *contraria contrariis curantur*, quia expelluntur; confirmatur ex difficultate sustinendi, quòd possunt esse simul ne supernaturaliter quidem, ergo multò minus id poterunt naturaliter.

Prob. 2. p. quia licèt non videatur Scotus tribuere divinæ potentiæ absolutè, non tamen negat, imò id videtur permittere loquens de igne inferni, quod sc. causet in damnatis Physica actione summum calorem, dum aliunde patiuntur summum frigus. *Si velimus recurrere ad novum miraculum, non possunt improbari*: ergo non satis constat de mente Scoti, an

[1] 1. d. 17. q. 3. A. vel 5. n. 2. [2] Poncius ibid. n. 48. [3] 3. d. 1. q. 1. L. n. 12. [4] 4. d. 49. q. 16. C. n. 4.

an hoc sit possibile supernaturaliter, imò videtur potiùs inclinare in negativam partem, quam tenent Scotistæ [1] non ignobiles

Prob. 3. p. Quia nihil debet denegari potentiæ Dei supernaturaliter agenti, nisi implicet manifestam contradictionem, sed non apparet manifesta contradictio, quòd summum frigus, & summus calor sint simul in eodem subjecto, ergo non debet dici impossibile supernaturaliter. Prob. min. respondendo ad implicantias, quæ afferuntur.

Objic. 1. ex Doct. [2] Magis repugnant duo contraria in summo, quàm duo ubi, & duæ dimensiones: sed vix duæ dimensiones posunt esse simul, & id negat de duobus contrariis, quæ repugnant formaliter, ergo ex Scoto repugnant eadem contraria simul esse, etiam supernaturaliter.

Resp. neg. min. Nam absolutè sustinet compossibilitatem duorum corporum in eodem loco, seu duarum dimensionum supernaturaliter, & licèt dicat, quòd duo contraria magis repugnent, quia repugnant non solùm quoad effectus, sed etiam secundum se, in quo consistit repugnantia formalis, non tamen negat illa posse esse simul de potentia absoluta.

Inst. Scotus post Philosophum [3] negat compossibilitatem inter contradictoria, ergo & inter contraria in summo. Prob. conseq. Quia contraria in summo inferunt contradictionem, & opponuntur privativè, ergo, &c.

Resp. neg. conseq. & dist. ant. prob. Inferunt contradictionē mediatè, conc. ant. immediatè, neg. ant. Nam unum contrarium immediatè, & primariò opponitur alteri positivè, mediatè verò, & secundariò infert privationem, seu exclusionem alterius secundum communem cursum naturæ, in quo Deus dispensare potest, & in eo casu non diceretur idem esse calidum, & non calidum, quæ sunt contradictoria, sed calidum, & frigidum, quæ sunt tantum contraria.

Inst. 2. Unum contrarium infert necessariò, & essentialiter negationem alterius, ergo nulla solutio.

Resp. dist. ant. Negationem alterius quoad essentiæ identitatem, conc. ant. Nam semper verum est, quòd

[1] *Lichet. q. d. 2. q. 9. Columbus l. 3. de Elem. q. 3. a. 5. n. 32.* [2] *2. d. 49. cit. B. n. 3.* [3] *5. Met. cit.*

quòd calor non est frigus, idem est de albedine, & dulcedine, licèt sint simul in lacte, idem est de omnibus specie differentibus, essentialiter enim differunt quoad coexistentiam in subjecto, neg.ant. saltem supernaturaliter, de quo est quæstio.

Objic.2. Contraria in summo formaliter se expellunt, ergo Deus non potest hoc impedire. Ant. patet ex Scoto,& ex omnibus. Prob. cons. Deus non potest supplere, vel impedire effectum causę formalis, ergo nec illam expulsionem.

Resp.neg.conseq. & dist. ant. prob. Non potest supplere, vel impedire effectum formalem primarium, conc.ant.secundarium,neg.ant. Effectus formalis primarius caloris, v. g. est informatio, & denominatio calidi, & hic immediatè exit ab entitate formæ, nec potest Deus illum supplere: expulsio verò contrarii, v.g. frigoris est secundarius, & exit mediate primario illo,& quasi per efficientiam, & Deus potest illum supplere, aut impedire.

Inst. 1. Calor,& frigus repugnant seipsis,& antecedenter ad illum effectum secundarium, ergo licèt Deus possit impedire hunc effectum, adhuc non potest facere, ut sint simul.

Resp. conc. ant.& neg.conseq. Nam Deus non efficiet,ne sint contraria,& ne exigant se expellere, benè verò ne de facto se se mutuò expellant, de quo est quæstio.

Inst.2. Non magis duæ formæ accidentales contrariæ sunt compossibiles, quàm substantiales in eadem materia: sed Deus non potest unire istas, ergo nec illas.

Resp.neg.min. de quo patet ex dictis in Physica.[1] Præterea disparitas est inter formas substantiales, & accidentales, illæ dant esse simpliciter: ejusdem autem rei non possunt esse duo esse simpliciter, accidentales verò dant esse tantùm secundum quid, & duo talia esse non adeò repugnant esse simul.

Objic. 3. Si idem paries esset albus, & niger, esset visibilis, & non visibilis: sed visibile, & non visibile sunt contradictoria, ergo & esse album, & nigrum. Prob. maj. Esset visibilis,ut supponitur, esset enim coloratus, non esset visibilis, quia non esset potior ratio,

[1] *Disp 4. q.8*

tio, cur videretur; ut albus, quàm ut niger, idem est de calido, & frigido, amaro: & dulci respectu tactus, & gustus.

Resp. neg. maj. & conseq. prob. Quia si oculus non posset simul videre utrumque colorem, de quo dubito, quia oculus videt simul duo objecta alba, & nigra, duos colores in duobus subjectis, cur non in eodem? Dei esset determinare oculum ad alterutrius coloris visionem. Idem est de tactu respectu caloris, & frigoris, & de gustu respectu amari, & dulcis, &c.

Inst. 2. Non est duplex potentia contraria receptiva in subjecto, ergo neque potest esse duplex qualitas contraria. Prob. conseq. Actus enim supponit potentiam.

Resp. neg. conseq. Non enim requiritur duplex potentia naturalis, & determinata, sicut nec in materia ad duas formas, sed sufficit indifferentia naturalis, & obedientialis ad plures; & maximè quia incompatibilitas non tam venit ex parte subjecti, quàm formarum, & qualitatum, quæ ex se non se compatiuntur, sed expellunt ab eodem subjecto.

QUÆSTIO IV.

De Rarefactione, & Condensatione.

R*Arefactio*, & *condensatio* sunt species quædam alterationis, & motus ad qualitatem, aut saltem effectus ejus, quia *rarefactio* non solet accidere, nisi ex calefactione, nec *condensatio*, nisi ex frigore, licèt fortè spectare videantur ad prædicamentum quantitatis. *Rarefactio* est quædam extensio rei, qua parum materiæ majorem locum occupat, ut cùm aqua in lebete ebulliens inflatur, & totum occupat, *condensatio* verò è contra est quædam restrictio, & coarctatio ejusdem materiæ, qua minorem occupat locum, ut cùm eadem materia, quę totum lebetem replebat, reducitur ad fundum: unde *rarum* dicitur, *quod parum habet materiæ sub magna dimensione*: *densum*, *quod multum habet materiæ sub parva dimensione*.

Rarefactio largè, & impropriè significat quamcumque dilatationem materiæ per separationem partium ejus, & *condensatio* similiter pro quacumque coarcta-

ctatione, & compressione ejusdem, ut cum spongia per aquam in illa imbibitam inflatur, aut post expulsionem, & compressionem sibi relicta extenditur, & cùm restringitur compressa manu, aut ligamine, vel pondere. Propriè verò pro ampliatione materiæ absque perceptibili illa divisione, vel intromissione corporum extraneorum, & *condensatio* pro restrictione absque sensibili reunione partium, vel ejectione corporum extraneorum, & sic rarum impropriè significat 1. corpus laxum, & fluidum, atque inconstans, 2. corpus porosum, ut spongia, 3. corpus non spissè contextum, sicut tela dicitur rara. 4. pro corpore rimoso, ut paries ablato cæmento, & propriè verò pro corpore, quod *sub parva quantitate occupat majorem locum*, unde fit, ut *porosum*, non sit propriè *rarum*, quia propter substantiam, & quantitatem, quæ est in poris, quandò turget, & magis extenditur, non potest dici, quòd sit in parva quantitate, sed magna, & majori, quàm cum densatum erat, oportet ergo & sub eadem quantitate majorem habeat extensionem, quàm ante, & sic quæritur, unde hæc fiat, an per novæ quantitatis productionem, aut deperditionem, an per corpusculorum imperceptibilium intromissionem, vel ejectionem, vel per simplicem extensionem novam, scilicet ampliorem in rarefactione, vel strictiorem in densatione, an per extractionem partium ab invicem, aut *condensatio* per compenetrationem earumdem. Singuli siquidem hi modi habent suos auctores, & controversia de his est famosa.

CONCLUSIO I.

R*arefactio non fit per admixtionem vacui inter partes materiæ, nec condensatio per constipationem earumdem, quæ repleant vacuitates*. Est communis contra quosdam antiquos.

Prob. 1. ex Scoto, & aliis communiter non admittentibus vacuum in natura, ut constat ex dictis in Physica: non enim difficilius esset admittere ingens, quàm exiguum.

Prob. 2. pars. Si enim rarefactio non fit per admixtionem vacui, densatio non potest fieri per illius expulsionem.

CON-

CONCLUSIO II.

R*arefactio non fit per extractionem partium corporis à se invicem, nec densatio per earum compenetrationem.* Est etiam communis.

Prob. similiter ex dictis, quia substantia, & præcipuè quantitas habent partes extra partes, & non penetrantur: sed condensatio est naturalis, ergo hæc non consistit in illa compenetratione, nec per consequens rarefactio in illa eductione partium.

Objic. Rarefactio importat majorem partium distantiam, & densatio majorem illarum unionem: sed illa unio major non potest concipi absque quadam compenetratione, aut illa distantia sine vacui interjectione, ergo vel rarefactio fit per interjectionem vacui inter partes, seu in poris corporis rarefacti, vel densatio per compenetrationem illarum; hæc est præcipua totius quæstionis difficultas, quæ non potest resolvi in hoc vestibulo.

Responsio igitur patebit ex decisione ampliori per sequentia.

CONCLUSIO III.

R*arefactio non fit per immissionem substantiæ extraneæ, seu corpusculorum in poros corporis, nec densatio per illorum ejectionem.* Hæc longè plures habet adversarios etiam Scotistas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui videtur facere pro adversariis dicens, *rarum, seu rarius est, quod habet corpora aliqua permixta subtiliora hoc modo cum suis partibus adhuc manentibus in propria forma:* & respondet ad duo argumenta in contrarium, sed postmodum illam ex professo impugnat: *omnis opinio dicens, quod aliqua quantitas est nova, sc. rarior, patitur eandem difficultatem, quam & illa, quæ ponit totam quantitatem esse novam, nisi teneatur ibi virtute, quod rarefactio est quædam juxta positio corporum subtiliorum;* hæc dicimus corpuscula inter partes corporis grossioris.

Hanc autem sententiam improbat ob tria 1. quia

G 5 non

[1] 4. *d.* 12. *q.* 4. *B. & F. n.* 12. & 20.

non apparet, quomodo hic posſit generari ab igne, vel Sole corpus ſubtilius vino(loquitur de ſpeciebus Euchariſticis in calice, & idem eſt de aliis liquoribus, qui rareſiunt) *nec per conſequens apparet, à quo deſtruerentur illa corpuſcula* in conſideratione. 2. *eſset alia difficultas, quia quam citò rareſierens* (illæ ſpecies) *ſtatim eſset ibi alia ſubſtantia nova* (illa corpuſcula) *& per conſequens non ubique corpus Chriſti*. 3. *quia mirum etiam videtur, quòd nulla ſubſtantia manens eadem omnino, poſſet rareſieri, aut denſari*, cùm ergo illa ſint abſurda,& inconvenientia, ſequitur non rectè explicari rarefactionem,& condenſationem per illam intromiſſionem, vel ejectionem aeris, vel corpuſculorum, licèt Scotus vocet eam opinionem communem.

Prob.2.& confirmatur hæc 3. ratio Scoti, quia propria *rarefactio* eſt ea, qua eadem omninò ſubſtantia cum iiſdem accidentibus principalioribus occupat majorem locum,& *condenſatio*, qua minorem: ſed ſi non fieret, niſi per illam intromiſſionem, aut ejectionem, non eſset eadem ſubſtantia, quæ fieret rara, aut denſa, ergo non eſset propria *rarefactio*, aut *condenſatio*. Prob. maj. Nullus enim dixit, quòd ſpongia inflata per aquam ſit rarefacta propriè, & tamen nulla eſset differentia in illa, & vino ebulliente, niſi, quòd aqua ſpongiam inſtans eſset ſenſibilior, quàm aer, vel corpuſcula inſtantia vinum ebulliens.

Prob.3. Quia ſi corpus aliud intraret in corpus rarefactum, appareret ibi ad aliquem ſenſum per aliqua accidentia, v.g. colorem, odorem, ſaporem, duritiem, aut mollitiem, & rarum mutaretur in aliquo ſimilium accidentium: ſed neutrum accidit in rarefactione, ergo non fit per illam immixtionem. Patet maj. Quia omnis ſubſtantia corporea, & quanta ſic ſenſibilis eſt. Prob.min. Quia vinum, aqua, butyrum, &c. dum rareſiunt, retinent eadem prorſus accidentia coloris, ſaporis, odoris, & nullum extraneum percipitur, ergo, &c.

Confirm. Quia non poteſt dici, qualia hæc ſint corpuſcula, à quo generentur,& cujus ſint figuræ: nam deberent eſse ſubtiliora aere, & igne, & igni reſiſtere, atque illis liquoribus, ne in illa corrumpantur, & in illa commutentur, aut conſumantur, ergo gratis effinguntur.

Prob.

Prob. 4. experientiis, 1. de cucurbita medica, quæ calefacta si applicatur carni, ea proportione, qua aer per calorem rarefactus in illa condensatur per frigus, caro ascendit, ut repleat spatium ab illo relictum, & sic impediat vacuum. Idem accidit, si os phialæ calefactæ superponatur aquæ, aut alteri corpori liquido, vel molli, vel flexibili, sc. ascendit illud corpus, atqui hoc non fieret, nec posset fieri, si aer rarefactus esset per immixtionem corpusculorum, ergo rarefactio non fit hoc modo. Prob. min. Corpuscula illa emissa ex aere per condensationem replerent spatium ab illo relictum, aut in eodem remanerent, & impedirent condensationem, sc. quia non possent exire ex cucurbita propter carnem, vel aquam, aut aliud corpus suppositum, per quod os ejus obturetur, ergo vel non fieret condensatio aeris, vel non subintraret caro, vel aqua; quia nullum relinqueretur spatium replendum.

Dices ideo vacuari cucurbitam, & carnem ascendere, quia aer subintrat poros carnis apertos per calorem.

Contra. Potiùs aer, & cucurbita attrahit spiritus, & sanguinem, & humores ad superficiem carnis, ideò enim applicatur à medicis, ergo tantùm abest, ut caro attrahat aerem, & corpuscula, quibus turgebat in cucurbita calida. Alias experientias vide apud Arriagam, & alios.

Prob. 5. Sequeretur liquorem v. g. lac, dum calefit, dividi per omnes suas partes, & inter omnes introduci corpuscula extranea, sed hoc est absurdum: ergo & illud. Min. patet; unde enim tot producerentur corpuscula, quot sunt particulæ liquoris? Prob. maj. Totus liquor & quoad omnes partes calefit, & ebullit, & rarefit, ita ut nulla percipiatur, quæ non sit calida, & inflata, ergo, &c.

Objic. 1. Condensatio dicit solùm majorem partium unionem, ergo fit per expulsionem corporum extraneorum dividentium partes illas. Prob. conseq. Non possent magis uniri, nisi essent anteà dissitæ, & aliqualiter separatæ: sed non possent esse dissitæ, nisi per interpositionem corpusculorum, aut aeris, ergo, &c.

Resp. dist. ant. Per solam unionem partium in ordine ad locum, conc. ant. in ordine ad se, neg. antec. & conseq. Partes rari, & densi propriè semper eodem

modo se habent in ordine ad se, sola mutatio, seu extensio, aut arctatio fit inter illas in ordine ad locum, ut dicemus.

Objic. 2. experientiam de aqua emittente bullas inflatas aere, dum calefit, & de carne, quæ ab humoribus intumescit, ergo rarefactio fit per immixtionem aeris, & corpusculorum.

Resp. dist. conf. Rarefactio impropria, conc. conseq. propria, neg. conseq. In illis enim experientiis non est parum, sed multum materiæ sub magna illa dimensione.

Objic. 2. Nisi fieret rarefactio per immixtionem, & densatio per ejectionem corpusculorum, non posset fieri rarefactio unius sine condensatione alterius; sed conseq. est falsum, ergo & ant. Maj. patet: dum enim unum corpus magis extenditur, alterum debet comprimi. Prob. min. Si in cubiculo perfectè clauso comburetur stupa, rarefit aer, & non apparet aliud corpus, quod densetur, non etiam adest causa densationis; non enim densatur à calore, ergo falsum est, non posse unum rarefieri, nisi aliud densetur.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam dum rarefit pars aeris propior igni, densabitur remotior, si nullum aliud densabile adsit, & motus rari extensi impellet densum. Quæro ab adversariis, unde advenient aeri corpuscula, ut rarefaciant? nos ibidem dicemus fieri densationem; qui plura volet, legat Mastrium, [1] & Poncium [2] in hoc puncto acerrimè pugnantes.

CONCLUSIO IV.

R*Arefactio non fit per acquisitionem; nec densatio per deperditionem quantitatis; sive totalis, sive partialis*. Est communis.

Probatur ex Scoto, [3] & 1. æquè impugnat mutationem quantitatis quoad partem, quàm quoad totum his verbis, *non oportet ergo ad propositum de subjecto transmutationis secundum quantitatem hic apparentis magis improbare illam, quæ ponit totam quantitatem novam, quàm aliam quamlibet, quæ ponit ad minus aliquam partem novam*; ergo quo-

[2] *Mastrius disp.* 4. *de Gen. A. n.* 7. [2] *Poncius disp.* 55. *A. n.* 30. *&* 13. *&c.* [3] 4. *d.* 12. *q.* 4. *ante A. n.* 8.

quoad novitatem quantitatis in rarefactione æquè falsa est pro tota, ac pro parte.

Prob. 2. ex eodem. Si tota quantitas periret, & nova acquireretur, cætera pariter accidentaria rarefacti mutarentur: sed hæc non mutantur, ergo nec quantitas. Min. patet experientia: vinum enim, aqua, lac, &c. rarefacta retinent eundem saporem, odorem, colorem. &c. Prob. maj. Nam quantitas est immediatum subjectum talium accidentium, ut patet in Sacramento Eucharistiæ, in quo abest substantia panis, & vini, ergo accidentia alia non mutantur in corpore rarefacto, ergo nec quantitas.

Probatur 3. Quia multi ex adversariis censent, quantitatem individuare subjectum, ergo si quantitas mutaretur vel in toto, vel in parte notabili, corpus rarefactum mutaretur individualiter, nec esset idem numero cum seipso denso: sed hoc est absurdum, & maximè in Sacramento Eucharistiæ, ubi Christus deberet desinere esse sub speciebus rarefactis, aut densatis, ergo, &c.

Confirm. utraque ratio, quia non apparet, à quo corrumpatur prior quantitas, & à quo producatur nova: nam quantitas non habet contrarium, à quo destruatur, ergo, &c.

Objic. 1. In rarefactione acquiritur nova extensio, & major priori, ergo & nova quantitas. Prob. conseq. Extensio est ratio constitutiva, aut saltem proprietas quantitatis, ergo ubi est nova, & major extensio, ibi est major, & nova quantitas.

Resp. neg. conf. & ant. prob. Nam extensio actualis est tantùm effectus, non verò proprietas quantitatis, ut patet ex Metaphysica, & ex mysterio Eucharistiæ, ubi corpus Christi est cum sua quantitate sine extensione extrinseca.

Instabis. Aqua densa potest esse pedalis, & rara decempedalis: sed unipedalitas, & decempedalitas sunt differentiæ specificæ quantitatis, ergo extensio major, verbi gratia, decempedalitas, & minor, v.g. unipedalitas sunt differentiæ quantitatis. Prob. min. Alioqui enim quantitates illæ dici possent æquales, verbi gratia, aer decem pedum diceretur æqualis aquæ pedali. Sed hoc est falsum, & absurdum, ergo, &c.

Resp.

Resp. dist. min. Decempedalitas intrinseca, & entitativa, conc. min. extrinseca, & purè extensiva, neg. mi. & idem dico ad majorem probationis. Aqua densa, & rara est ejusdem quantitatis intrinsecæ, & entitativæ, nec differt, nisi extrinsecè, & extensivè.

Inst. 2. Intensio qualitatis per nos fit per acquisitionem novæ qualitatis, ergo extensio quantitatis fit per acquisitionem novæ quantitatis.

Resp. neg. conseq. & parit. Quia non repugnat subjectum intendi, & remitti secundum eandem partem, at duæ partes quantitatis nequeunt esse in eadem parte materiæ, quia impenetrabilitas est de ratione quantitatis.

Inst. 3. Extensio in ordine ad locum est à quantitate, ergo & major extensio in loco est à majori quantitate.

Resp. neg. ant. præcisè, & formaliter loquendo. Nam materia, ut diximus, habet ex se partes aptas occupare locum: à quantitate verò habet, quod partes occupent locum impenetrabiliter: quod verò sint in tanto, vel tanto loco, habent à prædicamento situs.

Inst. 4. Quod habet plures partes materiæ, debet occupare majorem locum, ergo extensio localis commensurari debet extensioni intrinsecæ, seu entitativæ, ergo, quod occupat majorem locum, habet plus quantitatis. Prob. ant. Corpori bipalmari debetur extensio & locus bipalmaris, ergo, &c.

Resp. dist. ant. utrumque. Debetur locus amplior, cęteris paribus, conc. ant. si aliunde adsit disparitas; neg. ant. & conseq. Corpus bipalmare rarefactum aliter disponitur, quàm densum, & ideò debet occupare ampliorem locum.

Objic. 2. Rarum definitur à Philosopho, quod habet parum materię, & multum quantitatis, densum verò quod habet multum materiæ, & parum quantitatis, ergo rarefactio non fit sine additione quantitatis.

Resp. In definitionibus nomine quantitatis intelligit extensionem, quæ est sensibilior effectus quantitatis. Unde neg. conseq. vel dist. multum quantitatis extrinsecæ, & extensionis, conc. conf. quantitatis entitativæ, seu intrinsecæ, neg. conseq.

Objic. 3. Quandò corpus rarefit, acquirit nova puncta,

cta, ergo & novas partes quantitatis, quæ terminentur, & uniantur per illa puncta, & in condensatione debent deperdi nova illa puncta. Prob. ant. Quia ante rarefactionem singula puncta locati correspondebant singulis punctis loci minoris, ergo post rarefactionem debent similiter correspondere singulis punctis majoris loci, sed hæc sunt plura in majori loco, ergo & in locato rarefacto.

Resp. neg. ant. & ultimam conseq. prob. vel sic distinguo: in locato si sit in eadem dispositione, conc. conseq. si sit in diversa dispositione, neg. conseq. Nam secundum diversos situs pauciora puncta minoris lineæ, aut corporis possunt correspondere pluribus punctis locati, aut circumferentiæ: sic punctum centri correspondet singulis punctis circuli, & à singulis punctis majoris circuli ad centrum possunt duci totidem lineæ transeuntes per circulum minorem, quandiu lineæ utriusque circuli sunt situatæ, seu dispositæ circulariter, sed si in longitudinem disponantur, linea circuli majoris erit duplo, vel triplo longior, & eorum puncta minimè sibi correspondebunt. Idem est in lineis lateralibus, & diametris figuræ quadratæ, quandiu hæc situatur in diametro figuræ, singula ejus puncta correspondebunt singulis punctis lateralium, sed si extrahatur ab illo situ, & ponatur juxta lateralem, & recta, illam multum superabit. Idem est de corpore raro, & denso respectu loci, quandiu est densum, singula puncta ejus respondent singulis partibus loci æqualis. Quandiu verò est rarum, singula ejus puncta respondent singulis licèt pluribus punctis majoris loci.

CONCLUSIO V.

Rarefactio non est motus ad qualitatem ullam realem, quæ per illum acquiratur. Est contra plures alios Scotistas, & cæteros.

Prob. 1. ex Philosopho, & Scoto, [1] tum quia in definitione rari nulla fit mentio qualitatis noviter acquisitæ, ut legenti patet. *Rarum est, quod parum habet de materia*, inquit Scotus. Hinc sequitur rarefactionem, & densationem non esse motus ad quali-

[1] *1. Metaph. c. 3. n. 105.*

litatem, idem patet ex locis supra citatis, in quibus nullo modo refert opinionem, quæ hos motus terminet ad qualitatem.

Prob. 2. Quia corpus esse rarum nihil aliud est, quàm partes ejus magis extendi extra se, & in ordine ad locum, sed ad hoc nulla qualitas realis positiva illis advenit, ergo per rarefactionem non acquiritur ulla qualitas nova: idem est de condensatione.

Prob 3. Si raritas, & densitas essent qualitates, possent intendi, & remitti: sed hoc est falsum, ergo non sunt qualitates. Maj. patet ex proprietatibus qualitatis, quæ est suscipere magis, & minus, seu intendi, & remitti. Prob. min. Si raritas posset intendi, corpus secundum eandem partem fieret rarius sine nova extensione: sed hoc est falsissimum, & contra omnes, ergo &c. Prob. maj. de ratione qualitatis intensibilis est, ut possit crescere in eadem parte subjecti, ergo raritas posset intendi absque extensione.

Objic. 1. Philosophum, [1] qui enumerat raritatem, & densitatem inter qualitates tangibiles, ergo rarefactio, & densatio sunt motus ad qualitatem.

Resp. neg. conseq. Nam Aristot. sic loquitur non ex proprio sensu, sed ex vulgi existimatione: solent enim reputari qualitates ex errore populari, non ex veritate.

Objicies 2. ex Scoto, [2] *tota raritas est primus terminus formalis rarefactionis, cujus subjectum est totum quantum*, ergo intantum per hoc potest acquiri, quod tanta qualitas acquiritur, ergo ex Scoto per rarefactionem acquiritur qualitas, & expressè ait, [3] *condensatio est quædam alteratio præcedens generationem corporis densioris ex misto corpore rariori*: sed alteratio est motus ad qualitatem, ergo & condensatio, & rarefactio.

Resp. neg. conseq. Nam in primo loco non dicit rarefactionem acquiri qualitate, sed tantùm quod quantitas præsupponatur acquisita tota ante acquisitionem qualitatis, de quo non est quæstio, in 2. autem per condensationem intelligit majorem consolidationem corporis fluxi, unde rarum, & den-

sum

[1] *7. Phys. 11. & l. 2. de part. animal. c. 1.*
[2] *4. d. 12. q. 3. E. n. 18.* [3] *3. d. 4. q. un. B. n. 7.*

ſum uſurpat in ſenſu improprio, de quo diximus ab initio, ſic aqua dicitur rara, & ſic de liquoribus, & corporibus fluidioribus, quod valde notandum pro ſolutione aliarum objectionum, non enim negamus talem denſitatem, & raritatem eſſe qualitates, quæ dicuntur mollities, & durities, ſoliditas, & fluiditas, ut ſunt in corpore caro, & oſſa.

Objic. 3. Non poteſt eadem quantitas magis, & minus extendi ſine aliqua mutatione per qualitatem ad hoc diſponentem: ſed illa qualitas, & ipſa rarefactio eſt qualitas, aut ad qualitatem, ergo rarefactio eſt qualitas. Prob. min. Si eſset alia qualitas maximè calor, aut frigus, ſed calor, & frigus non præſtant illam extenſionem, ergo, &c. Prob. min. Extenſio maior, aut minor fit per motum localem: ſed calor, & frigus non cauſant talem motum, ergo nec raritatem. Prob. min. motus ad *Ubi* venit à gravitate, & levitate, ergo non à calore, & frigore.

Reſp. neg. min. 1. 2. & 3. argumenti, & conſeq. 4. Nam raritas eſt effectivè à calore; & denſitas à frigore; & iſtæ qualitates non movent partes corporis rari, aut denſi ad locum velut ad *ubi*, ſed velut ad ſitum earum in ordine ad locum.

CONCLUSIO VI.

Alteratio, & condenſatio terminantur ad extenſionem majorem, aut minorem partium corporis, quæ reducitur ad prædicamentum ſitus. Eſt Scotiſtarum aliquot, & aliorum.

Porrò, recolendum eſt ex dictis in Logica, & Metaphyca, 1. ſubſtantiam corpoream habere partes entitativas, ſed indifferentes ad penetrationem; accipere verò impenetrabilitatem exigitivam, & actualem à quantitate. 2. prædicamentum *ubi* conſiſtere in relatione extrinſecùs adveniente, & reſultante in toto, & partibus ejus ad totum locum, & partes ejus abſolutæ, ſive locatum ſit corporeum, aut non corporeum, *ſitus* verò, prout ab *ubi* diſtinguitur, importat præcisè poſitionem partium locati ad partes loci, quomodocumque, & non convenit niſi rebus corporeis, & extenſis. His ſuppoſitis

Prob.

Prob. 1 concl. ex Scoto. Quia raritas major non accipitur, nisi ex occupatione majoris loci, & similiter de condensatione, quæ est occupatio minoris loci, sicut universaliter est circa omnem condensationem: ergo ex Scoto rarefactio, & condensatio terminantur præcisè ad majorem, & minorem extensionem partium corporis quanti, in ordine ad partes loci, in quo posita est ratio *situs*.

Prob. 2. Quia ex definitionibus allatis rari, & densi, nihil aliud importatur præter illam majorem, & minorem extensionem.

Confirm. ex præcedentibus conclusionibus, in quibus probavimus illas non consistere in acquisitione, & deperditione quantitatis, nec in intromissione vacuitatum, aut corpusculorum, nec in acquisitione ullius qualitatis, ergo restat, ut in illa extensione consistat.

Prob. 3. Tunc corpora dicuntur rarefieri, aut densari, cùm non mutato ordine partium suarum dilatantur, aut comprimuntur, & plus, aut minus spatii occupant, ergo primus, & immediatus terminus rarefactionis, & condensationis est illa compressio, vel dilatatio; sed illa compressio, & dilatatio non important aliud, quàm diversam positionem partium corporis in loco, quæ spectat ad prædicamentum *situs*, ergo rarefactio, & densatio nihil per se important, nisi talem extensionem.

Dices. Etiam hoc dato, mutatur præsentia localis totius corporis ad locum, ergo potiùs spectat ad *ubi*.

Resp. dist. ant. Mutatur secundariò, & consequenter; conc. ant. primariò, & immediatè, neg. ant. & idem dico ad conseq. Nam prius est partes sic arctari, aut dilatari, quàm resultet nova illa præsentia.

Inde habes causam *extrinsecam*, & *efficientem* raritatis, & densitatis non esse aliam, quàm agens extrinsecum, quod dicitur rarefacere corpus: *dispositiva* est calor, aut frigus, vel humiditas: *formalis* verò est ipsa raritas, aut densitas, quæ in hujusmodi extensione latiori, aut strictiori consistit, & ad hæc omnia non requiritur quidquam aliud.

Prob.

[3] 4.d.12. q.24. B.n.3.

Prob. 4. Sicut se habent tarditas, & velocitas in successivis, sic raritas, & densitas in permanentibus: sed tarditas, & velocitas non important ullam additionem, vel detractionem partium, nec vacuitatem, aut penetrationem, nec qualitatem, aut quantitatis acquisitionem, aut deperditionem in entibus successivis, v. g. in motibus, ergo nec raritas, & densitas in permanentibus. Maj. patet. Quia, sicut per velocitatem motus coexistit breviori tempori, & per tarditatem longiori, ita per raritatem res permanens coexistit ampliori loco, & per densitatem arctiori, & sicut se habet mobile ad tempus, ita rarum se habet ad locum. Prob. min. In bona Philosophia, motum esse tardum, nihil est aliud, quàm partes ejus extendi, & coexistere pluribus partibus temporis, & illum esse velocem, est easdem partes coexistere paucioribus partibus temporis, nec ullus somniavit, quòd in tardo immisceantur particulæ motionis extraneæ, ergo vera est minor.

Dices, Motum tardiorem interrumpi per quasdam morulas.

Contra 1. Quia sic nullus motus esset continuus, quod refutatum est in Physica. 2. Quia sic in permanentibus raritas debet accidere per interpositionem non corpusculorum, ut volunt hi morulistæ, sed vacuitatum, quod non admittunt, ergo rectiùs dicimus id fieri per simplicem extensionem, aut restrictionem, seu compressionem partium.

Objic. 1. Si rarefactio, qua res extenditur ad majorem locum, fieret per simplicem ampliationem partium sine nova aliqua entitate inter illas, daretur naturaliter penetratio partium rei quantæ, vel præsentia unius partis in pluribus locis adæquatis: sed utrumque est falsum, etiam secundum nos, ergo & conclusio nostra. Prob. maj. Nam cum quantum palmare rarefit, & ex loco palmari ampliatur, & occupat bipalmarem, vel partes illæ antea erant compenetratæ in spatio palmari, & idem locus tenebat duo corpora, vel jam habent præsentiam in duobus locis, scilicet in duobus locis palmaribus, quorum unumquodque erat locus adæquatus, & ita est de singulis partibus ejusdem, sed in 1. casu

da-

daretur penetratio naturaliter, & in 2. idem corpus esset in duobus locis adæquatis, ergo ex nostra conclusione sequitur vel naturalis partium penetratio quantitatis, vel positio ejusdem corporis in duobus locis; hæc est præcipua difficultas hujus quæstionis, & fundamentum omnium adversariorum.

Resp. 1. Idem argumentum urgere adversarios in tarditate & velocitate motus, ut dictum est supra, & eos, qui volunt acquiri, aut deperdi quantitatem sine nova substantia.

Resp. 2. ne. maj. utriusque argum. Nam partes corporis ante rarefactionem non sunt compenetratæ, sed magis compressæ, & in minori spatio, nec in raritate occupant duplicem, sed ampliorem locum propter diversitatem temperamenti, & dispositionum concurrentium ad raritatem, aut densitatem, sicut motus idem est modò velocior, modò tardior ex diversa dispositione, & actione virtutis motricis, aut applicatione ejus, aut resistentia passi, aut medii. Corpus ponitur in duobus locis per sui replicationem; hic nulla fit replicatio corporis rari, sed pura extensio major, per quam coexistit ampliori loco.

Inst. 1. Corpus non potest esse naturaliter, nisi in loco sibi adæquato, & commensurato, sed ante rarefactionem locus adæquatus, & commensuratus erat palmaris, ergo & in raritate, ergo, si occupat spatium bipalmare, erit in duobus locis adæquatis.

Resp. dist. maj. In loco commensurato, & adæquato secundum dispositionem eandē, conc. maj. independenter à dispositionibus diversis, neg. maj. & conseq. Nam in densitate locus palmaris erat adæquatus non absolutè, sed secundum illam dispositionem: in raritate verò, locus bipalmaris est similiter adæquatus ob illam dispositionem, & statum, ut diximus de motu tardo, & veloci.

Instabis 2. Quando quantum palmare rarefit ad duos palmos loci, vel partes ejus relinquunt priores partes loci palmaris, ut occupent aliud palmum spatii, vel remanent, & simul occupant utrasque: si relinquant, ergo restat ibi vacuum, & non potest dici propriè, quòd occupent duos palmos spatii:

tii.: si non relinquant, sed simul repleant utrumque palmum, ergo occupant duo loca, & sic; vel illud quantum erat bipalmare, vel ponitur in duobus locis per replicationem.

Resp. 1. Idem objici tàm in successivis pro velocitate, & tarditate motus, & de substantia, quàm contra illos, qui explicant rarefactionem per acquisitionem novæ quantitatis.

Resp. 2. Omnes partes extendi ad totum spatium bipalmare, nec relinquere primum, & neg. conseq. scilicet, quòd propterea singulæ occupent duo loca, sed tantum, quòd occupent duplo majorem locum; Nam quantum in densitate erat palmare, & in raritate erit bipalmare quoad extensionem: quid inde?

Objic. 2. Si absque nova entitate res quanta posset occupare majus, aut minus spatium, nunquam posset cognosci unum corpus esse majus, aut minus alio quoad partes entitativas: sed hoc est absurdum, & contra omnes, ergo & nostra conclusio. Prob. maj. Quia secundum majorem raritatem, aut densitatem variatur extensio invariatis partibus entitativis, ergo, &c.

Resp. 1. idem retorqueri in adversarios. Nam si in raritate admisceatur nova quantitas, ut aer, aut corpuscula extranea, non melius cognoscentur partes substantiæ propriæ cujusque rei.

Resp. 2. neg. maj. & ant. prob. Nam si corpora comparentur ad invicem pensatis hinc inde raritate, & densitate, jam facilè cognoscetur eorũ magnitudo naturalis ex occupatione loci; nam pensatis omnibus, illa erunt majora, quæ in pari raritate occupabunt majus spatium, &c.

QUÆSTIO V.

De temperamento, seu attemperatione Qualitatum.

Temperamentum est *primarum qualitatum symetria, & proportio*, quæ quidem symetria non est qualitas; sicut nec rarefactio, nec condensatio, sed ad qua-

qualitates ordinatur, ideò illi hunc assignamus locum, ubi de his, quæ ad alterationem,& effectus qualitatum in corporibus spectant, agimus.

Temperamentum aliud dicitur *uniforme, seu æquale*, & *ad pondus*, quandò sc. omnes qualitates sunt æquales in gradu, & intensione, v.g. omnes in 4. gradu. Aliud *difforme*, in quo una, vel plures qualitates superant alias in gradu intensionis, & dicitur *ad justitiam*, quatenus tale est, quale debetur rebus, seu quale congruit unicuique. Si una sola qualitas excedit contrariam, dicitur *difforme simplex*: si duæ excedunt duas contrarias, dicitur *difforme compositum*. Simplex est 1. si calor excedit frigus humiditate, & siccitate æqualibus. 2. si frigus excedit calorem. 3. si siccitas sola excedit. 4. si humiditas superat. Idem est de composito: nam 1. si calor, & siccitas excedunt temperamentum, dicitur *igneum*, 2. si calor, & humiditas prædominentur, dicitur *aereum*, 3. si frigus, & humiditas, dicitur *aqueum*, 4. si siccitas, & frigiditas, *terreum*.

In viventibus juxta illas 4. qualitates prædominantes oriuntur 4. complexiones humorum, ex igneo oritur complexio *colerica*, ex aereo *sanguinea*, ex aqueo *flegmatica*, ex terreo *melancholica*, & quamvis idem sit de aliis omnibus mixtis, usus tamen obtinet, ut de solis viventibus dicantur; singula autem habent suam latitudinem juxta plus, aut minus præcellentiæ qualitatum. Quantùm ad temperamentum, *uniforme*, sive *ad pondus* unicum est in sua specie, quia non occurrunt in illo diversæ combinationes, seu attemperationes qualitatum.

Porro de temperamentis compositis nihil video disputatione dignum: plura enim illa esse nemo ambigit; quot vero, an tria, ut quidam asserunt, an octo, ut alii, &c. parvi interest, viderint medici. Quæstio est de uniformi, an detur de facto, an saltem sit possibile?

CONCLUSIO.

P*Ossibile est temperamentum ad pondus, an de facto, detur incertum.*

Prob.

Prob. 1. ex Scoto,[1] quoad utramque partem. Nam supponit illud esse possibile in corporibus humanis post resurrectionem, & inde posse venire incorruptionem eorum ab intrinseco: sed dubitat, an de facto ita sit futurum. *Ex parte agentis tamen intrinseci fortè posset poni, ponendo qualitates illas in corpore redactas ad tantam æqualitatem, ut una non posset esse principium agendi in alteram, &c.* Hoc probat ex Elementis, quæ ideò non se se destruunt in mundo, quia ibi sunt ad æqualitatem. Addit pro secunda parte, *sed quia illa causa fortè supponit falsum, non enim erunt tunc qualitates ita reductæ ad æqualitatem, in tantum, ut nulla possit esse principium agendi in aliam*, ergo Scotus non dubitat de possibilitate, sed de facto.

Prob. 2. quoad 1.p. 1. Quia nulla apparet in hoc repugnantia.

Prob. 3. Possunt mixtibilia alterari ad æqualitatem, ergo & potest dari temperamentum uniforme. Patet conseq. Si enim talis attemperatio sit possibilis, quare non erit possibilis forma substantialis, quæ illam exigat? Prob. ergo ant. Demus mixtum calidum, ut sex, & frigidum, ut duo, misceri cum frigido, ut sex, & calido, ut duo. Calidum poterit in isto remittere duos gradus frigoris, & causare duos caloris, & istud vicissim reagat in calidum eodem modo; tunc utrumque erit calidum, & frigidum, scilicet, ut quatuor: nulla enim ad hoc potest assignari repugnantia, ergo, &c.

Prob. 2. p. Quia in sensu tactus videtur deberi tale temperamentum, & propterea multi censent illud tale fuisse in Christo, & Adamo, ergo probabile est illud dari de facto. Prob. ant. Sensus ille est omnium perfectissimus, & ad illum spectat judicare de qualitatibus tangibilibus secundum excessum, & exuperantiam illarum: sed hoc non posset facere, nisi esset attemperatus ad æqualitatem, ergo ita est. Prob. min. Si manus v.g. esset calida, ut quinque, vel sex non posset judicare de isto excessu in alio corpore: quia non sentit qualitates sibi similes, ergo, &c.

Confirm. De corpore Christi sic discurrit Doctor. [2] *Ille sensus (* Tactus*) erat perfectè perceptivus, quia*

[1] *4.d.49.q.13.B.n.3.* [2] *3.d.15,q.un. H. n.18.*

quia secundum proportionem bonæ dispositionis corporis est dispositio existentiæ tactus, & illud corpus fuit optime complexionatum, sicut anima illius erat perfectissima, certum autem est temperamentum quidem Christi fuisse exquisitum, ut vocant, id est excellentissimum in sua specie, sed potuit ita esse etiam in difformitate, & inæqualitate aliqua, sicut dicebat idem Doctor, id posse dici de corporibus beatorum post resurrectionem, incertum ergo est.

Objic. In omni mixtione datur elementum prædominans, ergo & qualitas, ergo non est possibile temperamentum æquale. Conseq. patet. In illo enim nulla qualitas, nec elementum prædominatur. Prob. ant. Quia actio in mixtis non venit, nisi ex prędominio qualitatis activæ, unde, cùm plura sibi applicata sunt æqualis virtutis, non agunt in se invicem, ergo in omni mixto datur qualitas prædominans, ergo repugnat æqualitas.

Resp. dist. ant. Prędominans in actione, vel passione, conc. ant. Prædominans in pondere, aut mensura, aut numero, neg. ant. utriusque argumenti. Nam, licèt æquales sint qualitates in gradibus (idem est de elementis) possunt esse inæquales in virtute: calor superat potentiam resistitivam frigoris per suam activitatem, & vicissim, & sic possunt agere in se invicem usque ad æqualem attemperationem.

Inst. Duo contraria instrumenta nequeunt æqualiter convenire eidem formæ, ergo neque frigus, & calor, ut quatuor, quia sunt instrumenta formæ. Prob. ant. Quia tunc inter illa non daretur actio, & instrumenta fierent inutilia.

Resp. neg. ant. utrumque. Nam, licèt illæ qualitates æquales possent agere ante obtentam æqualitatem, ut se ad illam reducerent, tamen & post obtentam æqualitatem possunt agere in tertium per actiones medias, & præterea posset forma, maximè anima, inclinare in actionem unius præ alia.

Inst. Ad temperamentum *uniforme* debet esse æqualitas perfecta, sc. tam in virtute activa, & resistitiva, quàm in gradibus intensionis: sed hæc æqualitas est naturaliter impossibilis, ergo & temperamentum

uni-

uniforme. Prob. min. quia calidum ut 4. erit semper activius frigido ut 4. ergo &c.

Resp. neg. maj. id enim non requiritur. Nam in virtute activa, & resistitiva sufficit, ut sit compensatio, quæ consistit in hoc, quòd activiores sunt minus resistitivæ, & è contra, & sic de aliis.

Objic. 2. Si possibile esset hoc temperamentum, maximè in homine, aut aliquo vivente, sed in his non est possibile, ergo in nullo. Major patet. Quia perfectissimo mixto convenit perfectissimum temperamentum. Prob. min. Homo necessariò exigit partes heterogeneas habentes magnā inæqualitatem in qualitatibus, ossa enim petunt siccitatem, cor calorem, cerebrum humiditatem, &c. ergo homo petit inæqualitatem humorum.

Resp. 1. quòd licèt in homine, vel alio vivente esset impossibile, non sequeretur absoluta impossibilitas hujus temperamenti, saltem in homogeneis; Unde neg. maj. & rationem ejus. Nam istud temperamentum non dicitur absolutè, & simpliciter perfectissimum, nisi ratione formarum, & mixtorum, quibus convenire potest.

Resp. 2. neg. min. & conseq. prob. Nam ista æqualitas non attenditur penes diversas partes in particulari, & inter se invicem comparatas, sed in ordine ad totum animal, vel hominem, aut aliud compositum.

QUÆSTIO VI.

De Actione, & Reactione Alterativa, An simile agat in simile, & An omne Agens repatiatur.

JAm diximus de actione in Logica, & Physica, hic examinamus illam, prout terminatur ad qualitatem, & iterum dicemus de illa, prout terminatur ad substantiam, qualis est generativa, & quærimus, an agens aliquod possit assimilare, aut intendere subjectum sibi simile in qualitate v. g. calidum, ut sex causare aliud, ut sex, aut illud intendere, & reddere calidiorem. Non quærimus de assimilatione in substantia, seu in natura specifica, sic enim omnis causa univoca, tàm in generatione, quàm in

Alteratione producit sibi simile. Homo generat hominem, calor causat calorem, & calidum &c. 2. an calidum agens in frigidum repatiatur ab isto, & ab eo minuatur calor ejus, & vicissim, an frigidum repatiatur à calido?

Reactio est actio retributa, qua passum convertitur in agens, & in illud reagit, & idem est de *repassione*, est enim reciproca passio. Ad *Reactionem* (idem est de *repassione*) requiritur 1. ut agens, & passum communicent in materia, quæ sit capax utriusque formæ, & hujus defectu Spiritus nequit repati à corpore, quia non est capax qualitatis, aut formæ corporeæ. 2. ut agens sit applicatum, & proximum; ideò medicus non repatitur à morbo, sed medicamentum 3. ut agens non sit extra sphæram activitatis passi; nihil enim excedit sphæram suæ activitatis. 4. ut utrumque agat per qualitates activas, & contrarias, in hac autem reciproca actione, quod fortius est, dicitur *agens*, & debilius dicitur *patiens*, & reagens, cujus *reactioni* respondet *repassio* in Agente.

Porro *Actio*, & *reactio* fieri potest secundum easdem partes, & secundum easdem contrarietates, aut secundum diversas: v. g. si ferrum calefaciat aquam secundum partes solidas, & secundum easdem frigefiat ab aqua, est *actio*, & *reactio* secundum easdem partes, & contrarietates; sed si ferrum agat secundum partes solidas, & aqua non reagat, nisi evaporando partes igneas in poris ferri, aut tantum humectando ferrum, erit *reactio* secundum diversas partes, & contrarietates.

CONCLUSIO I.

Agens æquivocum potest agere in simile, non autem univocum.

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] qui sic videtur proponere quæstionem, & resolvere in quadam additione, quam Canellus, Lichetus, & Poncius omittunt in suis commentariis, sed refert, & allegat Mastrius [2] hic; *ad dubium, an ita sit in calore, quòd calor remissior adveniens intendit intensiorem inventum in passo?* videtur,

[1] 1.d.17.q.3.RR. [2] *Mast. de Gener. Disp.* 2. n. 4.

detur, quòd *non sicut hic* (scilicet non accidit sicut in habitibus, qui intenduntur per actus remissiores) *potest dici, quòd agens univocum non intendit intensiorem formam suam inventam in passo, sed è converso. Agens æquivocum intendit, quia natum est agere in hoc, & sua forma est nobilior gradu effectus æquivoci*, &c. ergo ex Scoto agens æquivocum potest agere in simile, imo & in passum intensius, non autem univocum.

Porrò *agens univocum*, ut dictum est aliàs, est illud, cujus terminus productus est ejusdem rationis cum forma, per quam agit, ut cum calor producit calorem, & tunc inter agens, & passum intercedit formalis similitudo. *Æquivocum* verò est, cujus terminus productus est diversæ rationis à forma, per quam agit, ut piper, aut vinum est causa æquivoca caloris, quem producit in stomacho, ita est de sole, Astris &c. Et hæc agentia non continent, nisi virtualiter qualitates, & effectus, nec assimilant sibi passum, nisi virtualiter.

Prob. 1. *pars* experientia de gravi, ut sex, cui si addas grave, ut unum, intendetur gravitas ejus, & ponderabit, ut septem, sic de duobus trahentibus navem, aut ferentibus pondus, duo enim virtutis ut tria trahent navem, aut ferent pondus, ut sex: sic de duabus candelis, quæ magis aerem illuminabunt, quàm una.

Prob. 2. *pars* 1. ex eodem Scoto post Augustinum. *Omni enim modo præstantior est res, quæ facit, illa, de qua facit*, seu agens est præstantius passo. Illa autem propositio Augustini pendet ex ista; quòd *agens præstantius est termino formali actionis*, &c. Denique effectus non potest excedere in perfectione causam suam, sed, si calidum, ut sex posset augere calidum aliud simile ut sex, effectus excederet causam suam; ergo illud simile in gradu, & qualitate non agit in simile. Prob. min. Istud passum fieret calidum ut septem, vel octo, vel 12. & agens remaneret calidum ut sex, aut forte ut 4. quia debilitaretur per actionem; ergo &c.

Prob. 2. Finis agentis est assimilare sibi passum, ergo ille finis cessat, quando invenit passum jam sibi simile.

Prob. 3. Unumquodque agit, pro ut est in actu, & recipit, pro ut est in potentia, sed datis duobus calidis, ut sex; neutrum est in potentia recipiendi, vel actu producendi respective ulteriorem calorem; ergo neutrum potest agere, aut pati. Prob. min. Utrumque habet eandem qualitatem, ergo neutrum potest eam recipere, aut producere.

Confir. Quia actio agentis in passum est quædam victoria illius in istud; sed non potest vincere sibi simile, ergo nec agere.

Prob. denique experientia, & quidem efficacius; Nam forte illæ rationes suas patiuntur replicas, nam, si aquam calidam, aut frigidam, ut sex, alteri calidæ, aut frigidæ, ut sex, immittas, tota simul non fiet calidior intensive, quàm seorsim, idem est de duobus ignibus quoad calorem intensivum.

Et confir. ex absurdis. 1. Quia, si sint duo calida, ut sex, non est potior ratio, cur unum agat, quàm aliud, aut ad invicem agerent actione ejusdem rationis, & sic aqua calida, ut quatuor, se etiam posset calefacere, ut octo, una parte aliam calefaciente, & sic ageret in se ipsam actione univoca, quod falsum est ex dictis in Physica.

Objic. 1. Agens æquivocum potest agere in simile; ergo & univocum. Prob. conseq. Non est major ratio de illo, quàm de isto, imo istud est perfectius, quia continet formaliter qualitatem intensibilem, quam æquivocum non continet nisi virtualiter, ergo &c.

Resp. neg. conseq. & ant. prob. & ratio disparitatis est, quia, ut dicebamus, ex Scoto, æquivocum agit per formam suam substantialem, quæ est perfectior qualitate, quam causat, v. g. sol causat calorem per formam suam, calidum verò per suum calorem, qui est ejusdem omnino rationis cum alio calore.

Objic. 2. experientias. 1. De duabus phialis vitreis prorsus similibus in duritie, densitate, &c. quæ si collidantur, vel ambo, vel una illarum frangitur. 2. Sint duo ligna calida, ut quatuor, si ad invicem confricentur, ambo calidiora fiunt. 3. Duo alba æqualia sibi invicem opposita clariora apparent. 4. Idem est de duobus speculis; 5. Per lumen unius candelæ intenditur lumen alterius. 6. Carbones, & manus unitæ confoventur, separatæ extinguuntur. 7. Grana

na frumenti, nisi ventilentur, incalescunt, &c. ergo simile agit in simile.

Respondeo neg. conseq. Id enim minimè probatur per illas experientias. 1. Una phiala franget alteram per duritiem cum impulsu, illa ergo fractio erit ex motu, qui est causa æquivoca fractionis. 2. Idem est de lignis, ille enim novus calor erit ex motu, non à calore prævio, motus autem lignorum, sicut & impulsus phialarum est causa æquivoca caloris. 3. Idem est de duobus parietibus, major enim claritas erit ab aere, & lumine refracto. 4. cum unum speculum imprimit eandem imaginem in alio, non agit in simile, sed in dissimile: 5. lumen est species lucis, & non intenditur in eadem parte spatii, sed extensivè fit major, quamvis difficile sit discernere partes, in quibus fit extensivè major, non intensivè. 6. Carbones confoventur, dum excludunt per unionem agentia extrinseca contraria, idem est de manibus, quæ præterea calidiores evadunt à corde.

Igitur certum est duo similia in qualitate, & gradu non posse agere in se invicem, producendo in se invicem novum calorem.

CONCLUSIO II

IN motu alterationis, si assignatæ conditiones adsint, datur reactio, & repassio secundum easdem partes, & contrarietates. Est communis.

Prob. 1. *ex Scoto*. [1] *Omne agens naturale patitur in agendo, vel in recipiendo debilitatur virtus ejus*, &c. Et idem docet multis in locis post Philosophum.

Prob. 2. experientia. Nam 1. aqua frigida injecta in calidam ipsam refrigerat, & ab ea calefit. 2. Sic ferrum candens in aquam frigidam injectum. 3. De manu calida tangente frigidam. 4. Glacies contrectata manu calida liquefit, & manus ab ea frigefit, &c.

Prob. 3. Quia aliter non posset fieri mixtio, ad illam enim debent elementa, & eorum qualitates attemperari, sed hoc non potest fieri nisi per mutuam actionem, & passionem; ergo datur reactio, & repassio.

[1] *Report. in 4. d. 44. q. 1. n. 9.*

Prob. 4. Unumquodque agit, secundum quod est in actu, & patitur, secundum quod est in potentia; sed ignis v. g. (idem est de aliis agentibus sublunaribus) agens in aquam per calorem, secundum quem est in actu, est etiam in potentia ad frigiditatem; ergo sic calefacit aquam, ut ab ea frigefiat, & sic omne agens agendo repatitur.

Objic. 1. si daretur *reactio* secundum eandem partem, & contrarietatem, idem moveretur motibus contrariis; sed hoc repugnat, ergo & reactio. Prob. maj. aer, qui est inter ignem, & aquam, calefit ab igne, & frigefit ab aqua, sed motus calefactionis, & frigefactionis sunt contrarii; ergo si detur actio, & repassio, idem movetur motibus contrariis, idem est de parte ignis propinquiori aquæ, & vicissim.

Resp. dist. maj. idem movetur motibus contrariis, secundum diversas partes sui, & in gradibus remissis, conc. maj. utramque, & neg. min. secundum eandem, & gradibus intensis neg. maj. & conseq. Nam pars aeris vicinior igni ab eo calefit, & pars vicinior aquæ frigefit, & postquam illa incaluerit, & ista friguerit, agent, & reagent in se invicem cum igne, & aqua, ita ut pars vicina aquæ, & ipsa aqua agant per modum unius in aliam partem vicinam igni, & ipsum ignem, & vicissim; Præterea non repugnat, eidem rei subesse qualitatibus contrariis, & ad eas moveri in gradibus remissis, & hæc solutio clarior, & melior est.

Inst. Pars ipsius ignis propinquior aquæ patitur ab aqua, & simul ab alia sui parte remotiori, & quæ non patitur ab aqua, cùm sit fortè extra sphæram ejus, ergo illa eadem pars propinquior moveretur motibus contrariis.

Respondeo 1. dist. ant. patitur ab aqua, & alia comparte diversis instantibus, & secundum gradus remissos conc. ant. eodem instanti, & secundum intensos incompossibiles nego ant. & conseq. Nam pars propinquior aquæ non potest pati à sua comparte, antequam passa sit ab aqua, & ab ea frigus susceperit, quia ante istud instans non est dissimilis, nec contraria illi, nec per consequens in statu patiendi ab illa, ergo quamvis illi motus essent incompatibiles ratio-

ne

ne qualitatum frigoris, & caloris, adhuc eadem pars non moveretur simul illis motibus, sed neutrum accedere potest.

Objicies, sequeretur, quòd agens numquam posset sibi perfectè assimilare passum, sed conseq. est falsum, ergo & falsum est dari semper reactionem. Prob. seq. Agens agendo semper amitteret aliquid de suo, & debilitaretur per reactionem passi; ergo numquam posset perfectè sibi assimilare passum in gradu, quem habet, dum agit.

Resp. 1. neg. sequelam, quia licèt in agendo repateretur & debilitaretur, tamen parta victoria recuperaret vires, & tunc perficeret in passo, quod incepisset, recuperabit autem virtute propriæ formæ.

Resp 2. neg. min. id enim non est contra intentionem naturæ, quòd in generatione mixtorum attemperentur, & minuantur agentium qualitates pro tempore, quo agunt.

QUÆSTIO VII.

De Intensione qualitatis per Antiperistasim, & Reflexionem.

Antiperistasis nomen significat hic circum obsistentiam fortioris, quod impedit, ne debilius diffundat propriam actionem; sed cogit illud ad colligendas in se vires suas. Unde fit, ut in se ipso magis roboretur, & intensius evadat, sic in æstate calor solis, & aeris obsidet frigus, & recludit illud in puteos, & viscera terræ, & è contra, in hyeme idem agit frigus in calorem, inde accidit, quòd fontes sint frigidiores in æstate, & calidiores in hyeme.

Reflexio verò est retrocessio actionis, aut motus in eadem parte medii, in qua agens prius egit actione directa, & hoc accidit propter adveniens obstaculum intra sphæram activitatis ejus; v. g. projicis pilam in parietem, retrocedit in idem medium, per quod ierat, & id propter obsistentiam parietis. Hæc autem *retrocessio* fit 1. rectè, si linea incidentiæ est perpendicularis, ita ut causet duos angulos rectos cum obstaculo, uno verbo si redeat actio, seu mobile per eandem lineam, per quam exiit ab agente, seu mo-

tore, vel 2. obliquè, si linea incidentiæ causet angulum acutum ex parte agentis cum obstaculo, quia tunc reflexio fiet per lineam obliquam ex parte opposita, faciendo alium angulum ex alia parte, & quocumque modo fiat, dicitur *retrocessio actionis*.

2. Dicitur, *in eadem parte medii*, sive agens agat actione recta, vel obliqua, modo reflectatur per easdem partes medii, per quas actio diffusa est. 3. *propter adveniens obstaculum*, quodcumq; illud sit, modo sit capax reflexionis illius qualitatis, non enim quodlibet obstaculum est reflexivum cujuslibet rei, v. g. nigrum non est reflexivum luminis, sicut album, nec asperum est reflexivum speciei, sicut tersum, unde, quò magis corpus obsistens est susceptivum qualitatis, eò magis est reflexivum. 4. *intra sphæram agentis*, quia, si esset extra illam, jam virtus agentis esset exhausta, & sic non fieret reflexio.

His suppositis quærimus, an qualitates intendantur per Antiperistasim, & per reflexionem

CONCLUSIO.

Est *affirmativa quoad utramque partem quæsiti.* Ita communiter.

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] saltem quoad reflexionem; docet enim, quòd *radius reflectitur, quando occurrit opacum, antequam terminetur virtus activa luminosi, & tunc diffunditur in partem oppositam*, &c. Et quod [2] *in reflexione luminis, primum luminosum immediatè in ratione causæ multiplicat radium reflexum, & ratio est, quia agens naturale, ex quo agit secundum ultimum suæ potentiæ, quando impeditur agere secundum illam lineam, quæ est maxime conveniens actioni naturali, puta rectam, quæ est brevissima, agit secundum eam, secundum quam potest, scilicet secundum lineam reflexam.*

Prob. 2. de Antiperistasi experientia. 1. de aquis, & de aere in locis subterraneis, in quibus frigidiora sunt in æstate propter calorem obsistentem ab extra, & calidiora in hyeme; propter frigus circumstans. 2. ex Hypocrate, venter animalium in æstate frigidior est, & in hyeme calidior. 3. modica aqua in ignem, vel calcem injc-

[1] 2.d.13.D n.5. [2] 4.d.1.q.9.D.n.5.

injecta, est causa majoris accensionis, &c. Sed hæc non possunt venire aliunde, quàm ab Antiperistasi, ergo qualitas intenditur per illam.

Prob. iterum de Reflexione ratione allata ex Doctore; Agens nuturale, cujus virtus non est exhausta, agit, quantum potest, in passum potens recipere effectum ejus; sed, cùm intra sphæram agentis occurrit obstaculum, non exhauritur virtus ejus activa, & medium est capax intensionis qualitatis, v. g. luminis; ergo in medio producit per reflexionem qualitatem, quam produxisset in longum, & rectum, nisi impediretur.

Prob. etiam experientiis familiaribus, de lumine, calore, Echo, speciebus visibilibus in speculo, &c. Ignis intensiorem calorem producit in exiguo cubiculo, quàm in ampliori, & in fornace inclusus, quàm in aperto aere, & hæc non possunt aliunde venire, quàm ex reflexione; ergo qualitas intenditur in eodem subjecto per reflexionem.

Objic. contra 1. partem. Unum contrarium producit sibi simile, non autem aliud contrarium: ergo calor æstatis v. g. non est causa intensioris frigoris aquæ in puteis, nec frigus hyemis potest causare calorem in eadem ibidem; ergo Antiperistasis non est causa intensionis qualitatum. Prob. ant. si calor v. g. causaret illud frigus contrarium sibi, esset causa productiva, & destructiva ejusdem, & sui ipsius, sed hoc est absurdum, & implicans; ergo &c.

Resp. dist. ant. Causa efficiens directè, & per se, conc. ant. & maj. prob. Causa per accidens, & indirecta, neg. ant. & maj. prob. Calor igitur circumstans est causa, cur frigus retrahat, & colligat se in puteos, & Antra Terræ sive quia expellens illud, donec posset destruere, impedit, ne diffundatur. Proprium enim contrariorum est à se invicem refugere ex naturali propensione ad propriam conservationem, & è contra similia facillimè congregantur, unde videmus aquam in pulverem siccum projectam se se in globulos colligere.

Hinc accipe ratione Antiperistasis: Nam aqua frigescit in ęstate, quia calor obsidēs attrahit ad se vapores, aut exhalationes calidas, quę in illa erāt, & impedit abscessum, & sic fit frigidior negative, & effusionem

exhalationum frigidarum, & connaturalium aquæ, per quam intenditur frigus nativum, tàm per emanationem propriæ qualitatis ab ipsa forma aquæ, quàm per actionem æquivocam earumdem exhalationum, quæ frigidissimæ sunt, & expirare non possunt propter præsentiam contrarii caloris ab extra, in hyeme autem calor ille aquæ est innaturalis, & non venit per se ex forma aquæ, ut frigus, sed venit ab aliis duabus causis scilicet ex eo, quòd exhalationes ejus frigidæ attrahantur ab aere frigido, & calidæ ibidem permixtæ colliguntur, & magis unitæ ob metum circumstantis frigoris. Ita de aliis qualitatibus ratiocinandum proportione servata; hinc

Distinguendum inter qualitates *naturales* subjecti, ut frigus in aqua, & calor in aere, & *innaturales*, ut calor in aqua, & frigus in aere; *naturales* in Antiperistasi intenduntur per illas tres causas. 1. per expirationem exhalationum similium qualitari circumstanti. 2. per collectionem, & quasi reflexionem exhalationum, quæ remanent: verbi gratia, frigidarum in aqua æstiva, & 3. per emanationem qualitatis naturalis à forma propria subjecti. *Innaturales* verò intenduntur solum per duas illas priores causas.

Objic. contra 2. partem. Si qualitas intenderetur per reflexionem, intensio fieret in medio usque ad octavum gradum, sed falsum, & absurdum consequens; ergo & ant. prob. maj. si ignis actione recta produceret calorem ut sex in parte proxima obstaculi reflectentis, cum posset producere ultra illud, ut quinque, calor reflexus in illa parte esset ad minus, ut quatuor, aut quinque, ergo illa pars fieret calida, ut 10. vel 11. ergo intenderetur ultra octavum.

Resp. neg. maj. & ant. prob. Quia non potest qualitas intendi ultra summum id est 8. Ignis ipse non est calidior, & simile non agit in simile. Certum est autem calorem intendi usque ad 8. ita ut generetur ignis, ipse non est calidior, & simile non agit in simile. Certum est autem calorem intendi usque ad 8. ita ut generetur ignis, ut patet de reflexione, quæ fit per speculum concavum, aut perspicilla, sed id non semper, nec in omnibus qualitatibus accidit propter resistentiam contrariorum, & quia aliæ non sunt adeo activæ.

Obji-

Objicies 2. sequeretur ipsummet agens, v.g. luminosum, aut calidum debere intendi per qualitatem reflexam; sed hoc est falsum, ergo &c. min. patet. Alioqui enim simile ageret in simile, & idem ageret in se ipsum. Prob. maj. posset agens esse intra spatium reflexionis, ut fit, quando pila reflectitur in projicientem; ergo tunc per lumen, aut calorem reflexum intenderetur lumen luminosi, & calor calidi.

Resp.neg.maj. & conseq.prob. Quia simile non potest agere in simile actione univoca, & facit pro calido, cur non intendatur per calorem reflexum, benè verò medium, idem est de lumine, licèt lumen sit potius species lucis, & species, quasi intentionalis.

Quæres 1. *Cur exhalationes innaturales; v.g. calidæ, in aqua, in hyeme prævaleant naturalibus ad eam calefaciendam in Antiperistasi?*

Resp. rationem esse 1. quia *naturales* tunc faciliùs transpirant per attractionem similium, quæ circumstant. v. g. frigoris hyemalis. 2. quia istæ innaturales sunt abundantiores tunc temporis.

Quæres 2. *Cur intensio per Antiperistasim fiat in locis reconditis, & remotis ab agente circumstante? nam aqua propinquior aeri frigido, & minus profunda non ita incalescit, sed in superficie congelatur.*

Resp. Quia in partibus propinquioribus agens fortius expellit contrarium, & ibidem producit qualitates suas; v. g. frigus aeris in hyeme agit fortius in superficie terræ, & aquæ; ab eis longius expellit calidas exhalationes, & ibidem producit frigus suum.

Quæres 3. *Quænam sit causa principalis reflexionis qualitatum.*

Resp.ex dictis in Physica de motu reflexionis, & ex Scoto mox citato, aliam causam non posse rationabilius assignari, quàm ipsum agens productivum qualitatis per actionem directam, nec placet hic rationes ibi adductas repetere.

DISPUTATIO V.

De Generatione, & Corruptione substantiali.

Alterationes, de quibus disputavimus, sunt ut plurimùm adminicula, & dispositiones præviæ ad corruptionem subjecti, in quo fiunt, & generationem substantialem, ad quam tendunt, de illis ergo tandem agendum est.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit generatio substantialis.

Nomen *generationis* latè significat productionem cujuscumque rei, & præcipuè materialis ex præsupposito subjecto, & sic extenditur ad productionem accidentium materialium æque, ac substantiarum, sed productio accidentis; dicitur *generatio secundum quid*, quia accidens non est ens, nisi secundum quid. Productio verò substantiæ dicitur *generatio simpliciter*, sicut substantia est ens simpliciter. Propriè igitur significat *productionem compositi substantialis, seu formæ substantialis, ex præsupposito subjecto*, & quærimus, an talis detur in natura, & quid illa sit.

CONCLUSIO I.

D*atur vera generatio substantialis*. Ita Peripatetici omnes contra quosdam antiquos, & nuperos, qui omnia putant fieri ex variata atomorum, vel elementorum unione, & ex eorum dissolutione interire.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd primus terminus generationis, *est hoc aliquid per se subsistens, & secundum Philosophum est cōpositum, quod primò generatur, & ad quod primò terminatur generatio, sed formalis terminus productionis est illud, in quo productū assimilatur producenti.* Itē ex Philosopho [2] docēte, quòd *quando substātia generatur, necesse est sēper preexistere aliam substantiam existentem, quæ facit, id est, generat substantiam*, &c. ergo ex Scoto dantur veræ generationes

[1] *collat. 37. n. 2.* [2] *met. c. 10. n. 73.*

nerationes, quibus aliqua composita de novo producuntur ex præsupposito subjecto, & idem ubique supponit.

Prob.2. ex dictis in Physica de forma substantiali. Nam dantur formæ substantiales de novo productæ in materia, quæ ingenerabilis est, & incorruptibilis, ergo & veræ generationes.

Prob.3. Appetitus naturalis terminatur ad possibile, aliàs frustra daretur à natura, cùm non posset obtineri, quod appetitur, sed vivens appetit generare sibi simile, ergo generatio debet esse possibilis, &c.

Objic.1. Ex nihilo nihil fit, sed illa generatio esset ex nihilo, ergo est impossibilis in natura, maj. ab omnibus recipitur. Prob.min. fieret substantia ex non substantia, ergo fieret ens ex nihilo, prob. conf. quod fit ens simpliciter ex non ente simpliciter, fit ex nihilo, sed substantia est ens simpliciter, & fieret ex non substantia, ergo fieret ex nihilo.

Resp. neg.1. min. absolutè, & conseq. prob. & dist. maj. ultimi argumenti. Si ens simpliciter significet esse primum, quod excludat omne ens aliud præsuppositum, conc. maj. & neg. min. Si non excludat neg. maj. & conseq. Forma enim, quæ est terminus formalis generationis, & compositum, quod est terminus primarius, & totalis, sunt substantiæ, & entia simpliciter, pro ut substantia opponitur accidenti, quod est entis ens, nec potest per se existere, sed forma præsupponit materiam, ex cujus potentia ducitur, & totum præsupponit eandem velut partem sui, ex qua componitur.

Objicies 2. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas talium generationum, quibus novæ substantiæ generentur, ergo non dantur generationes illæ. Prob. min. ex atomorum, vel elementorum varia mixtione sufficienter fiunt nova omnia mixta, ergo nulla est necessitas novarum substantiarum genitarum. Prob. ant. sicut ex litteris syllabæ, ex syllabis voces, ex vocibus periodi, ex periodis orationes innumeræ conflantur, variè transpositis, & dispositis litteris, sic ex variis particulis elementorum, illorumque variis concretionibus innumeræ mixtorum species consurgunt, ergo, &c.

Resp. neg. min.1. argumenti, & ant.2. & 3. & Ratio dis-

disparitatis est, quia genita illa mixta differunt essentialiter. Corpus Christi differt essentialiter à Leonino, Equino, &c. & in Sacramento altaris differt à pane, cujus forma, & substantia illi cedit. Hoc non esset verum, nisi mixta omnia differrent, & essent aliquid præter diversam, & accidentalem illam elementorum, & atomorum mixturam. Sicut domus prophana non differt entitativè, & naturaliter à templo materiali, nisi penes diversam structuram, & dispositionem lapidum, nec utrumque differt ab acervo. Vide, quæ diximus in Physicis de forma substantiali, & de atomis.

CONCLUSIO II.

Generatio sufficienter describitur, productio compositi substantialis ex præsupposito subjecto. In re debet esse communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quòd *in generatione in creatis* (de hac loquimur) *concurrunt duæ rationes, scilicet, quod ipsa est mutatio, & quod est productio. Ut est mutatio, est forma mutati subjecti, & ut est productio, est termini producti ut via*, ergo censet generationem esse productionem compositi substantialis ex præsupposito subjecto, quæque est mutatio, quando subjectum præcedit, vel productio, quando compositum simpliciter producitur per illam.

Prob. 2. Quia rectè explicat naturam illius motus, seu actionis, & distinguit illam ab omnibus aliis, nam dicitur 1. *actio productiva*, loco generis, quia per id generatio convenit cum aliis productionibus tàm accidentium, quàm entium spiritualium, etiam cum creatione, sed differt à conversione, in qua nihil producitur, imo & à mutatione, quæ præcisè importat solummodo transitum subjecti communis ab una forma ad aliam, sive producatur, sive non. 2. *Compositi substantialis*, & sic differt ab alteratione, qua producitur qualitas, & augmentatione, qua producitur quantitas, & compositum accidentale. 3. *Ex præsupposito subjecto*, & sic distinguitur à creatione, quæ est productio independens à subjecto, ita ut forma, quæ producitur, ut terminus formalis actionis generativæ non educatur de potentia subjecti, ut pa-

tet

tet ex dictis de creatione, *nam creatio est productio, quæ excludit omnem aliam causalitatem, & causæ materialis, & seminalis, & efficientis creati*. Inquit Doctor. [1] Unde sicut *ad creationem requiritur, quòd nihil præcesserit necessariò requisitum ad esse suum*, ideo, si quid tale præcesserit, non solùm tempore, sed etiam prioritate naturæ, non erit creatio, sed generatio.

CONCLUSIO III.

Non omnis generatio est propriè mutatio, nec conversio.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] in præcedenti: dicit enim, quòd *istæ rationes* (productionis, & mutationis) *non includunt se essentialiter etiam in creaturis, diversa enim respiciunt primo, ergo sine contradictione potest intelligi ratio productionis, sine ratione mutationis*, ergo ex Scoto non omnis generatio est mutatio.

Prob. 2. ex eodem, [3] mutatio requirit, *quòd aliquid insit alicui, cui priùs infuit oppositum*, scilicet, ut subjectum fuerit prius sub alia forma, aut saltem sub privatione, aut negatione formæ, quæ est terminus ad quem, & formalis motus, qui dicitur mutatio, sed hoc non est necessarium ad generationem, ergo non omnis generatio est propriè mutatio, prob. min. 1. quia productio verbi in divinis dicitur vera generatio, & tamen non est, immò implicat, ut sit mutatio. 2. quia, si forma ligni produceretur eodem instanti temporis, cum materia ejus, & totum compositum simul, nulla fieret mutatio in illa materia, & tamen productio illa formæ totius compositi esset generatio respectu ejusdem formæ, & compositi, quia illa forma posset esse producta cum dependentia, & influxu materiali subjecti, & hoc sufficit ad conceptum generationis, prout opponitur creationi, (ex Scoto) ergo ad generationem non requiritur essentialiter, ut subjectum fuerit prius sub alia forma.

Confir. ex mysterio Eucharistiæ: Nam, si species sacramentales corrumpantur, & ex eis generentur vermes, subjectum ibi non mutatur, cùm non præcedat tempore illam generationem, ergo, &c.

Dixi

[1] 2.*d* 18.*q.un.A.n*.4. [2] 3.*d*.2 *q*.7.*K.n*.11. [3] *ibid.*

Dixi autem, *propriè mutatio*, nam in omni generatione sicse habet subjectum, quod præsupponitur formæ, & per consequens sub privatione ejus. Unde hoc sensu mutatio dici posset de essentia generationis, quatenus essentialiter præsupponit subjectum, saltem natura prius, quàm formam, quæ ex illo educitur, & in illud inducitur. Sed de hoc jam diximus in Physica, ubi de privatione.

Sic facilè conciliantur definitiones generationis, quas tradit Aristoteles, quales sunt istæ. *Generatio est via ad naturam.* 2. Est *mutatio de non subjecto ad subjectum*. 3. Est *mutatio ex non ente ad ens*. 4. Est *mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ut subjecto eodem*. 5. Est *mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu*: nam explicat generationem, pro ut est mutatio, quales sunt ferè omnes generationes naturales. In illis omnibus præcedit subjectum sub aliis formis, & ut notant interpretes, non intendebat in his exactè definire generationem, sed tantum aliquas notiones dare, & conditiones assignare, prout petebat occasio.

Objic. Tria sunt principia generationis, *materia*, *forma*, & *privatio*, ergo in omni generatione subjectum præcedit sub privatione formæ genitæ, ergo omnis generatio est mutatio.

Resp. dist. conf. præcedit natura, & aliquo instanti præsuppositionis, conc. conf. præcedit tẽpore, seu duratione neg. conseq. utramque. Nam ad veram mutationem debet esse transitus realis a b una forma ad aliam, aut saltem à privatione ad formam, & hic transitus non semper accidit realiter.

Prob. 2. pars de conversione. Nam ex Scoto, [1] conversio omnis propria, & totalis *est mutatio, per quam potentiale* (seu subjectum, seu materia) *recipit actum, quo prius caruit*, &c. Sed non omnis generatio est talis mutatio, ergo nec conversio in eo sensu. Conversio, ex Scoto, est inter terminos positivos, quorum unus desinit esse, & alter illi succedit ex vi desitionis illius, hoc autem non accidit essentialiter, & necessariò in generatione substantiali, ut in casibus, & exemplis allatis, ergo, &c.

Tamen, ut diximus de mutatione, de facto generatio-

[1] 4. *dist*. 11. *q*. 3. *L*. *n*. 22.

tiones omnes, quæ fiunt naturaliter, tales sunt, ut una forma, vel compositum semper succedat alteri, quod desinit, & ex vi desitionis illius, & sic omnes generationes de facto sunt mutationes, & conversiones, licèt hoc non sit de conceptu formali generationis.

CONCLUSIO IV.

C*Orruptio, pro ut opponitur generationi productivæ sufficienter describitur transitus totius substantialis in non totum manente subjecto*. In his non est ulla difficultas specialis, suppositis iis, quæ diximus de generatione, nam *oppositorum eadem est disciplina*, Dicitur 1. *Transitus*, seu *mutatio*, & ponitur loco generis, & per id convenit cum generatione, qua fit transitus à toto, vel non toto substantiali ad totum. 2. *Manente subjecto*, sic distinguitur ab annihilatione, quæ totum destruit, & postquam nihil remanet subjecti, sicut nec formæ. 3. *Substantialis* sic distinguitur ab alteratione, in qua per unam qualitatem expellitur contraria.

CONCLUSIO V.

G*Eneratio, & corruptio sunt duæ mutationes distinctè oppositæ*. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quando *unum generatur, & alind corrumpitur, tunc concurrunt ibi communiter duæ mutationes, & 4. termini, scilicet duæ formæ, & duæ privationes*. Idem docet alibi sæpè.

Prob. 2. Quia motus, & actiones distinguuntur penes terminos, sed generatio, & corruptio habent terminos oppositos, ergo & ipsæ sunt oppositæ. Prob. min. Generatio est à non forma, seu à privatione ad formam, scilicet privatio est terminus *à quo*, & forma terminus *ad quem*, corruptio est à forma, ut à termino *à quo*, ad non formam, ut terminum *ad quem*, ergo habent terminos oppositos.

Prob. 3. Quia generatio potest esse sine corruptione, & hæc sine illa, ergo sunt mutationes distinctæ. Prob. ant. Deus posset creare materiam primam, ex qua educeret formam, & posset cessare à conservatione formæ conservando materiam sine ulla forma.

Obji-

[1] 1. *d*. 27. *q*. 3. *C*. *n*. 8.

Objicies 1. Tàm generatio, quàm corruptio habent eandem definitionem, ergo non distinguuntur. Prob. ant. Utraque est *mutatio totius in totum nullo sensibili remanente*, sic enim definit utramque Aristoteles, ergo habent eandem definitionem.

Resp. neg. 1. ant. & dist. 2. Utraque est *mutatio totius in totum*, diverso sensu, & ad diversos terminos, conc. ant. eodem sensu, & terminis neg. ant. & conseq. Nam generatio est mutatio à toto negativè, sive potius à non toto ad totum positivè, & corruptio à toto positivè ad non totum, seu totum negativè, hæc valdè diversa sunt.

Objicies 2. Ab uno, & eodem agente, per unam, & eandem actionem non provenit, nisi unum, sed generatio, & corruptio sunt ab uno agente, & per unam actionem, ergo sunt unũ. Prob. min. Idem ignis mutat aquam in aerem eadem actione, sed illa actio est corruptio aquæ, & generatio aeris, ergo generatio, & corruptio sunt ab uno, & per unam actionem.

Resp. neg. maj. ablolutè, vel dist. Si effectus sint æquè primarii, & per se intenti, conc. maj. sin minus, neg. maj. Generatio autem per se primò intenditur ab agente naturali; Corruptio verò non nisi secundariò, & per accidens, unde ista propositio *generatio unius est corruptio alterius*, non est vera per se ex intensione agentis naturalis. Accidit enim, quòd generans corrumpat propter incompossibilitatem termini corrumpendi cum termino, quem intendit, inquit Scotus.

CONCLUSIO VI.

Corruptio non fit per actionem distinctam à generativa.

Prob. 1. ex Scoto [2] jam jam citato, ibi enim docet corruptionem non intendi per se, sed tantum causari secundariò. *Nullum agens naturale per se intendit corrumpere aliquid, sed per accidens corrumpit illud, quod est incompossibile generato, quod per se intendit*, ergo ad corruptionem non datur per se actio directa, & immediata, quæ sit destructiva formæ corruptæ, sed unica, quæ term natur ad formam genitam, quæ cùm

[1] *Scotus* 4.*d*.1.*q*.2.*BB*.
[2] 2.*d*.1.*q*.3.*L*.*n*.21.

cùm sit incompossibilis cum alia, inde fit, ut ista corrumpatur per desitionem essendi.

Prob. 2. Quia actio corruptiva terminaretur ad non ens, scilicet ad non esse formæ corruptæ: ergo non esset realis.

Prob 3. Quia unica sufficit, ergo non sunt ponendæ duæ. Prob. ant. hoc enim ipso, quòd cessat conservatio formæ, hæc desint, & corrumpitur, sed ad hanc cessationem non est necessaria actio positiva distincta, ergo una sufficit.

Objicies. Generatio, & corruptio possunt separari, ergo sunt actiones distinctæ. Prob. ant. ex conclusione præcedenti.

Resp. dist. ant. quatenus potest generari compositum absque corruptione præcedentis, & potest esse divinitùs corruptio sine nova generatione, conc. ant. quatenus ordinariè, & quando hæ duæ mutationes sibi succedunt, neg. ant. Igitur, si compositum generetur absque corruptione præcedentis formæ, aut compositi, illa actio erit entitativè eadem, quæ esset, si corrumperetur aliud, sed non habebit denominationem actionis corruptivæ, & ita est de corruptione, sed ista non erit propriè actio positiva terminata ad non esse rei corruptæ, sed pura negatio conservationis.

Objicies 2. Generatio, & corruptio habent diversos terminos, ergo sunt diversæ actiones: patet ant. ex conclusione præcedenti. Prob. conseq. etiam ex dictis ibidem. Nam fatemur diversitatem terminorum arguere diversitatem actionum.

Resp. neg. conseq. & dist. ant. prob. Si termini sint æquè capaces actionis, & unica non sufficiat, conc. ant. si non sint capaces actionis, & una sufficiat, neg. ant. Corruptionis terminus ad quem est non esse rei, negatio autem non est capax actionis, unde unica sufficit, scilicet generativa, per quam inducitur forma positiva, quæ cùm sit incompatibilis cum præcedenti, consequenter hæc desinit per desitionem conservationis.

Dico, *consequenter*, & *quatenus vetus desinit conservari*, non enim prætendimus actionem generativam per se effectivè, & positivè extendi ad destructionem formæ antiquæ, sed secundariò, & per accidens, &

& indirectè, quatenus producendo novam, quæ illi est incompossibilis, naturaliter exigit antiquæ desitionem.

Quæres. 1. *An corruptio sit naturalis.*

Resp. esse absolutè naturalem, aliquo tamen sensu violentam.

Prob. tota resolutio ex Scoto.[1] Nō est violenta absolutè, ergo est naturalis absolutè. Prob. ant. *illud est simpliciter violentum, quod opponitur simpliciter naturali, & magis violentum, quod opponitur magis naturali, & minus, quod minus naturali. Exemplum, aquam esse sursum, ut salvetur plenum in universo, & vitetur vacuum, non est simpliciter violentum, imo, si tunc descenderet relicto vacuo superius, ille descensus esset simpliciter violentus, & secundum quid naturalis, quia natura totius universi magis est principium naturalitatis, quàm natura ista particularis; & magis naturale est, quod tali toti convenit, quàm quod propriæ huic parti.*

Ex his principiis clarè deducitur corruptionem, quæ accidit ex generationibus in natura, non esse violentam, nec innaturalem spectato bono universi, licèt possit esse violenta rei corruptæ in particulari, quia est conformis legibus universalis naturæ, quibus statutum est, ut sic sibi succedant res, & illa semper renoventur per generationes novas, quæ ex veterum corruptionibus succedunt, quamvis non sint naturales rebus, quæ corrumpuntur, quia nihil inclinatur, nec petit sui destructionem.

Quæres 2. *An corruptio per se intendatur à natura.*

Resp. negativè.

Ratio est, quia natura, id est causa 2. naturalis ordinis, per se primo, & directè non intendit destructionem, & *non esse* ullius rei, sed tantum bonum universi, & particularium, per accidens autem, & secundariò potest illam appetere, quatenus scilicet corruptio comitatur generationes.

QUÆSTIO II.

De subjecto, & termino generationis, & corruptionis.

Generatio, prout mutatio est, importat motum, & prout est productio, importat actionem, & huic actioni correspondet passio, seu generatio passiva, &

[1] *4. dist. 49. q. 13. F. n. 9.*

& utraque exigit subjectum, *in quo* fit, & terminum *ad quem* referatur, & terminetur, subjectari autem posse videntur, aut in materia, seu parte materiali, quæ mutari dicitur, aut in toto, quod generatur, aut in agente, quod denominatur generans: Terminatur verò ad totum, vel ad formam, quæ de novo producitur, vel ad unionem, qua unitur materiæ, ut faciat compositum, vel ad naturam, ut singularem, & subsistentem, quæ est ipsummet totum.

Porrò terminus alius dicitur, *qui*, & alius, *quo*: Terminus *qui* est illud, quod simpliciter, & absolutè in recto dicitur fieri, & existere, ut per se existens, & subsistens in se dicitur etiam *primus*, seu *primarius* non primitate ordinis, sed intensionis, quia est id, quod primò intendit producere natura, vel *primitate universalitatis*, quia est totum, quod accipit esse, & includit cætera omnia, quæ per generationem de novo fiunt, dicitur etiam *principalis* ob eandem rationem, nam cætera omnia intenduntur propter ipsum, & ipse intenditur propter se, & ideo dicitur etiam *ultimatus*, quia natura, seu agens in eo conquiescit, item & *adæquatus*, seu *totalis*, & *completus*, quia natura intendit rem facere integram, & perfectam, & est integra in toto composito, non autem in forma, nec materia, nec unione. Terminus verò, *quo*, seu formalis, est illud, quod fit quidem de novo per actionem generativam, sed non propter se, nec in se, sed in alio, & propter aliud, & talis est forma, quæ fit propter totum, & est pars constitutiva formalis totius.

CONCLUSIO I.

Pars materialis compositi est subjectum generationis passivæ, seu prout mutatio est: Agens verò est subjectum ejus, pro ut est productio. Dico, *pars materialis*, propter generationem viventium, quæ fit in subjecto constante materia prima, & forma corporeitatis.

Prob. 1. pars ex Scoto [1] in generatione *in creaturis concurrũt duæ rationes, scilicet, quod ipsa est mutatio, & quod est productio, ut est mutatio, est forma subjecti mutati, ut est productio, est termini producti ut via*, & iterũ mu-

[1] *l. d. 2. q. 7. K. n. 11.*

mutatio formaliter & actus subjecti mutabilis, quod de privatione transit ad formam, &c. Et idem docet Philosophus, [1] *est autem*, inquit, *& materia maximè quidem, & propriè subjectum generationis, & corruptionis susceptibile*.

Prob. 2. Illud est propriè subjectum inhæsionis motus, seu generationis passivæ, ut mutatio est, quod ab ea determinatur, & est re vera mutatum, sed materia propriè denominatur mutata, & re vera transit de privatione, vel de una forma ad novam formam; ergo est verè subjectum mutationis; idem est quoad corruptionem, nam sola materia transit de forma ad non formam.

Prob. 2. pars de subjecto actionis generativæ, ex dictis de subjecto actionis, nam probavimus ipsam esse in Agente, nec in hoc est specialis ulla difficultas.

Objicies contra 1. partem. Compositum dicitur generari, & corrumpi, non verò materia, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo subjectum generationis, & corruptionis est totum compositum.

Resp. dist. ant. dicitur generari, idest produci, conc. ant. id est mutari neg. ant. & conseq. nam compositum producitur quidem, sed non mutatur; mutari enim supponit præexistentiam rei mutatæ, compositum verò non præexistit generationi, sed per illam producitur. Sola materia verè præxistit.

Objic. 2. per nos, accidentia subjectantur in toto composito sed generatio, ut motus, seu mutatio est accidens; ergo est in toto, non verò in parte materiali.

Respondeo dist. maj. accidentia absoluta, & perfecta, & permanentia; conc. maj. & neg. min. relativa, & imperfecta, & transeuntia neg. maj. generatio in ratione motus est accidens relativum, imperfectum, & transiens, posset etiam dici relationem mutationis in materia esse posteriorem adventu novæ formæ, ad quam, & per quam formaliter mutatur subjectum, sicque etiam fundatur in materia, pro ut in informato.

CON-

[1] *ibid. d. 5. q. 2. E. n. 11. de gener. 24.*

CONCLUSIO II.

T*Erminus*, qui, *seu* totalis, *generationis est totum compositum, terminus verò*, quo, *&* formalis, *est forma producta, non autem unio*.

Prob.1. ex Scoto, quia *esse formæ, per se non terminat generationem*(scilicet ut terminus totalis) *sed esse compositi, & tamen forma secundum esse suum proprium, & per se est prior composito. Unde forma non est ut terminus totalis, & ultimatus, sed est quo terminus* (sc. totum) *est*, seu, existit. Unde *concedo, quòd forma est finis generationis, quia est illud, quo compositum finit generationem*, &c. ergo ex Scoto, [1] compositum est terminus *qui*, & *totalis* generationis, & forma est terminus *quo*, seu *formalis*, de unione verò nulla fit mẽtio.

Prob.2.1.pars. Terminus *qui*, & *totalis* est ille, quem Agens per se intendit, & ad quem ultimò terminatur actio, sed agens per se, & simpliciter intendit productionem compositi, & actio ultimò terminatur ad totum, ergo illud est terminus *qui*, & *totalis* generationis, ut est productio. Prob.min. quia agens cõquiescit in toto, & actio desinit ultimo in illud, ergo &c.

Prob.3.ex eodem. [2] per se terminus ad quem generationis est aliquid habens entitatem propriam, quia generatio est ad esse proprii termini, sed totum est primus terminus *ad quem* generationis, non altera pars, imò, si utraque pars præexistat, & de novo uniretur, nihilominus esset generatio, vel productio ipsius compositi, sicut in resurrectione, &c.

Prob. 2. pars. Illud dicitur esse terminus formalis *quo* generationis, quod per illam producitur, ut sit pars formalis, & constitutiva rei generatæ, sed forma substantialis sic producitur per generationem; ergo est terminus formalis *quo* generationis.

Confir. ex Scoto. In Creaturis *natura est terminus formalis generationis, non autem proprietas individualis, vel hypostatica, sicut patet 2. physic.* ubi dicitur quod *generatio est naturalis, quia est via in naturam* scilicet, in formam, & iterum. *Illud est terminus formalis generationis, in quo Agens assimilat sibi genitum, & à quo terminus totalis specificatur*. Ideo dicitur terminus formalis *quo*, quia est id, quo terminus

[1] *7.met.q.10.n.3. & 4.* [2] *3.d.2.q.2.C.n.7.*

nus totalis constituitur in suo esse formali, & specifico, sed talis est forma substantialis, non autem unio, quæ est accidens relativum, & non est de essentia compositi, sed pura conditio applicans causas intrinsecas ejus, ut dictum est in physica. Ergo forma, non autem unio est terminus formalis generationis.

Objic. 1. Illud est terminus *qui* generationis, quod totum, & propriè, & primò producitur, sed sola forma, non verò compositum sic producitur, ergo illa sola est terminus *qui* generationis, non verò compositũ. Prob. min. Compositum non fit nisi quoad formam, quia materia præexistit, & est ingenerabilis, ergo, &c

Respondeo dist. maj. quod totum, & primò fit, totalitate, & primitate intensionis, & dignitatis, & universalitatis; conc. maj. & neg. min. totalitate entitatis, & primitate ordinis; neg. maj. & conseq. totum primò intenditur, & per se existit, ac producitur; forma verò existit in toto, & propter totum producitur.

Objicies 2. Natura totius, seu pro ut præscindit à subsistentia, & comprehendit materiam, & formam, est potius terminus ut *quo*, ergo totum non est terminus *qui*; sed id pertinet ad subsistentiam, quæ directè, & per se attingitur, & primariò intenditur.

Respondeo neg. ant. quoad utramque partem. Nam in Christo sola humanitas, ut singularis, est terminus generationis temporalis ejus; subsistentia verò, quæ divina est, non producitur ullo modo, & præterea cum subsistentia creata consistat in pura negatione, ut patet ex metaphysica, non potest esse terminus actionis positivæ, qualis est generatio.

Objicies 3. Forma non semper producitur per generationem, sed semper unio: ergo non forma, sed unio est per se terminus *quo* generationis, ergo. Prob. ant. In generatione hominis generans non producit formam, sed solam unionem; idem esset de forma materiali, si præexisteret unitioni.

Respondeo neg. conseq. quia sive forma per actionem generativam compositi producatur, sive per aliã actionem, semper illa est ratio constitutiva geniti, & per consequens terminus *quo*; non enim est necesse, ut de novo, & per illã actionẽ producatur, sed sufficit, ut de novo uniatur materię, & sic producatur cõpositũ.

Inst.

Inst. Etiam posita forma producta, vel educta non intelligitur esse generatio, nisi uniatur materiæ, ergo unio potiùs, quàm forma est terminus formalis *quo* generationis.

Resp. neg. conseq. Nam inde sequitur tantùm, quod unio est conditio necessaria, & sine qua non esset perfecta generatio, & quod unio est connexa cum illa.

Inst. 2. Terminus formalis *à quo* generationis est privatio, seu separatio formæ in materia, ergo terminus formalis ad quem erit unio ejusdem formæ in materia. Prob. conseq. quia illi duo termini maximè opponuntur.

Resp. neg. conseq. Nam forma opponitur non formæ, seu privationi formæ, non autem unio, saltem directè, & per se.

Objicies 4. Unitio est formaliter generatio, sed unio est terminus formalis unitionis: ergo & generationis. Prob. maj. Productio compositi est formaliter productio unionis; nam *componere* formaliter nihil est aliud, quàm *simul ponere*, seu *unire*: ergo unitio est formaliter generatio.

Resp. neg: maj. & ant. prob. Nam unitio terminatur quidem ad unionem, quæ est relatio, & ideo unitio est actio accidentalis, & terminata ad accidens: est etiam compositio quasi grammaticalis, quatenus simul ponit, & applicat causas intrinsecas compositi, sed non *compositio* Philosophica, quæ consistit in causalitate mutua, & actuali, qua materia, & forma causant entitatem compositi, quam ex Physica supponimus realiter distinctam à partibus etiam unitis: quia non causant nisi ut unitæ.

CONCLUSIO III.

MAteria est subjectum corruptionis, termini verò ejusdem, pro ut est mutatio, est non esse formæ, & pro ut est destructio, est non esse compositi.

Hæc patet ex præcedentibus de subjecto, & termino generationis, & 1. quoad materiam; illa enim est, in qua fit utraque mutatio, scilicet generationis, & corruptionis. 2. de termino autē, id luce clarius est, quod per corruptionem forma transit de esse ad non esse, & idem est de composito, nec in his immoramur.

QUÆSTIO III.

Utrum in Generatione, & corruptione fiat resolutio usque ad materiam Primam.

SEnsus quæstionis est, an quando una forma substantialis per generationem naturalem succedit alteri, quæ destruitur, non solum hæc pereat, sed etiam omnia accidentia, quæ cum illa inerant composito, ita ut de præcedenti composito nihil remaneat præter materiam solam.

Certum est quidem, non remanere formam substantialem, saltem principalem; alioqui duæ formę totales non subordinatæ informarent simul eandem materiam: quod naturaliter impossibile ostendimus in Physica. De formis substantialibus subordinatis, & de accidentibus restat decidendum, an quædam remaneant in genito, quæ fuerant in corrupto. Repete autem, quæ in Physica diximus de subjecto accidentium, & de pluralitate formarum in eadem materia, & suppono etiam ex dicendis infra de facto, quòd in viventibus præter animam, quæ est forma viventis, datur forma corporeitatis, seu mixti, quæ est etiã substantialis, & remanet in mortuo, seu corrupto.

CONCLUSIO.

IN *corruptione viventium non fit resolutio usque ad materiam primam, benè verò in non viventibus*; est Scotistarum contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, nam hoc ipso, quod tenet remanere in mortuo eandem formam corporeitatis, quæ erat in vivente cum pluribus accidentibus post discessum animæ, saltem per aliquod tempus, sequitur necessariò, quod in corruptione viventium non fiat resolutio usque ad materiam primam, nec pro, nec contra hanc conclusionem aliquid dici non potest speciale, quod non simus dicturi ibi.

Prob. 2. pars ex eodem Scoto docente, quod quantitas, & alia accidentia subjectantur in toto composito, & non in sola materia, ut diximus in Physica; nam destructo subjecto pereunt & accidentia, quæ non

non migrant de subjecto in subjectum, ut omnes fatentur.

Prob. 2. quia ideò in animatis, dum intereunt, non fit resolutio usque ad materiam primam, quia remanet ibi, saltem aliquandiu, forma mixti cum suis accidentibus, v. g. in homine recenter mortuo, idem corpus cum iisdem quantitate, & qualitatibus plurimis, verbi gratia, figura, colore, calore, frigore, humiditate, &c. Et hæc ideò permanent, quia remanet idem compositum mixtum; sive idem corpus, quod est subjectum immediatum illorum accidentium, sed nullum tale compositum remanet in non viventibus, sed totum substantiale penitùs destruitur, ergo nulla forma, nec substantialis, nec accidentalis remanet in corrupto non viventium.

Objic. contra 2. partem. Ex Arist.[1] cùm aqua mutatur in aerē, remanet eadē perspicuitas, & humiditas. Sed aqua est non vivens, ergo in corruptione non viventium non fit resolutio usque ad materiā primam.

Resp. neg. maj. remanent quidem similes qualitates specie, sed non eædem numero, imo & forte perspicuitas, & humiditas aeris sunt differentes etiam specie, sicut ipse aer, cujus sunt qualitates propriæ: sed sufficit, quòd non remaneant eædem numero.

Objicies 2. cùm ignis generatur ex ligno, id fit mediantibus dispositionibus v. g. calore, siccitate, & aliis, quas generans introducit primò in lignum, & quæ perseverant in igne generato, ergo non fit tunc illa resolutio, ergo neque in aliis non viventibus.

Respondeo, ut jam responsum est in Physica [2] neg. maj. nam illæ qualitates, per quas destruuntur qualitates conservativæ, & comitantes formam ignis, pereunt cum composito ligni, & aliæ similes producuntur in composito ignis ab eodem Agente, à quo producitur forma ignis, & ipse ignis.

Inst. 1. Illæmet qualitates concurrunt ad generationem formæ ignis, ergo remanent cum igne, alioqui non causarent, quia non existerent.

Respondeo dist. ant. concurrunt dispositivè, & indirectè, quatenus expellunt qualitates contrarias: conc. ant. directè, & per se neg. ant. nam accidens non causat directè substantiam.

I 2 *Inst.*

[1] *de gen. t. 24.* [2] *disp. 7. q. 5.*

Inst. 2. Corrumpunt formam ligni eodem instanti, quo producitur ignis, ergo coexistũt generationi ignis.

Resp. eodem modo, corrumpunt dispositivè conc. ant. directè, & per se neg. ant. & conseq.

Inst. 3. Si corrumperentur in instanti præcedenti generationem, vel comitanti, materia remaneret nuda, sed falsum conseq. ergo & ant. prob. min. Si esset nuda, per illud instans esset indifferens ad formam ignis, aut ligni, aut lapidis, sed falsum est materiam sic esse indifferentem in eo instanti, ergo, &c.

Resp. non mansuram nudam formis accidentalibus potius, quàm substantialibus, unde neg. maj. falsum enim est materiã remanere nudã illis formis pro ullo instanti reali: corrupta enim, & genita sibi immediatè succedunt, ad minorẽ autem verum est, materiam de se esse indifferentem, sed determinatur ab agente productivo formæ ignis, & ad illam determinato.

Inst. 4. Sed agens posset periisse post destructas dispositiones formæ ligni conservativas, ergo non produceret tunc formam ignis, nec determinaret materiam, ergo determinatio petenda est ex accidentibus.

Respondeo neg. conseq. Nam supposito ant. recurrendum esset ad causam primam, quæ suppleret defectum secundæ.

Objicies 3. Lumen ab uno corpore lucido causatum potest ab alio conservari: ergo & idem calor, siccitas, color; quæ erant in corrupto ligno, possunt conservari in genito igne.

Respondeo dist. ant. in eodem subjecto, conc. ant. si subjectum pereat, aut mutetur, neg. ant. & conseq. & disparitas est, quia idem aer, qui illuminabatur ab una candela, remanet, dum alia lucet, & sub lumine utriusque; non ita est de calore, & siccitate ligni, & ignis, nam subjectum præcedentium corrumpitur, nempe lignum, unde & ipsa accidentia pereant necesse est, quia non migrant de subjecto in subjectum.

Inst. Nulla est causa, à qua illæ præcedentes qualitates corrumpantur, ergo perseverant sub igne genito eædem, quæ erant in ligno corrupto.

Resp. neg. ant. Nam corrumpuntur ab agente corruptivo ligni, & generativo ignis, non quidem directè, sed indirectè, quatenus destruit lignum, à quo sustentabantur,

Non

Non nego tamen remanere aliqua accidentia incompleta, & relativa, quæ singulis partibus seorsim conveniant, & in eis subjectentur, ut generatio, relatio patris, &c. Sed de his non est quæstio.

QUÆSTIO IV.

De connexione, & ordine generationis, & corruptionis.

DIcitur communiter, quod generatio, & corruptio sic connectuntur, ut *unius generatio sit alterius corruptio*, & vicissim *corruptio unius sit alterius generatio*; patet autem idem non semper esse verum simpliciter, nam in viventibus, quando generantur, aliquid de novo producitur, scilicet anima, & totum vivens; forma verò embrionis remanet, & sic nullum totum substantiale, nec ulla forma corrumpitur, &, ut mox dicebamus, in corruptione, seu morte ejusdem viventis non statim generatur ullum compositum substantiale simpliciter novum, sed remanet forma corporeitatis, seu mixti; Dico, *simpliciter novum*: nam embrio, & forma ejus secundum quid corrumpitur, quia desinit esse totalis, & in morte forma cadaveris etiam mutatur secundum quid, quia de subordinata fit totalis, & cessat subordinatio actualis; ideo videndum, quo sensu, & qua de causa sic connectantur.

Præterea dubitari solet, an generatio sit causa corruptionis, aut è contra; adeo ut verum sit dicere formam ignis generari, quia corrumpitur forma ligni, vel potiùs, hanc corrumpi, quia illa generatur.

CONCLUSIO I.

GEneratio, & corruptio non sic connectuntur, quin, quantum est de se, non possit esse una sine altera, de facto tamen, & secundum præsentem naturæ statum, & ordinem una semper comitatur alteram vel mediatè, vel immediatè.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet, quod ista propositio Philosophi *generatio unius est corruptio alterius*, &

[1] *2. d. 3. q. 3. E. n. 2.*

corruptio unius est generatio alterius, est aliquo modo probabilis, *& illud pro tanto verum est, quia nullum agens naturale per se intendit corrumpere aliquid, sed per accidens corrumpit illud, quod est incompossibile generato, quod per se intendit. Ista igitur non est vera per se ex intentione agentis naturalis, accidit enim, quod generans corrumpat propter incompossibilitatem termini corrumpendi cum termino, quem intendit, quia non potest producere formam, quam intendit, nisi in materia præexistente, quæ communiter est sub forma incompossibili formæ, quam intendit, & ideò oportet ipsum corrumpere compositum præexistens, ut generet aliud, quod intendit, non tamen oportet, quòd pars ejus, scilicet materia præexistat sub forma incompossibili, & ideo talem productionem alicujus entis non oportet esse destructionem non entis præcisè*, &c.

Ex qua doctrina patet tota conclusio; scilicet quod generatio, & corruptio non connectantur necessariò ex sua ratione formali, sed per accidens, & propter præsentem statum naturæ rerum.

Prob.2. per partes, 1. ex definitione utriusquè. Nam generatio est productio rei ex præsupposito subjecto, non verò ex præsupposito composito, & similiter corruptio est destructio rei, remanente subjecto, non verò succedente alio composito, ergo generatio, & corruptio ex suo conceptu formali non sic connectuntur, ut una succedat alteri.

Confir. Tum quia Deus posset creare materiam, & ex illa educere formam, & rursus destruere formam, & conservare materiam sine ulteriori forma, ut patet ex dictis in Physica, sed illa productio formæ, & compositi ex illa esset generatio vera, & illa destructio esset vera corruptio: ergo possunt esse sine se invicem.

Confir.2. Quia de facto in generatione hominis per infusionem animæ rationalis non corrumpitur compositum ex materia, & forma corporeitatis, seu mixti, nec per ejusdem hominis corruptionem statim, & immediatè corrumpitur idem compositum corporeum, & ut etiam diximus, non repugnant duæ formæ substantiales etiam totales in eadem materia, ergo potest generari una sine corruptione alterius.

Prob.2. pars, ex ratione allata Scoti. Nam status natu-

naturæ, & leges sic ferunt, ut licet agens non per se intendat nisi productionem unius formæ, & compositi, tamen præexistentia alterius in illo subjecto, in quod agit, & incompossibilitas ejusdem formæ præexistentis cum illa, quam intendit producere, facit, ut corruptio illius sequatur ex productione istius, & naturaliter materia non potest esse sine forma, nec sub duabus formis substantialibus, & non subordinatis.

Dixi autem, *mediatè, vel immediatè*, propter rationem dictam ab initio, in generatione, & corruptione viventium non statim, & immediatè sequitur corruptio, vel generatio, sed tantùm mediatè, scilicet mediatè præcedit corruptio seminis, & paulo post generationem sequitur corruptio formæ embrionis, & in morte, seu corruptione, sequitur tandem generatio vermium, aut alterius formæ.

Objicies 1. In mixtis sunt formæ elementorum, & non tolluntur per adventum formæ mixti, alioqui non remaneret mixtum: ergo generatio istius non est corruptio illarum.

Respondeo ex dictis neg. ant. Non enim manent nisi virtualiter.

Objic. 2. In morte hominis nihil corrumpitur, nam anima rationalis non corrumpitur, ergo ne naturaliter quidem generatio, & corruptio connectuntur.

Resp. neg. ant. Nam corrumpitur totum compositum hominis, illa autem successio generationis, & corruptionis, de qua loquimur, attenditur penes composita potiùs, quàm penes formas.

CONCLUSIO II.

A*Bsolutè loquendo generatio præcedit corruptionem prioritate naturæ, adeo ut dicendum sit, quod ideo vetus forma corrumpitur, seu expellitur, quia nova introducitur.* Ita Scotistæ[1] insignes contra alios.

Prob. 1. ex Scoto citato. Nam ibi dicit, quod agens per se intendit generationem novæ formæ, & corruptionem veteris solum per accidens, ergo in ordine intentionis, & in genere causæ finalis, imò & ex parte efficientis, prior est generatio. Item docet,[2] quòd gratia expellit peccatum, & quòd calidum effectivè causat calorem, in ligno expellit effectivè frigus ab eo;

[1] *Ma. hic d. 5. n.* 107. [2] *4. d. 1. q. 4. fin. & d. 43. q. 5. C. n. 4.*

ergo ex Scoto generatio formæ est causa expulsionis alterius.

Prob. ratione Doctoris, quia illud est prius, quod per se intenditur à natura, sed generatio per se intenditur, corruptio verò indirectè, & per accidens: ergo illa prior est.

Dices, id repugnare ex parte materiæ, nam priusquam sit apta ad receptionem formæ novæ, debet nudari forma veteri, velut impedimento, & illa expulsio veteris est dispositio, & conditio prævia.

Contra, quia nudatio illa veteris non potest præcedere novam, nec fieri sine illa, ergo vana est replica. Prob. ant. Nisi vetus expelleretur per inductionem veteris, materia existeret sine forma, sed hoc naturaliter repugnat, ergo, &c.

Contra 2. expulsio activa ex parte agentis venit ab introductione novæ formæ, ergo & expulsio passiva ex parte materiæ. Conseq. est evidens, quia correlativa ut expulsio activa, & passiva sunt simul natura, ergo si activa præcedit, ita & passiva.

Objicies 1. Agens destruit formam veterem, ut novam introducat, ergo corruptio ex parte agentis præcedit generationem. Prob. ant. Cum agens introducit formam novam, vel invenit materiam informatam, vel nudam, si nudam ergo præcessit corruptio veteris, si informatam veteri, ergo impeditam, & in statu repugnanti ad introductionem novæ, ergo debet prius purgare, & tollere impedimentum, vel illæ non erunt incompossibiles.

Resp. dist. ant. Destruit formam veterem per novam, conc. ant. per se immediatè sine introductione novæ, neg. ant. alioqui per se intenderet corruptionem. Ad probationem dico, quod agens invenit materiam informatam, & novam introducendo, expellit veterem, adeo ut primum esse novæ sit primum non esse veteris, & hoc præstat agens per unicam, & indivisibilem actionem.

Objic. 2. Si generatio præcederet natura corruptionem, numquam idem agens utramque causaret, sed hoc est inconveniens, ergo generatio non est prior. Prob. seq. maj. Quando ignis accendit lignum, si forma ignis prius introducatur in istud, quàm expellatur forma ejus, ista non expelleretur ab igne generante,

sed

sed ab igne genito in materia ligni, ergo corruptio ligni, & generatio ignis non essent ab eodem agente, & ita esset de omnibus.

Resp. neg.seq.maj. & dist. ant. prob. forma ligni expelleretur ab igne genito,id est à forma nova ignis, *ut quo* conc. ant. à forma genita *ut quod* neg. ant. & conf. Nam agens per se directè non agit in formam ligni,ut destruat illam,sed indirectè,& mediante forma ignis, quam generat, & quæ incompatibilis est cum lignea, non autem prius destruit ligneam, ut locum faciat igneæ, sicut cum homo peccat mortaliter, Deus non dicitur destruere gratiam, ut faciat locũ peccato, sed è contra retrahit gratiam,quia homo admisit peccatũ

Inst. Formæ substantiales non sunt contrariæ, ergo non se expellunt,ergo corruptio unius venit ab agente *ut quod*, non verò à forma *ut quo*, ergo nulla solutio. Prob. conseq.solum agens alterando lignum per expulsionem qualitatum conservativarum formæ ligni, & per contrarias expellit illam, ergo illud solum corrumpit formam veterem,ut novam introducat.

Resp. dist. ant. Non sunt contrariæ,ut accidentales, quæ se expellunt ab eodem subjecto inhæsionis, in quo consistit propria contrarietas, conc. ant. nam hoc sensu carere contrariis est proprietas substantiæ,ut diximus,non sunt contrariæ, idest incompossibiles inter se,& differentes essentialiter,neg.ant.& conf.neg.etiam ant.prob.nam ultimus gradus qualitatis conservativæ formæ veteris destruitur per qualitatem contrariam manantem à forma nova,& sic ista expellit illam,non autem agens, & in hoc decipiuntur adversarii.

Objic.3. Frigus, & humiditas ligni tàm impedit introductionẽ formæ ignis, quã ipsa forma ligni, sed frigus, & humiditas prius expellũtur, quã generetur forma ignis, ergo & à fortiori prius tollitur forma ligni.

Resp. neg. min. Nam, ut dicebamus, ultimi gradus frigoris,& humiditatis non tolluntur à ligno, nisi per calorem, & siccitatem formæ ignis, ergo neque ipsa forma ligni.

Inst. Primum in intentione est ultimum in executione, sed generatio formæ novæ est prima in intentione,& corruptio veteris est velut medium ad illam, ergo corruptio præcedit generationem in executione.

Respond.neg. min. quoad 2. partem nec enim finis

& indirectè, quatenus producendo novam, quæ illi est incompossibilis, naturaliter exigit antiquæ desitionem.

Quæres. 1. *An corruptio sit naturalis.*

Resp. esse absolutè naturalem, aliquo tamen sensu violentam.

Prob. tota resolutio ex Scoto.[1] Nō est violenta absolutè, ergo est naturalis absolutè. Prob. ant. *illud est simpliciter violentum, quod opponitur simpliciter naturali, & magis violentum, quod opponitur magis naturali, & minus, quod minus naturali. Exemplum, aquam esse sursum, ut salvetur plenum in universo, & vitetur vacuum, non est simpliciter violentum, imo, si tunc descenderet relicto vacuo superius, ille descensus esset simpliciter violentus, & secundum quid naturalis, quia natura totius universi magis est principium naturalitatis, quàm natura ista particularis; & magis naturale est, quod tali toti convenit, quàm quod propriæ huic parti.*

Ex his principiis clarè deducitur corruptionem, quæ accidit ex generationibus in natura, non esse violentam, nec innaturalem spectato bono universi, licèt possit esse violenta rei corruptæ in particulari, quia est conformis legibus universalis naturæ, quibus statutum est, ut sic sibi succedant res, & illa semper renoventur per generationes novas, quæ ex veterum corruptionibus succedunt, quamvis non sint naturales rebus, quæ corrumpuntur, quia nihil inclinatur, nec petit sui destructionem.

Quæres 2. *An corruptio per se intendatur à natura.*

Resp. negativè.

Ratio est, quia natura, id est causa 2. naturalis ordinis, per se primo, & directè non intendit destructionem, & *non esse* ullius rei, sed tantum bonum universi, & particularium, per accidens autem, & secundariò potest illam appetere, quatenus scilicet corruptio comitatur generationes.

QUÆSTIO II.

De subjecto, & termino generationis, & corruptionis.

Generatio, prout mutatio est, importat motum, & prout est productio, importat actionem, & huic actioni correspondet passio, seu generatio passiva, &

[1] 4.*dist.*49.*q.*13. *F.n.*9.

& utraque exigit subjectum, *in quo* fit, & terminum *ad quem* referatur, & terminetur, subjectari autem posse videntur, aut in materia, seu parte materiali, quæ mutari dicitur, aut in toto, quod generatur, aut in agente, quod denominatur generans: Terminatur verò ad totum, vel ad formam, quæ de novo producitur, vel ad unionem, qua unitur materiæ, ut faciat compositum, vel ad naturam, ut singularem, & subsistentem, quæ est ipsummet totum.

Porrò terminus alius dicitur, *qui*, & alius, *quo*. Terminus *qui* est illud, quod simpliciter, & absolutè in recto dicitur fieri, & existere, ut per se existens, & subsistens in se dicitur etiam *primus*, seu *primarius* non primitate ordinis, sed intensionis, quia est id, quod primò intendit producere natura, vel *primitate universalitatis*, quia est totum, quod accipit esse, & includit cætera omnia, quæ per generationem de novo fiunt, dicitur etiam *principalis* ob eandem rationem, nam cætera omnia intenduntur propter ipsum, & ipse intenditur propter se, & ideo dicitur etiam *ultimatus*, quia natura, seu agens in eo conquiescit, item & *adæquatus*, seu *totalis*, & *completus*, quia natura intendit rem facere integram, & perfectam, & est integra in toto composito, non autem in forma, nec materia, nec unione. Terminus verò, *quo*, seu formalis, est illud, quod fit quidem de novo per actionem generativam, sed non propter se, nec in se, sed in alio, & propter aliud, & talis est forma, quæ fit propter totum, & est pars constitutiva formalis totius.

CONCLUSIO I.

P*Ars materialis compositi est subjectum generationis passivæ, seu prout mutatio est: Agens verò est subjectum ejus, pro ut est productio*. Dico, *pars materialis*, propter generationem viventium, quæ fit in subjecto constante materia prima, & forma corporeitatis.

Prob. 1. pars ex Scoto [1] in generatione *in creaturis concurrũt duæ rationes, scilicet, quod ipsa est mutatio, & quod est productio, ut est mutatio, est forma subjecti mutati, ut est productio, est termini producti ut via*, & iterũ mu-

[1] *1.d.2.q.7.K.n.11.*

mutatio formaliter & actus subjecti mutabilis, quod de privatione transit ad formam, &c. Et idem docet Philosophus, [1] *est autem*, inquit, *& materia maximè quidem, & propriè subjectum generationis, & corruptionis susceptibile*.

Prob.2. Illud est propriè subjectum inhæsionis motus, seu generationis passivæ, ut mutatio est, quod ab ea determinatur, & est re vera mutatum, sed materia propriè denominatur mutata, & re vera transit de privatione, vel de una forma ad novam formam; ergo est verè subjectum mutationis; idem est quoad corruptionem, nam sola materia transit de forma ad non formam.

Prob.2.pars de subjecto actionis generativæ, ex dictis de subjecto actionis, nam probavimus ipsam esse in Agente, nec in hoc est specialis ulla difficultas.

Objicies contra 1. partem. Compositum dicitur generari, & corrumpi, non verò materia, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo subjectum generationis, & corruptionis est totum compositum.

Resp.dist.ant. dicitur generari, idest produci, conc. ant. id est mutari neg. ant. & conseq. nam compositum producitur quidem, sed non mutatur; mutari enim supponit præexistentiam rei mutatæ, compositum verò non præexistit generationi, sed per illam producitur. Sola materia verè præexistit.

Objic.2. per nos, accidentia subjectantur in toto composito sed generatio, ut motus, seu mutatio est accidens; ergo est in toto, non verò in parte materiali.

Respondeo dist. maj. accidentia absoluta, & perfecta, & permanentia; conc.maj. & neg.min. relativa, & imperfecta, & transeuntia neg. maj. generatio in ratione motus est accidens relativum, imperfectum, & transiens, posset etiam dici relationem mutationis in materia esse posteriorem adventu novæ formæ, ad quam, & per quam formaliter mutatur subjectum, sicque etiam fundatur in materia, pro ut in informato.

CON-

[1] *ibid.d.5.q.2.E.n.11.de gener.24.*

CONCLUSIO II.

T*Erminus*, qui, *seu* totalis, *generationis est totum compositum, terminus verò*, quo, *&* formalis, *est forma producta, non autem unio.*

Prob.1. ex Scoto, quia *esse formæ, per se non terminat generationem*(scilicet ut terminus totalis) *sed esse compositi, & tamen forma secundum esse suum proprium, & per se est prior composito. Unde forma non est ut terminus totalis, & ultimatus, sed est quo terminus* (sc. totum) *est*, seu, existit. Unde *concedo, quòd forma est finis generationis, quia est illud, quo compositum finit generationem*, &c. ergo ex Scoto, [1] compositum est terminus *qui*, & *totalis* generationis, & forma est terminus *quo*,seu*formalis*,de unione verò nulla fit mẽtio.

Prob.2.1.pars. Terminus *qui*, & *totalis* est ille, quem Agens per se intendit, & ad quem ultimò terminatur actio, sed agens per se, & simpliciter intendit productionem compositi, & actio ultimò terminatur ad totum, ergo illud est terminus *qui*, & *totalis* generationis,ut est productio.Prob.min. quia agens cõquiescit in toto, & actio desinit ultimo in illud, ergo &c.

Prob.3.ex eodem. [2] per se terminus ad quem generationis est aliquid habens entitatem propriam, quia generatio est ad esse proprii termini, sed totum est primus terminus *ad quem* generationis, non altera pars, imò, si utraque pars præexistat, & de novo uniretur, nihilominus esset generatio, vel productio ipsius compositi, sicut in resurrectione, &c.

Prob. 2. pars. Illud dicitur esse terminus formalis *quo* generationis, quod per illam producitur, ut sit pars formalis, & constitutiva rei generatæ, sed forma substantialis sic producitur per generationem; ergo est terminus formalis *quo* generationis.

Confir. ex Scoto. In Creaturis *natura est terminus formalis generationis, non autem proprietas individualis, vel hypostatica, sicut patet 2. physic.* ubi dicitur quod *generatio est naturalis, quia est via in naturam* scilicet, in formam, & iterum. *Illud est terminus formalis generationis, in quo Agens assimilat sibi genitum, & à quo terminus totalis specificatur*. Ideo dicitur terminus formalis *quo*, quia est id, quo terminus

[1] *7.met.q.10.n.3. & 4.* [2] *3.d.2.q.2.C.n.7.*

nus totalis constituitur in suo esse formali, & specifico, sed talis est forma substantialis, non autem unio, quæ est accidens relativum, & non est de essentia compositi, sed pura conditio applicans causas intrinsecas ejus, ut dictum est in physica. Ergo forma, non autem unio est terminus formalis generationis.

Objic. 1. Illud est terminus *qui* generationis, quod totum, & propriè, & primò producitur, sed sola forma, non verò compositum sic producitur, ergo illa sola est terminus *qui* generationis, non verò compositū. Prob. min. Compositum non fit nisi quoad formam, quia materia præexistit, & est ingenerabilis, ergo, &c

Respondeo dist. maj. quod totum, & primò fit, totalitate, & primitate intensionis, & dignitatis, & universalitatis; conc. maj. & neg. min. totalitate entitatis, & primitate ordinis; neg. maj. & conseq. totum primò intenditur, & per se existit, ac producitur; forma verò existit in toto, & propter totum producitur.

Objicies 2. Natura totius, seu pro ut præscindit à subsistentia, & comprehendit materiam, & formam, est potius terminus ut *quo*, ergo totum non est terminus *qui*; sed id pertinet ad subsistentiam, quæ directè, & per se attingitur, & primariò intenditur.

Respondeo neg. ant. quoad utramque partem. Nam in Christo sola humanitas, ut singularis, est terminus generationis temporalis ejus; subsistentia verò, quæ divina est, non producitur ullo modo, & præterea cum subsistentia creata consistat in pura negatione, ut patet ex metaphysica, non potest esse terminus actionis positivæ, qualis est generatio.

Objicies 3. Forma non semper producitur per generationem, sed semper unio: ergo non forma, sed unio est per se terminus *quo* generationis, ergo. Prob. ant. In generatione hominis generans non producit formam, sed solam unionem; idem esset de forma materiali, si præexisteret unitioni.

Respondeo neg. conseq. quia sive forma per actionem generativam compositi producatur, sive per aliā actionem, semper illa est ratio constitutiva geniti, & per consequens terminus *quo*; non enim est necesse, ut de novo, & per illā actionē producatur, sed sufficit, ut de novo uniatur materię, & sic producatur cōpositū.

Inst.

Inst. Etiam posita forma producta, vel educta non intelligitur esse generatio, nisi uniatur materiæ, ergo unio potiùs, quàm forma est terminus formalis *quo* generationis.

Resp. neg. conseq. Nam inde sequitur tantùm, quod unio est conditio necessaria, & sine qua non esset perfecta generatio, & quod unio est connexa cum illa.

Inst. 2. Terminus formalis *à quo* generationis est privatio, seu separatio formæ in materia, ergo terminus formalis ad quem erit unio ejusdem formæ in materia. Prob. conseq. quia illi duo termini maximè opponuntur.

Resp. neg. conseq. Nam forma opponitur non formæ, seu privationi formæ, non autem unio, saltem directè, & per se.

Objicies 4. Unitio est formaliter generatio, sed unio est terminus formalis unitionis: ergo & generationis. Prob. maj. Productio compositi est formaliter productio unionis; nam *componere* formaliter nihil est aliud, quàm *simul ponere*, seu *unire*: ergo unitio est formaliter generatio.

Resp. neg. mai. & ant. prob. Nam unitio terminatur quidem ad unionem, quæ est relatio, & ideo unitio est actio accidentalis, & terminata ad accidens: est etiam compositio quasi grammaticalis, quatenus simul ponit, & applicat causas intrinsecas compositi, sed non *compositio* Philosophica, quæ consistit in causalitate mutua, & actuali, qua materia, & forma causant entitatem compositi, quam ex Physica supponimus realiter distinctam à partibus etiam unitis: quia non causant nisi ut unitæ.

CONCLUSIO III.

M*Ateria est subjectum corruptionis, termini verò ejusdem, pro ut est mutatio, est non esse formæ, & pro ut est destructio, est non esse compositi.*

Hæc patet ex precedentibus de subjecto, & termino generationis, & 1. quoad materiam; illa enim est, in qua fit utraque mutatio, scilicet generationis, & corruptionis. 2. de termino autē, id luce clarius est, quod per corruptionem forma transit de esse ad non esse, & idem est de composito, nec in his immoramur.

QUÆSTIO III.

Utrum in Generatione, & corruptione fiat resolutio usque ad materiam Primam.

SEnsus quæstionis est, an quando una forma substantialis per generationem naturalem succedit alteri, quæ destruitur, non solum hæc pereat, sed etiam omnia accidentia, quæ cum illa inerant composito, ita ut de præcedenti composito nihil remaneat præter materiam solam.

Certum est quidem, non remanere formam substantialem, saltem principalem; alioqui duæ formę totales non subordinatæ informarent simul eandem materiam: quod naturaliter impossibile ostendimus in Physica. De formis substantialibus subordinatis, & de accidentibus restat decidendum, an quædam remaneant in genito, quæ fuerant in corrupto. Repete autem, quæ in Physica diximus de subjecto accidentium, & de pluralitate formarum in eadem materia, & suppono etiam ex dicendis infra de facto, quòd in viventibus præter animam, quæ est forma viventis, datur forma corporeitatis, seu mixti, quæ est etiã substantialis, & remanet in mortuo, seu corrupto.

CONCLUSIO.

IN *corruptione viventium non fit resolutio usque ad materiam primam, benè verò in non viventibus;* est Scotistarum contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, nam hoc ipso, quod tenet remanere in mortuo eandem formam corporeitatis, quæ erat in vivente cum pluribus accidentibus post discessum animæ, saltem per aliquod tempus, sequitur necessariò, quod in corruptione viventium non fiat resolutio usque ad materiam primam, nec pro, nec contra hanc conclusionem aliquid dici non potest speciale, quod non simus dicturi ibi.

Prob. 2. pars ex eodem Scoto docente, quod quantitas, & alia accidentia subjectantur in toto composito, & non in sola materia, ut diximus in Physica, nam destructo subjecto pereunt & accidentia, quæ

non

non migrant de subjecto in subjectum, ut omnes fatentur.

Prob. 2. quia ideò in animatis, dum intereunt, non fit resolutio usque ad materiam primam, quia remanet ibi, saltem aliquandiu, forma mixti cum suis accidentibus, v.g. in homine recenter mortuo, idem corpus cum iisdem quantitate, & qualitatibus plurimis, verbi gratia, figura, colore, calore, frigore, humiditate, &c. Et hæc ideò permanent, quia remanet idem compositum mixtum; sive idem corpus, quod est subjectum immediatum illorum accidentium, sed nullum tale compositum remanet in non viventibus, sed totum substantiale penitùs destruitur, ergo nulla forma, nec substantialis, nec accidentalis remanet in corrupto non viventium.

Objic. contra 2. partem. Ex Arist.[1] cùm aqua mutatur in aerē, remanet eadē perspicuitas, & humiditas. Sed aqua est non vivens, ergo in corruptione non viventium non fit resolutio usque ad materiā primam.

Resp. neg. maj. remanent quidem similes qualitates specie, sed non eædem numero, imo & forte perspicuitas, & humiditas aeris sunt differentes etiam specie, sicut ipse aer; cujus sunt qualitates propriæ: sed sufficit, quòd non remaneant eædem numero.

Objicies 2. cùm ignis generatur ex ligno, id fit mediantibus dispositionibus v. g. calore, siccitate, & aliis, quas generans introducit primò in lignum, & quæ perseverant in igne generato, ergo non fit tunc illa resolutio, ergo neque in aliis non viventibus.

Respondeo, ut jam responsum est in Physica [2] neg. maj. nam illæ qualitates, per quas destruuntur qualitates conservativæ, & comitantes formam ignis, pereunt cum composito ligni, & aliæ similes producuntur in composito ignis ab eodem Agente, à quo producitur forma ignis, & ipse ignis.

Inst. 1. Illæmet qualitates concurrunt ad generationem formæ ignis, ergo remanent cum igne, alioqui non causarent, quia non existerent.

Respondeo dist. ant. concurrunt dispositivè, & indirectè, quatenus expellunt qualitates contrarias: conc. ant. directè, & per se neg. ant. nam accidens non causat directè substantiam.

I 2 *Inst.*

[1] *de gen. t. 24.* [2] *disp. 7. q. 5.*

Inst. 2. Corrumpunt formam ligni eodem instanti, quo producitur ignis, ergo coexistūt generationi ignis.

Resp. eodem modo, corrumpunt dispositivè conc. ant. directè, & per se neg. ant. & conseq.

Inst. 3. Si corrumperentur in instanti præcedenti generationem, vel comitanti, materia remaneret nuda, sed falsum conseq. ergo & ant. prob. min. Si esset nuda, per illud instans esset indifferens ad formam ignis, aut ligni, aut lapidis, sed falsum est materiam sic esse indifferentem in eo instanti, ergo, &c.

Resp. non mansuram nudam formis accidentalibus potius, quàm substantialibus, unde neg. maj. falsum enim est materiā remanere nudā illis formis pro ullo instanti reali: corrupta enim, & genita sibi immediatè succedunt, ad minorē autem verum est, materiam de se esse indifferentem, sed determinatur ab agente productivo formæ ignis, & ad illam determinato.

Inst. 4. Sed agens posset periisse post destructas dispositiones formæ ligni conservativas, ergo non produceret tunc formam ignis, nec determinaret materiam, ergo determinatio petenda est ex accidentibus.

Respondeo neg. conseq. Nam supposito ant. recurrendum esset ad causam primam, quæ suppleret defectum secundæ.

Objicies 3. Lumen ab uno corpore lucido causatum potest ab alio conservari: ergo & idem calor, siccitas, color; quæ erant in corrupto ligno, possunt conservari in genito igne.

Respondeo dist. ant. in eodem subjecto, conc. ant. si subjectum pereat, aut mutetur, neg. ant. & conseq. & disparitas est, quia idem aer, qui illuminabatur ab una candela, remanet, dum alia lucet, & sub lumine utriusque; non ita est de calore, & siccitate ligni, & ignis, nam subjectum præcedentium corrumpitur, nempe lignum, unde & ipsa accidentia pereant necesse est, quia non migrant de subjecto in subjectum.

Inst. Nulla est causa, à qua illæ præcedentes qualitates corrumpantur, ergo perseverant sub igne genito eædem, quæ erant in ligno corrupto.

Resp. neg. ant. Nam corrumpuntur ab agente corruptivo ligni, & generativo ignis, non quidem directè, sed indirectè, quatenus destruit lignum, à quo sustentabantur,

Non

Non nego tamen remanere aliqua accidentia incompleta, & relativa, quæ singulis partibus seorsim conveniant, & in eis subjectentur, ut generatio, relatio patris, &c. Sed de his non est quæstio.

QUÆSTIO IV.

De connexione, & ordine generationis, & corruptionis.

DIcitur communiter, quod generatio, & corruptio sic connectuntur, ut *unius generatio sit alterius corruptio*, & vicissim *corruptio unius sit alterius generatio*; patet autem idem non semper esse verum simpliciter, nam in viventibus, quando generantur, aliquid de novo producitur, scilicet anima, & totum vivens; forma verò embrionis remanet, & sic nullum totum substantiale, nec ulla forma corrumpitur, &, ut mox dicebamus, in corruptione, seu morte ejusdem viventis non statim generatur ullum compositum substantiale simpliciter novum, sed remanet forma corporeitatis, seu mixti; Dico, *simpliciter novum*: nam embrio, & forma ejus secundum quid corrumpitur, quia desinit esse totalis, & in morte forma cadaveris etiam mutatur secundum quid, quia de subordinata fit totalis, & cessat subordinatio actualis; ideo videndum, quo sensu, & qua de causa sic connectantur.

Præterea dubitari solet, an generatio sit causa corruptionis, aut è contra; adeo ut verum sit dicere formam ignis generari, quia corrumpitur forma ligni, vel potiùs, hanc corrumpi, quia illa generatur.

CONCLUSIO I.

GEneratio, & corruptio non sic connectuntur, quin, quantum est de se, non possit esse una sine altera, de facto tamen, & secundum præsentem naturæ statum, & ordinem una semper comitatur alteram vel mediatè, vel immediatè.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet, quod ista propositio Philosophi *generatio unius est corruptio alterius*, &

[1] 2. *d.* 3. *q.* 3. *E. n.* 2.

corruptio unius est generatio alterius, est aliquo modo probabilis, *& illud pro tanto verum est, quia nullum agens naturale per se intendit corrumpere aliquid, sed per accidens corrumpit illud, quod est incompossibile generato, quod per se intendit. Ista igitur non est vera per se ex intentione agentis naturalis, accidit enim, quod generans corrumpat propter incompossibilitatem termini corrumpendi cum termino, quem intendit, quia non potest producere formam, quam intendit, nisi in materia præexistente, quæ communiter est sub forma incompossibili formæ, quam intendit, & ideo oportet ipsum corrumpere compositum præexistens, ut generet aliud, quod intendit, non tamen oportet, quòd pars ejus, scilicet materia præexistat sub forma incompossibili, & ideo talem productionem alicujus entis non oportet esse destructionem non entis præcisè*, &c.

Ex qua doctrina patet tota conclusio; scilicet quod generatio, & corruptio non connectantur necessariò ex sua ratione formali, sed per accidens, & propter præsentem statum naturæ rerum.

Prob. 2. per partes, 1. ex definitione utriusquè. Nam generatio est productio rei ex præsupposito subjecto, non verò ex præsupposito composito, & similiter corruptio est destructio rei, remanente subjecto, non verò succedente alio composito, ergo generatio, & corruptio ex suo conceptu formali non sic connectuntur, ut una succedat alteri.

Confir. Tum quia Deus posset creare materiam, & ex illa educere formam, & rursus destruere formam, & conservare materiam sine ulteriori forma, ut patet ex dictis in Physica, sed illa productio formæ, & compositi ex illa esset generatio vera, & illa destructio esset vera corruptio: ergo possunt esse sine se invicem.

Confir. 2. Quia de facto in generatione hominis per infusionem animæ rationalis non corrumpitur compositum ex materia, & forma corporeitatis, seu mixti, nec per ejusdem hominis corruptionem statim, & immediatè corrumpitur idem compositum corporeum, & ut etiam diximus, non repugnant duæ formæ substantiales etiam totales in eadem materia, ergo potest generari una sine corruptione alterius.

Prob. 2. pars, ex ratione allata Scoti. Nam status natu-

naturæ,& leges sic ferunt,ut licet agens non per se intendat nisi productionem unius formæ, & compositi, tamen præexistentia alterius in illo subjecto, in quod agit, & incompossibilitas ejusdem formæ præexistentis cum illa, quam intendit producere, facit, ut corruptio illius sequatur ex productione istius, & naturaliter materia non potest esse sine forma, nec sub duabus formis substantialibus, & non subordinatis.

Dixi autem, *mediatè, vel immediatè*, propter rationem dictam ab initio, in generatione, & corruptione viventium non statim, & immediatè sequitur corruptio, vel generatio, sed tantùm mediatè, scilicet mediatè præcedit corruptio seminis, & paulo post generationem sequitur corruptio formæ embrionis, & in morte, seu corruptione, sequitur tandem generatio vermium, aut alterius formæ.

Objicies 1. In mixtis sunt formæ elementorum, & non tolluntur per adventum formæ mixti, alioqui non remaneret mixtum: ergo generatio istius non est corruptio illarum.

Respondeo ex dictis neg. ant. Non enim manent nisi virtualiter.

Objic. 2. In morte hominis nihil corrumpitur, nam anima rationalis non corrumpitur, ergo ne naturaliter quidem generatio, & corruptio connectuntur.

Resp. neg. ant. Nam corrumpitur totum compositum hominis, illa autem successio generationis, & corruptionis, de qua loquimur, attenditur penes composita potiùs, quàm penes formas.

CONCLUSIO II.

Absolutè loquendo generatio præcedit corruptionem prioritate naturæ, adeo ut dicendum sit, quod ideo vetus forma corrumpitur, seu expellitur, quia nova introducitur. Ita Scotistæ[1] insignes contra alios.

Prob. 1. ex Scoto citato. Nam ibi dicit, quod agens per se intendit generationem novæ formæ, & corruptionem veteris solum per accidens, ergo in ordine intentionis, & in genere causæ finalis, imo & ex parte efficientis, prior est generatio. Item docet, [2] quòd gratia expellit peccatum, & quòd calidum effectivè causat calorem, in ligno expellit effectivè frigus ab eo;

[1] *Ma. hic d. 5. n.* 107. [2] 4. *d.* 1. *q.* 4. *fin.* & *d.* 43 *q.* 5. *C. n.* 4.

sed ab igne genito in materia ligni, ergo corruptio ligni, & generatio ignis non essent ab eodem agente, & ita esset de omnibus.

Resp. neg.seq.maj. & dist. ant. prob. forma ligni expelleretur ab igne genito, id est à forma nova ignis, *ut quo* conc. ant. à forma genita *ut quod* neg. ant. & cons. Nam agens per se directè non agit in formam ligni, ut destruat illam, sed indirectè, & mediante forma ignis, quam generat, & quæ incompatibilis est cum lignea, non autem prius destruit ligneam, ut locum faciat igneæ, sicut cum homo peccat mortaliter, Deus non dicitur destruere gratiam, ut faciat locũ peccato, sed è contra retrahit gratiam, quia homo admisit peccatũ.

Inst. Formæ substantiales non sunt contrariæ, ergo non se expellunt, ergo corruptio unius venit ab agente *ut quod*, non verò à forma *ut quo*, ergo nulla solutio. Prob. conseq. solum agens alterando lignum per expulsionem qualitatum conservativarum formæ ligni, & per contrarias expellit illam, ergo illud solum corrumpit formam veterem, ut novam introducat.

Resp. dist. ant. Non sunt contrariæ, ut accidentales, quæ se expellunt ab eodem subjecto inhæsionis, in quo consistit propria contrarietas, conc. ant. nam hoc sensu carere contrariis est proprietas substantiæ, ut diximus, non sunt contrariæ, idest incompossibiles inter se, & differentes essentialiter, neg. ant. & cons. neg. etiam ant. prob. nam ultimus gradus qualitatis conservativæ formæ veteris destruitur per qualitatem contrariam manantem à forma nova, & sic ista expellit illam, non autem agens, & in hoc decipiuntur adversarii.

Objic. 3. Frigus, & humiditas ligni tàm impedit introductionẽ formæ ignis, quã ipsa forma ligni, sed frigus, & humiditas prius expellũtur, quã generetur forma ignis, ergo & à fortiori prius tollitur forma ligni.

Resp. neg. min. Nam, ut dicebamus, ultimi gradus frigoris, & humiditatis non tolluntur à ligno, nisi per calorem, & siccitatem formæ ignis, ergo neque ipsa forma ligni.

Inst. Primum in intentione est ultimum in executione, sed generatio formæ novæ est prima in intentione, & corruptio veteris est velut medium ad illam, ergo corruptio præcedit generationem in executione.

Respond. neg. min. quoad 2. partem nec enim finis

generationis dependet per se à corruptione, velut à medio necessario propriè, & rigorosè, sed velut ab impedimento, quod tollitur per ipsam generationem. Finis autem in executione est tantum posterior mediis per se concurrentibus effectivè, aut dispositivè, & antecedenter, non verò illis, qui non concurrunt per se, sed per accidens, & consequenter, vel concomitanter, ut expulsio formæ ligni ad generationem ignis.

Objic.4.Sequeretur duas formas esse simul naturaliter in eadem materia, sed falsum conseq. & contra nos. ergo & ant. Prob. seq. forma nova esset prius in materia, quàm vetus esset corrupta, ergo, &c.

Resp. neg. seq. maj. & dist. ant. priùs natura, & causalitate, conc. ant. prius tempore neg. ant. & conseq. Nam prioritas naturæ non importat nisi dependentiam posterioris à priori, imò importat simultatem temporis, ideo eodem instanti, quo introducitur nova, expellitur antiqua, ita non fiunt simul pro ullo instanti temporis.

Inst. Corruptio prioris formæ, & compositi est terminus *à quo* generationis, ergo est prior generatione, nam terminus *à quo* in motu est prior termino *ad quem*.

Resp. dist. ant. Terminus *à quo* est prior in motibus successivis, & transeuntibus, aut localibus, conc. ant. in motibus puræ mutationis, vel instantaneis, neg. ant. In prioribus illis motibus priùs relinquitur terminus *à quo*, quàm acquiratur terminus *ad quem*, posterior essentialiter importat solum habitationem rei, & ad hanc non deseritur terminus *à quo*, priusquàm habeatur terminus *ad quem* v.g. in illuminatione, aer non prius deserit tenebras, nec privationem lucis, quam habeat lucem.

Objicies denique Scotum. [1] Deus *vult prius ordine executionem non in esse culpam, quam in esse gratiam*, ergo ex Scoto, corruptio formæ veteris præcedit introductionem, seu generationem novæ.

Resp. neg. conf. nam, ut docet Marginista Doctoris, gratia, & privatio culpæ (quæ est terminus *à quo* Justificationis) nullum dicunt ordinem ex natura rei, sed ex Dei voluntate: prius volita est gratia, prius

[1] *d.16.q.26.n.19.*

prius executione est carentia culpæ, quàm gratia, aliter esset dicendum in peccatore, quia Deus non aufert gratiam, ut det locum culpæ, ergo ex oppositione gratiæ cum peccato non potest colligi mens Doctoris, nec consequentia pro physicis, quia ex Doctore gratia, & peccatum non opponuntur physicè, sed moraliter, & ex ordinatione divina.

DISPUTATIO VI.

De generatione viventium.

QUÆ usque huc diximus de generatione, cuilibet productioni substantiali ex præexistente subjecto conveniunt, quædam sunt specialia productioni viventium, quæ hìc examinanda sunt.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit generatio viventium.

EXistentiam generationis viventium probat continua experientia, ideo in ea probanda non immoramur, quidditatem ejus, & conditiones explicare sufficiat.

CONCLUSIO.

GEneratio viventium rectè describitur origo naturalis viventis à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ. Est communiter recepta.

Prob. 1. ex Scoto, [1] Quia generatio *sumitur uno modo pro generatione substantiæ, alio modo pro generatione vivi à vivo*, & dicit, quod *est productio naturalis viventis à vivente similis producenti in natura.*

Prob. Quia sufficienter explicat naturam hujus productionis per verum genus, & differentiam, ut patet discurrenti per singulas particulas. Dicitur 1. *origo*, seu *productio*, & ponitur loco generis, quia in hoc convenit cum omnibus productionibus non vitalibus: 2. *naturalis*, id est à principio naturaliter inclinato, & determinato ad agendum, & jam incipit per hoc

I 6 differ-

[1] *1.d.13.q.uni.P.n.20. & 3.d.8.*

differre à productionibus casualibus,& æquivocis,atq; etiam à voluntariis, qualis est productio Spiritus sancti, quæ est à voluntate, & libertate essentiali, & sic non est generatio, nec ipse dicitur filius, ut videbitur in Theologia. 3. *viventis à vivente*, per hoc differt à productione inanimatorum, etiam si sint à principio vivente, aut animatorum à principio non vivente, ut animalium, quæ dicuntur à sole generari, tales enim productiones non sunt propriè generationes viventium. 4. *à principio vitæ conjuncto*, & sensus est, quod illa productio debet esse à principio vitaliter activo, & hujus particulæ, ac conditionis defectu productio *Evæ* ex costa *Adæ* non fuit vera generatio, quia iste non influxit vitaliter activè, sic nec pediculi, & vermes de excrementis corporum nascentes dicuntur propriè ab eis generari. Præterea virtus illa generantis debet *conjungi*, & *communicari* genito per quandam consubstantialitatem. 5. *In similitudinem naturæ*, id est essentiæ specificæ, aut saltem genericæ proximè, ut homo hominem, equus equum, &c. saltem propriè loquendo.

Dices. Productio muli ex equa, & asino est vera generatio, & tamen mulus non est similis naturæ cum genitoribus, ergo hæc particula non est vera, aut non intelligitur hoc modo.

Resp. neg. conf. Quia mulus fit similis utrique in aliqua specie, non quidem atoma, ut homo homini, sed aliquali, & valde propinqua, uno verbo, in genere proximo, licèt innominato, & hoc sufficit. Addit Scotus, [1] quod ut generatio ista fundet relationes Patris, & Filii inter generantem, & genitum, debet ista similitudo esse in natura intellectuali, qualis in hominibus, & inter Deum Patrem, & Verbum divinum, & si hæ denominationes extendantur etiam ad bruta, debet addi in similitudinem naturæ intellectualis, vel sensitivæ. De vegetantibus autem non solent dici tales denominationes Patris, & Filii, imo nec propriè de Brutis.

Quid autem sit vivens, & in quo consistat ratio vitæ, dicetur in libro de anima.

Hinc colligis, generationes à dæmonibus incubis causatas, non esse veras, ex parte illorum, nec ipsos

[1] 3.*d*.8.*q*.*un*.*C*.*n*.5.

ipſos dici patres hominum, qui ſic generantur, quia non eſt à principio conjuncto, cùm nihil de ſua ſubſtantia communicent, nec in ſimilitudinem naturæ.

Quæres, an tales generationes ſint poſſibiles naturaliter, aut aliquando contingant.

Reſpondeo de poſſibilitate non dubitatur de illis, ſic ſcribit Auguſtinus [1] *creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis, qui experti ſunt, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, ſylvanos & faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiiſſe, & peregiſſe concubitum, & quoſdam dæmones, quos duſios galli vocabant, hanc aſſiduè immunditiam & tentare, & efficere, plures, taleſque aſſeverant, ut hoc negare impudentia videatur, ſcilicet dæmones corpore humano, vel phantaſtico aſſumpto utrumque ſexum ementiuntur, & tam viris, quàm mulieribus illudunt*: Poteſt enim dæmon ſemen ab homine, vel ab animali exciſum accipere, & ſubito in fœminas immittere, ita ut iſtæ concipiant, & inde partus ſuo tempore contingant. De facto autem nihil certum, nihil legitur in ſacris hiſtoriis, in prophanis id fertur de Romulo, & Remo; de quodam Merlino, famoſo Necromantico Anglo, & apud Plutarchum, ita ſenſit Ariſtoteles genitum fuiſſe Homerum.

QUÆSTIO II.

De cauſis generationis viventium, præcipuè de ſemine, & concurſu Matris.

INter cauſas generationis viventium duæ ſicut ſunt præcipuæ, ſcilicet genitores, & principium illud vitæ conjunctum, quod eſt ſemen, genitores ſunt in animalibus perfectis, mas, & fœmina, nam plantæ, & animalia imperfecta generantur ex ſemine per quandam putrefactionem, licet ſint aliquo modo à vivente, à quo ſemen derivatur: Quæritur ergo hic. 1. Quid ſit ſemen 2. an pater per ſe effectivè cauſet generationem 3. An mater concurrat activè.

CON-

[1] *l. 15. de civ.*

CONCLUSIO I.

Semen sufficienter describitur, corpus quoddam imperfectum productum à generante, cujus forma non est per se intenta à natura, sed propter aliud, ut scilicet generetur aliquid simile generanti.

Prob. 1. ex Scoto, sic ferè in terminis illud definiente, &, ut melius capiatur, distinguit in natura duplicem processum 1. in forma unum ascendendo scilicet ab imperfectioribus ad perfectiores, & ut à forma seminis ad formam sanguinis, à forma sanguinis ad formam embrionis, & denique ad formam animalis, vel hominis processus est descendendo à perfectis ad imperfectiora, v. g. animal resolvendo in cadaver, in feces usque ad elementa, vel materiam primam, illud autem; à quo natura inchoat processum, primum est semen, quod non intendit propter se, nec in illius productione conquiescit, sed propter aliud perfectius, ad quod procedit ascendendo, ut dictum est, semen igitur *est quoddam corpus imperfectum*, inquit, *productum à generante, ut sit via ascendendi ad ulteriores formas perfectas*, & hinc facilè patet sensus definitionis.

Apud medicos autem est portio optima, & validissima totius humoris residentis in corpore, corpus humidum, spumosum, & album, ex reliquiis ultimi alimenti elaboratum, vel substantia calida, & humida, coctione quinta, quæ per se intendit generationem effectus similis illi, à quo facta est, sed hic nō placet diutius immorari, quia hæc notio sufficit religioso Philosopho, imò & alia obiter tangam ob eādem rationem.

CONCLUSIO II.

Tam pater, quàm mater concurrunt ad generationem viventium activè, & per seminis subministrationem, est communior cum Doctore, & suis contra Thomistas, & alios, qui docent, quod solus pater habet rationem activi, & mater rationem passivi, ita quod ministrat tantam materiam prolis, & in solo semine Patris est vis activa formativa prolis: de viri concursu nemo dubitat, tota controversia est de fœmina.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qu'a *formas ejusdem speciei consequuntur potentiæ naturales ejusdem speciei*; sed mas, & fœmina sunt ejusdem speciei, ergo formas eorum consequitur potentia ejusdem rationis, ergo si formam unius consequitur vis activa, ita similiter & consequitur formam alterius.

Confir. Quia anima vegetativa hujus, & illius (maris, & feminæ) differrent sicut activa, & passiva, & ita essent potentiæ omninò alterius rationis, seu speciei, quod est falsissimum; ergo ex Scoto, eodem modo, quoad vim activam, & seminis subministrationem concurrunt.

Prob. 2. *ex eodem*, quia mater naturaliter plus diligit Filium suum, sicut unusquisque naturaliter diligit opus suum, quàm è converso. 2. quia Filius solet magis assimilari matri, quàm Patri. 3. quia opinio contraria docens matrem tantùm esse quasi vas, in quo, sicut in loco convenienti, proles generatur, & de aliquo ejus, ut de materia: scilicet, de sanguine menstruo, non videtur plus dari matri, quàm terræ in generatione mineræ, nec plus quam homini respectu vermis ex eo nascentis, & ita homo esset mater vermis, & terra metalli.

Prob. etiam ex Anatomia, qua constat in fœminis esse vasa eadem, atque in viris pro seminis formatione, & deposito, adducit etiam auctoritatem SS. Patrum maximè Damasceni tribuentis fœminæ virtutem susceptivam simul, & generativam.

Objic. 1. in omni actione adest agens, & patiens, sed in actione generativa mas est agens; ergo fœmina est tantùm patiens, ergo hæc non concurrit activè, alioqui esset simul pater, & mater.

Resp. dist. min. Mas cum fœmina est agens, conc. min. solus neg. min. & similiter dist. conseq. fœmina est patiens quoad seminis receptionem, & sanguinis ministrationem, & agens quoad proprii seminis emissionem, & virtutem, conc. conseq. purè patiens sine actione neg. conseq. ob rationes allatas, nec propterea est pater, & mater, quia pater est purè activus.

Objicies 2. Sequeretur Christum Dominum formatum fuisse ex semine SS. Mariæ, falsum conseq. ergo & ant. prob. min. quia canit Ecclesia dicens quod

[1] 3.4.q.un.A.n.3.

quod [1] *processit homo sine semine*. Idem docent plurimi SS. Patres. probatur major, illa enim concurrit ad generationem humanitatis Christi, sicut cęteræ matres: ergo per semen activum.

Resp. neg.min. & ad rationem dico Ecclesiam, & Patres excludere solummodò semen virile; eadem S. M. Ecclesia canit templum Dei factus est uterus nesciens virum. Imo iidem Patres, & Theologi docent positivè Christum natum ex semine Matris sanctissimæ.

Objic.2. Sequeretur possibilem naturaliter generationem ex sola fęmina, sed falsum conseq. ergo falsum est fęminam concurrere per semen activum. Prob. maj. ejus semen esset ejusdem speciei, & virtutis cum semine maris, ergo se solo posset sufficere.

Resp.neg.seq. & conseq.prob. Nam licèt semina sint ejusdem speciei, non sunt ejusdem qualitatis, nec virtutis, & quod plus est, sunt essentialiter subordinata, sic ut unum sine altero nihil possit agere. Dico, essent, nec enim concedo,quod de facto sint propriè ejusdem speciei, habent quandam heterogeneitatem, licet mas, & fęmina sint ejusdem speciei, nonne in eodem homine sunt partes heterogeneæ? Hermaphroditi habent utrumque sexum, & tamen non se ipsis sufficiunt ad generationem.

CONCLUSIO III.

Pater concurrit activè, & passivè ad organizationem corporis geniti mediate tantum, & per semen, mater verò activè & passivè; atque immediatè, & propria virtute, exceptis oviparis.

Prob. 1. *ex Scoto*, [2] quia ex suppositione, quod semen Patris corrumpatur in instanti, quo generatur forma corporea, seu organica in fętu, ut multi censent, *quia est pars materialis prolis, verius mater agit, quàm pater, quia ipsa immediatè in instanti generationis* (adest, & agit) *pater non*, (quia vel non est, vel est absens) *sed tantum in alteratione prævia per illam vim activam, quæ fuit in semine patris*; ergo jam, in hac suppositione, pater non agit nisi valde remotè, imo nec semen ab eo ministratum existit amplius. *Sed si ponatur semen patris manere in instanti generationis.*

[1] *in officio cir. cant.* [1] *ibid.E.n.13.*

tionis. (corporis scilicet) *& vim activam manere in eo, & semen non converti in corpus prolis, adhuc in instanti generationis mater*, & *pater poterunt agere per illam vim dimissam, & manentem in semine* (nota sequentia) *nec videtur istud multum inconveniens tribuere tantam actionem matri, quia facta decisione seminis patris, tota sequens formatio usque ad partum videtur principaliter sequi conditionem matris*, &c. ergo ex Scoto, pater concurrit activè per solam decisionem seminis, & mediante semine, mater verò, & per semen, & per propriam virtutem de praesenti agentem in instanti formationis corporis.

Prob.2. per partes, nam semen patris non tantùm concurrit per virtutem suam activam, sed etiam remanet materialiter in prole, alioquin proles non esset consubstantialis patri, quod est contra conceptum istius generationis, quae est *ex principio conjuncto*, ergo pater concurrit activè, & passivè, seu materialiter.

Dico, *per semen*, & *mediatè*, quia quando fit organizatio, & formatur corpus, non est praesens, nec applicatus, imo forte nec existens, ergo per se immediatè non concurrit.

Prob. de matre, nam ipsa exhibet semen, ut dictum est, & ipsa est praesens, atque applicata per virtutem suam. Alioqui conceptio fieri posset extra uterum, quod impossibile est, licet utriusque parentis semen adesset.

Dixi; *exceptis oviparis*, quia Gallina v. g. licet post emissum ovum moreretur, adhuc posset per aliam foveri, & ex eo nasci pullum. Idem est de aliis, & patet de Bombicibus, concursus autem patris ex eo patet, quod licet Gallinae pariant ova sine concursu maris illa tamen sunt frigida, & infecunda.

CONCLUSIO IV.

IN generatione vivipara mater concurrit immediatè ad eductionem, & unionem animae materialis. Est Scotistarum cum Doctore.

Prob. ex textu Scoti mox allato; [1] ubi de facto id asserit de concursu SS. Deiparae in generatione corporis Christi, *quia ipsa mater immediatè potuit operari in instāti generationis, quia ipsa fuit immediatè presēs, & habuit*

[1] *ibid.*

habuit vim activam generativam respectu termini actionis, & ita fortè est in aliis matribus, *quod non tantum per vim activam in materia ministrata agunt, sed etiam corrupta illa activa in semine in instanti generationis*, &c. Censetur autem semen esse corruptum eo instanti, quo formatur ex eo corpus prolis, & ipsomet instanti animatur, ergo ratio eadem facit pro animatione viventis materialis, & pro organizatione.

Prob. 2. quia non potest assignari alia causa naturalis & particularis aptior; nam mater est intimius applicata, habet virtutem sufficientem, illi assimilatur proles, ergo ita debet sustineri. Ant. patet ex dictis, conseq. prob. non enim recurrendum est ad causas universales, & extraordinarias, quando adsunt particulares, & absque necessitate, & quando effectus non excedunt vires istarum.

Objic. 1. sequeretur matrem perfectiùs attingere generationem prolis, quàm patrem, sed hoc est falsum, & contra omnes, ergo & ant. prob. maj. quia pater non attingit animationem fœtus, nisi remotissimè, quia ne semen quidem existit in eo instanti.

Resp. ex textibus allatis Scoti. Dist. maj. quantùm ad formationem corporis, & attingentiam animationis; conc. maj. & neg. min. quantùm ad virtutem & perfectionem seminis, neg. maj. & conseq. istud enim longè perfectius est, ac majoris virtutis, quàm maternum.

Objic. 2. in generatione muli ex Asina, hæc non potest causare formationem, nec animationem, ergo ita est de aliis. Prob. ant. mulus est perfectior Asina; ergo hæc non potest causare illum, quia effectus non potest esse nobilior causa.

Resp. neg. ant. & dist. prob. est perfectior accidentaliter, & secundum quid, scilicet magnitudine, & robore, & agilitate, quia id participat à Patre, scilicet ab equo; conc. ant. est perfectior essentialiter & simpliciter neg. ant. nam mulus est sterilis, quod arguit imperfectionem specificam.

CONCLUSIO V.

NEque pater, neque mater attingit unionem animæ rationalis cum corpore, hæc à solo Deo pendet. Est contra recentiores.

Prob.

Prob. 1. *ex Scoto* [1] dicente, quod in generatione *solus Deus est creans, & infundens* animam in corpus, & quod *soli virtuti activæ divinæ subest prima productio hominis, ista autem productio est in animatione corporis organici*. Hic sumit productionem hominis, ut est ab agente per illam actionem, quæ unit animam corpori, quia illa est, quæ proximè attingit totum, *& non alia præcedens* ([2] inquit commentator illius) [3]. & alibi docet, quod *nulla qualitas, vel dispositio creata in corpore ab agente naturali est causa necessaria simpliciter animationis passivæ corporis ... Nulla dispositio inducta ab agente naturali in materiam est dispositio necessitans simpliciter ad animæ infusionem, &c.*

Prob. 2. quia licèt pater, & mater suo modo causent organizationem corporis humani, qua disponitur ad animationem, tamen Deus potest non creare, aut non infundere animam; ergo non attingunt nec creationem animæ, nec infusionem, sed tota pendet à Deo.

Confir. quia unio, vel unitio terminatur ad substantiam Spiritualem, scilicet animam, ergo facultas generativa parentum, quæ tota materialis est non potest illuc attingere.

Objicies si nec pater, nec mater attingerent animationem prolis, non generarent alium hominem, sed hoc est inconveniens, & contra communem sensum: ergo & ant. min. patet, homo esset pejoris conditionis, quàm vilissima animalia. Prob. maj. producere materiam, & dispositiones ad hominis formationem, non est producere hominem, sed pater, & mater non producerent nisi materiam, & dispositionem, ergo non producerent hominem.

Respondeo neg. maj. & min. prob. nam parentes causando corpus Organizatum causant aliquod compositum substantiale constans materia, & forma substantiali corporeitatis, quod compositum non est quidem homo, sed est pars essentialis ejus, quæ pro eo instanti animatur, quo formatur, B. virgo per se non attingit unionem hypostaticam cum humanitate Christi, & tamen dicitur *Deipara*, quia non prius tempore fuit producta per ipsam, & in ipsa humanitas,

[1] 4.*d*.43.*q*.3.*O*.*n*.12. [2] *Hiquens ibi.*
[3] 3.*d*.11.*q*.2.*F*.*& G*.*n*.12.*&* 13.

tas, quin fuerit unitá verbo, nec inde conditio hominis est pejor conditione brutorum, eo quod forma ejus pendeat à solo Deo.

Inst. non plus homo conferret ad generationem hominis, quàm sol ad generationem ranæ ex luto, sed sol nō dicitur pater ranæ, ergo nec homo hominis.

Resp. neg. maj. homo subministrat substantiam suam, non autem sol. Respectu parentum generatio hominis est 1. *viventis à vivente*. 2. *à principio conjuncto*, & 3. *in similitudinem naturæ*, quod non est in generatione ranæ respectu solis, imo nec ipsius hominis respectu Dei.

Inst. Homo, pro ut produceretur à parentibus, non roduceretur *in similitudinem naturæ*; ergo nulla reſponsio. Prob. ant. similitudo naturæ fundatur, & terminatur ad totum, non autem ad solum corpus, & trelatio paternitatis, & filiationis est ex generatione univoca.

Resp. neg. seq. & conseq. prob. quia parentes per subministrationem seminis intendunt generationem totius hominis, & faciunt totum, quod ad illos attinet secundum leges positas à Deo in illorum ordine.

Objicies 2. homo attingit unionem animæ ad novas partes corporis acquisitas per nutritionem, & augmentationem, ergo & ad primam animationem. Prob. conseq. non est major ratio de uno, quàm de altero; ergo, &c.

Resp. neg. conseq. & ant. prob. quia virtus nutritiva invenit corpus, quod nutrit, & augmentat animatum, quod non facit mater in prole, quam format.

Fatendum tamen cum Scoto, [1] quòd, si patris actio, qua decidit semen *suum*, *decideret immediatè prolem*, *veriùs esset pater*, *& multò perfectius*, *quàm modò sit*. Quia illud, quod esset de ipso, verè esset terminus actionis, at eo modo, quo de facto concurrit; semen decisum, non verò filius est terminus suæ actionis generativæ, imò & potius materia filii, ad cujus generationem requiruntur tot immutationes intermediæ.

CON-

[1] 1.d.5.q.2.H.n.13.

CONCLUSIO VI.

S*Emen utrumque simul, aut seorsim non est principium activum* generationis; Est Doctoris, & suorum.

Prob.1. ex Scoto; [1] *ad quid ergo semen inquit?* est ne propter generationem, *ita quod sit principium generationis activum? Dico, quod non. Dico igitur, quod nullum semen, nec aliquid in semine, est principium activum generationis.*

Prob.2. ratione ex eodem. Quando fit generatio totius viventis, imo & corporis organici, non est semen, ergo non influit activè in alterutrius generationem. Prob. ant. in generatione corporis organici semen est corruptum, à fortiori in generatione totius animalis in instanti generationis non existit.

Dices licet quoad partem sit corruptum, potest tamen manere quoad aliam.

Contra non est principium generationis quoad partem manentem (si maneat) sed quoad corruptam: ergo nulla replica. Prob. ant. nam id, ex quo fit corpus, non est causa ejus, nisi quatenus ex ejus corruptione generatur corpus, sicut ex ligno fit ignis.

Dico, *si maneat;* nec enim puto illud manere sub iisdem dispositionibus, & modo suo connaturali, in corpore genito, nec in instanti generationis, sed est alteratum per qualitates dispositivas.

Prob.3. ex eodem. Semen etiam cum omnibus spiritibus suis est imperfectius corpore organizato, quod ex illo generatur, ergo semē nō posset concurrere activè, & principaliter ad ejus generationē, etiā si maneret.

Confir. quia si semē haberet virtutem productivam formæ corporeitatis, statim illam produceret, sed hoc non facit, imò diu manet in utero feminæ, & tot subjacet alterationibus, antequàm formetur corpus, maxime in homine.

Docet tamen, quod habet aliquam activitatem alterativam sui in alteratione prævia ad generationem corporis, [2] *Ratio seminalis non est principium agendi in generatione, quia tunc non manet, sicut nec substantia, quam consequitur, sed tantum est ratio agendi in alteratione præcedente generationem.*

Quæ-

[1] 2.*d*.18.*q*.2.*g*.*n*.8.*&* 10. [2] 3.*d*.4.*n*.13.*E*.

Quæres, An semen sit corpus homogeneum.

Respondeo, Scotum [1] non se positivè declarasse quoad hoc, nam aliquando videtur supponere, quod sit homogeneum, & propterea negat ipsum concurrere activè ad generationem. [2] *Si semen est uniforme, inquit, non potest per aliquem gradum entitatis suæ, vel per qualitatem suam se ipsum corrumpere, vel promovere ad ulteriorem gradum*. Præterea *principium uniforme non est principium activum difformitatis, nisi principium sit difforme*; &c.

Tamen in Textibus allatis pro conclusione ultima, fatetur illud esse activum, & se ipsum alterare, & in ipso esse partes rariores, & densiores, seu Spirituosas, & materiales. Materiales, & crassiores sunt materia fetus, Spirituosæ sunt velut activæ, & inest eis virtus alterativa, & formatrix organorum, & illud esse heterogeneum, probabiliùs censent ejus discipuli insigniores.

QUÆSTIO III.

De Generatione Viventium, & nascentium ex putri.

Quædam viventia generantur ex Putri, quædam solum ex semine, ut Equi, Leones, &c. quædam utroque modo, ut Ranæ, & vermes, & muscæ. De nascentibus ex semine diximus quæst. præcedenti pauca restant de nascentibus ex putri, & quærimus quænam sit eorum causa efficiens. Refert Scotus [3] opinionem quorumdam, qui putant, quod in generatione ex putrefactione imprimitur à corpore celesti virtus aliqua similis illi, quæ est in semine propagantis, quæ virtus ibi est ratio seminalis, alii intelligentiis, alii soli, alii celis has generationes tribuunt.

CONCLUSIO I.

Deus est causa efficiens animalium nascentium ex putri.

Prob.

[1] *2.d.18.q.26.n.8.cit.* [2] *Mastr.hic.disp.8.n.20. Carnellus de Anima disp. 1. sect. 15. & 2.*

[3] *7. metap. q. 12. n. 6.*

Prob.1. ex principiis Scoti, & aliorum communiter; *In effectibus certis, quorum causa particularis, & immediata non potest commode assignari, recurrendum est ad causam primam*; sed ita est de generatione nascentium ex putri: ergo est eorum efficiens. Prob. min. repellendo alias, quæ assignantur.

1. Enim non rectè dicitur ea effici ab anima mundi, quia hæc anima est ficticia, ut probatum est.

2. Nec intelligentia, sive Angelus, quia Angeli non aliter agunt, & producunt, quàm applicando activa passivis.

3. Nec cœli, quia, ut diximus, cùm non vivant, non possunt per se producere viventia.

4. Nec calor, quia, ut diximus in Physica, accidens non causat immediatè substantiam.

5. Nec animal simile vagũ, v.g. *rana vaga* Ranam, quia effectus determinati causa debet esset determinata; ergo. Nulla alia rationabiliter assignari potest causa efficiens determinata, & immediata præter Deum.

Confir.ex eodem, [1] contra eos, qui docent generationes esse ex virtute seminali, nam, ubicumque est talis virtus, non pendet ab agente extrinseco ad suum producendum effectum, & actionem propriam, sed hoc non habet materia illa, quia non producit illa viventia absente agente extrinseco, ergo &c.

Objicies 1. Deus non movet creaturas nisi Metaphoricè, & in ratione finis: ergo non est causa Physica horum animalium. Prob.ant. ad motum Physicum debet esse proportio inter movens, & motum, sed nulla est inter Deum, & materiam putri, ergo non potest eam movere Physicè ad talem generationem.

Resp.neg.ant.& min.prob. Nam qualiscumque proportio requiratur inter agens, & passum, seu movens, & motum, sufficiens reperitur, ut Deus creet, & infundat animam rationalem, & ut concurrat efficienter, & immdiatè cum omnibus causis secundis, &c. non enim requiritur proportio in entitatibus, sed in potentia activa in agente, & passiva in materia.

Objic. 2. Deus est causa communis omnium; ergo non est causa particularis, & proxima.

Respondeo neg. conseq. aliter non esset causa proxima creationis animæ rationalis. Deus per se ipsum, & se

[1] *ibid.*

& se solo potest facere efficienter, quidquid efficere potest cum creaturis, & per creaturas.

Inst. Deus sibi reservavit hominis formationem, Animalium verò, & plantarum generationem commisit terræ, aquis, & aeri: Dicens [1] *germinet terra herbam virentem, &c. producant aquæ reptibile animæ viventis, producat terra animam viventem in genere suo*; ergo disparitas est de homine, & bestiis; illius enim formationem sibi reservavit: *faciamus hominem*; illarum productionem *terræ, & aquis*, ergo Deus non causat hæc animalia.

Respondeo neg. ant. saltem quoad sensum difficultatis; nam eadem Scriptura notat, quod Deus produxit [2] *cælum, & terram, & omne virgultum Agri, omnemque herbam, creavitque Deus cete grandia, & fecit Deus bestias terræ*. Per illa autem verba instantiæ significatur, quod illa fecit ex terra velut ex materia præexistente, & animas eorum per eductionem; animam verò nostram per creationem.

CONCLUSIO II.

C*Ausa materialis horum viventium est substantia putrida, & concocta; formalis verò, est anima vegetans, aut sensitiva, & quidem ejusdem speciei cum animabus eorum, quæ nascuntur ex semine.*

De prima parte non est difficultas, ideo enim dicuntur genita ex putri.

Prob. quoad 2. ex Scoto, [3] nam *ex Augustino*, inquit, *generata per putrefactionē propagat iterum alia propagantia, propagātia autē sunt univoca generatis a se; ergo propagata, & generata per putrefactionē sunt univoca, & qui hoc negaret de Animalibus, nō posset negare de plantis, quia æquivocè genitæ, hoc est, non ex semine, postea producunt univocè semen, ex quo generantur plantæ aliæ ejusdem speciei*. Dat alia verba sancti Augustini. [4] *Multa genera animalium sine parentibus ex terra procreantur, quæ tamen pariunt coeundo ipsa sui similia, nec propter diversitatem nativitatis intersit aliud ad naturam eorum, quæ procreata sunt ex terra, & eorum, quæ ex illis coeūtibus orta sunt, similiter enim vivunt, & moriuntur, quamvis dissimiliter nata sint.*

2. *Idem*

[1] *Gen.* 1.11. & 20. [2] *Gen.* 1.5. [3] 1. *d.* 2. *R. n.* 27
2. *de Trin. c.* 4. [4] *Ep. ad Deo grat.*

„ 2. Idem probat ratione, quia tam genita ex putri, „ quàm ex semine habent easdem operationes,& circa „ eadem objecta, ab iisdem conservantur, & corrumpuntur, eosdem habent motus, eadem organa, & membra, & generaliter quæcumque media possunt concludere unitatem specificam, sive ex accidentibus, sive ex operibus sumpta, concludunt „ propositum de sic generatis, ergo utraque sunt ejusdem speciei.

Objic. 1. auctoritatem Aristotelis, [1] *quæ non ex coitu, sed ex putri materia oriuntur, ea generant quidem, sed genere diversum, quodque gignitur nec mas, nec fœmina*, talia sunt nonnulla ex genere oviparorum, & alibi docet, quod quidam pisces ex limo gignuntur, qui cum aliis sunt eodem genere, sed specie distincti, ergo, quæ sunt ex putri, non sunt ejusdem speciei cum genitis ex semine.

Resp. neg. conseq. Nam licèt de aliquibus imperfectioribus id verum esset, ut putat Arist. non sequitur id ita esse de omnibus, unde ait, *talia sunt nonnulla insectorum*. Idem dicitur de piscibus.

Objic. 2. Quæ habent diversam materiam, habent diversam formam, & specie differunt: sed nata ex semine, & ex putri habent diversam materiam, ergo & formam, ergo & specie differunt.

Resp. dist. maj. Diversam materiam primam, conc. maj. & neg. min. nam in utrisque est eadem materia prima, diversam materiam secundam, neg. maj. & conseq. nam ignis ex aere, & ignis ex ligno habent diversas materias, ex quibus sunt, non tamen diversas formas, nec specie differunt, ita est de aliis, modò non essent talia, ut ex se non possent generari, nisi ex tali, vel tali materia determinata: id enim argueret diversitatem formarum, & specierum, sed talia non sunt illa animalia.

Objic. 3. Quod fit à casu, differt specie ab eo, quod fit per se: sed genita ex putri fiunt à casu, & quæ nascuntur ex semine, fiunt per se, ergo differunt specie.

Prob. min. Quia per accidens est, quod materia putrida sic, vel sic attemperetur, & sub tali, vel tali sydere, nec ulla assignatur causa particularis per se effectiva illorum.

[1] 1. de generat. animal. c. 1.

Resp. dist. min. Fiunt à casu impropriè, & similitudinariè, conc.min. propriè,neg.min.& conseq. prob. Illa enim ideò tantùm dicuntur casualia, quatenus non agnoscimus causam ullam secundam per se determinatam ad illa, & ideò generantur præter intentionem, sed non sunt propriè casualia, quia non generantur ex quacumque materia, nec quocumque tempore, nec quolibet modo, sed sunt ordinata saltem à causa universali, & prima.

QUÆSTIO IV.

Expenduntur breviter quædam de Generatione, & maximè de humana.

Quæri solet 1. *De modo, & tempore organizationis.*

Resp. de hoc nihil certum, tamen probabilius dicitur hoc ordine fieri. Postquam semina in matrice recepta sunt, commiscentur inter se, orificium matricis exactissimè clauditur, & se se contrahit contra materiam,ut suo calore foveat. Tum ex utroque semine segregantur partes subtiliores à crassioribus,istę in circumferentiam interiorem loci pelluntur, illæ in medio asservantur. Ex crassioribus fit membrana, qua tegitur fœtus,& secundina dicitur, continens in se excrementum quoddam serosum, in quo fœtus veluti natat. Ex spirituosis formatur fętus, accedente menstruo sanguine, ex isto fiunt partes carnosæ, ex illis partes spermaticæ, & solidiores,& sicciores,ut ossa, nervi,musculi. Per sex primos dies massa illa spumosi lactis similitudinem servat, antequam formetur fœtus, deinde incipiunt formari partes.

Post hæc, per novem dies, massa illa convertitur quasi in sanguinem coagulatum, in quo jam apparent aliquot membra, & guttæ quædam rubræ,quasi fila, deinceps massa illa solidatur, & induit perfecta delineamenta membrorum usque ad animationis tempus,quod in maribus est 40. circiter dierum, & pro fœminis octoginta,& ob id forsan per illos dies respectivè puerperæ immundæ erant in lege Mosaica, & à templo arcebantur; Medici tamen assignant tantùm pro maribus 30.& pro fœminis 40. quo casu aliud

quæ-

quærendum est motivum legis, de quo viderint Theologi.

Quæres 2. *Quænam partes in fœtu primo formentur.*

Resp. Id etiam minimè certum. Nam quidam putant omnia membra simul formari, quia omnia indissolubili nexu inter se cohærent, ut in commune bonum totius compositi simul conspirent. Alii *spinam* primò formari putant, quasi carinam in mari. Alii *caput*, alii *grandiores pedis digitos*. Alii magis communiter primogenituram deferunt *jecori*. Alii *cordi*, quod dicitur primum vivens, & ultimum moriens, alii *tres istas partes simul*, & primò produci; & designari in tribus supradictis guttulis, sc. *cor*, *jecur*, & *cerebrum*. Quinam probabiliùs divinent, aliis relinquo judicium.

Quæres 3. *Quid fiat post organizationem fœtus.*

Resp. quod ipso instanti organizationis advenit anima, quam Deus solus creat, & infundit (an præcedant tempore vegetativa, & sensitiva, dicetur suo tempore, & exinde incipit propriè nutriri, & augeri trahens alimentum per venam umbilicalem, quod deinde jecur recipit, & cæteris membris distribuit, nondum tamen movetur fœtus propter imbecillitatem cerebri, & mollitiem nervorum: sed hæc paulatim à calore exsiccantur, & solidantur, ita ut *mas* 3. mense, & *fœmina* 4. incipiat se movere, & calcitrare, & identidem facit, donec robustior, & perfectus prodeat in lucem, quod contingit nono mense, & aliquando in sexto, septimo, vel sine uteri conatu, ut mole fœtus, & excrementorum se exoneret, sive proprio infantis motu, quo secundinam rumpit.

Quæres 4. *Unde oriatur similitudo pueri cum parentibus.*

Res. 1. Similitudinem in specie esse à natura ipsa agentis univoci, qui ita suam actionem determinat ex se, ut fœtum sibi in specie similem producat.

Resp. 2. Similitudinem in sexu venire ex vi materiæ seminalis, de quo viderint medici.

Resp. 3. Similitudinem in effigie, quæ maximè attenditur penes colorem, & membrorum figuram, ac vultus delineamenta venire 1. ex temperamento, ex ejus enim varietate oritur varietas colorum, imò & aliqualis delineatio partium. 2. virtus formatrix à pa-

rentibus impressa semini. 3. Solis, Cœlique natura, & conditio, astrorumque influxus: hæc enim, ut ad hominum ingenia, ita & ad qualitatum compositionem modificandam conferunt multum. Uno verbo, causa præcipua similitudinis sunt ipsi parentes, & eorum temperamentum, unde si prævalet virtus seminalis à patre, similior erit patri, si à matre, similior est illi, &, quod sepè contingit, nascuntur similiores avis, & atavis.

Obiter etiam notatur, plurimum conferre imaginationem matris, ex qua fit, ut infantes nascantur notati variis maculis, & figuris. Hoc autem Avicenna putat fieri, quia facultas imaginatrix alterat humores, commovet spiritus, & sanguinem, & ex iis motionibus imprimuntur illi colores, & figuræ in ipso fœtu, cujus materia tenuis, & mollissima est. De his satis.

DISPUTATIO VII.

De Nutritione, & Augmentatione viventium.


Iventium primę facultates sunt generativa, qua propagantur, nutritiva, qua conservantur, & augmentativa, qua dilatantur, & crescunt. De prima mox dicebamus: De aliis hic agendum, quamvis remitti potuissent ad tractatum de Anima. Sed quia proximæ unt, & sequuntur generationem viventium, non immeritò hic examinantur.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit Nutritio, & nutrimentum.

GEnerativa facultas dignitate prima est, ordine temporis ultima, quia vivens prius nutriri, & crescere debet ad justam mensuram, ut sit generationi activæ aptum, sed ubi genitum est, debet primò nutriri, & sic facultas nutritiva est prima in exercitio, 2. est augmentativa, 3. generativa, ut dixi.

Porrò harum facultatum existentiam probat experientia, nam in vegetabilibus, ut plantis, videmus eas statim, ac natæ, vel plantatæ sunt, nutriri, seu alimentum trahere à terra, quo vigorantur, 2. crescere extendendo ramos, & folia, & tandem producere fru-

fructus, & semina, quibus propagantur.

Nutritio largè sumitur pro conversione quacumque corporis unius in alterius substantiam, quomodocumque fiat, sive per *intus susceptionem*, sive per *juxta positionem*, & sic pertinet etiam ad non viventia, nam ignis dicitur nutriri per lignũ, quod illi opponitur propriè, & strictè; pro conversione alicujus substantię in substantiam alterius virtute intrinseca, & vitali per *intus susceptionem* alimenti secundum omnes partes aliti, & sic est propria viventium, & de ista hìc agimus. Duo dicit, quæ tamen vix separantur. 1. dicit conversionem substantiæ in partem alterius jam existentis, & manentis, & sub hoc sensu præcisè dicitur *aggeneratio*, seu *generatio substantialis* accedens alteri jam existenti, & manenti, ut cum succus terræ mutatur in caudicem, ramos, folia arboris. 2. partis deperditæ instauratione per alimenti conversionem, & sic præcisè dicitur *nutritio*.

Supponitur etiam, quòd calore nativo viventis semper aliquid humidi radicalis, seu primigenii absumitur, ideo, nisi adjectione pabuli resarciretur id, quod absumptum est, brevi extingueretur vita. Ob id natura vim altricem animæ cuilibet indidit à generativa distinctam, cujus partes sunt attrahere succum alimentarem virtute quadam sympatica, expellere excrementa, & superflua, vel nociva, seu contraria per vim antipaticam, concoquere convenientia per calorem innatum, & concocta assimilare, atque aggenerare substantiæ suæ. Dicitur verò ille, *calor innatus*, quia ab initio vitæ comitatur vivens. Dicitur & *naturalis*, quia ad omnia vitæ opera est instrumentum naturale, & inhæret humido radicali, seu carni, & talis est naturæ, quòd nisi ei detur alimentum, consumit humidum, exsiccatur, & arescit, & tandem moritur vivens.

Nutrimentum, seu *Alimentum*, quod est objectum potentiæ nutritivæ, est id, ex quo fit nutritio, & duplex est, 1. *remotum*, est materia, quæ in cibum sumitur, & debet alterari, & concoqui antequam convertatur, 2. *proximum*, quod immediatè convertitur in substantiam viventis, ut succus in arboribus, humor, vel sanguis in animalibus, &c. His prælibatis quærimus, quid sit propriè *nutritio*, &

quid *Alimentum*? An id possit competere accidentibus, an soli substantiæ?

CONCLUSIO I.

Nutritio aptè describitur aggeneratio partis substantialis ad substantiam viventis, cujus virtute vitali fit transmutatio alimenti in suam substantiam.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd per nutritionem alia *pars nova restauratur, & fit quædam ingeneratio, ideſt intrinseca generatio partis novæ loco partis antiquæ, quæ fluxit*, item, quòd in nutritione, [2] *est quædam generatio extendendo generationem ad omnem inductionem formæ substantialis in materiam post privationem, quia materia alimenti non manet sub forma alimenti, nec sub aliqua alia, quam sub forma nutriti, & illam recipit post nutritionem, &c.*

Prob. 2. ratione, quia sic aptè, & sufficienter explicatur natura istius actus vitalis. Dicitur 1. *aggeneratio*, & ponitur loco generis; per id enim convenit cum omni nova productione ex materia, & in materia. 2. *partis substantialis*, & per id iam distinguitur ab augmentatione, quæ terminatur propriè ad quantitatem: & alteratione, quæ terminatur ad qualitatem. 3. *virtute vitali viventis*, & per hoc distinguitur à nutritione impropria, & lata, quæ fit per *juxta positionem*. 4. *per quam fit transmutatio alimenti*, &c. ut melius distinguatur à generatione absoluta, per quam totum mutatur in totum.

CONCLUSIO II.

Datur hujusmodi vera nutritio, per quam acquiritur nova substantia. Est communis contra Lombardum tenentem, quòd vivens nunquam acquirit novam substantiam.

Prob. 1. ex Scoto citato. In nutritione [3] *est aliqua generatio*, &c. dicitur, *aggeneratio, vel potest dici ingeneratio, quia est generatio partis in toto, cujus non fuit pars*, imò non solùm novam materiam dicit aggenerari, sed etiam novam formam partialem, sc. & ma-

[1] 4. *d.* 44. *q.* 1 *N. n.* 12. [2] *ibid. C. n.* 7. & *Repert. ibid.*
[3] 4. *d.* 44. *q.* 1. *C. n.* 7.

& materialem. 2. In illa *generatione tali, quali, forma carnis, quæ inducitur in materiam nutrimenti, nova est.*

Prob. 2. ratione ex eodem. Quia per calorem deperduntur semper aliquæ partes sanguinis, & carnis, ut patet experientia, maximè in ægrotis, & cum sanitate recuperantur illæ partes, & in pristinum statum restituitur animal, sed illa restauratio fit per nutritionem, ergo, &c.

Confirm. Quia evidens est plantas, bestias, & homines crescere, & decrescere in substantia, ergo per nutritionem acquirunt novam substantiam.

Objic. 1. ex Scriptura, [1] *quod intrat in os, in secessum exit*, ergo non datur nutritio, per quam alimentum convertatur in substantiam viventis.

Resp. neg. conf. Non enim dixit ibi Christus dominus, quòd totus cibus, qui sumitur, ejiciatur, sed tantùm quoad superflua, & excrementa.

Objic. 2. Partes illæ substantiales deberent uniri animæ ex vi nutritionis: sed hoc est impossibile, ergo non generatur per nutritionem; Maj. patet, quia vivunt cum aliis, & eadem vita. Prob. min. Facultas materialis non potest attingere ad substantiam spiritualem, ut est anima rationalis, ergo nec causare unionem substantiæ ad illam, ergo nova substantia non unitur animæ in homine.

Resp. neg. min. & ultima conseq. prob. Quia si facultas nutritiva, & acquisitiva novæ substantiæ non possit attingere unionem illam ad animam rationalem, fieri à Deo, à quo anima creatur, & infunditur, & conservatur, non est major difficultas de potentia nutritiva, quàm generativa quoad hoc; eadem enim est ratio de toto, ac de parte; si una non attingit unionem illam, ita nec alia.

CONCLUSIO III.

NEque pura accidentia, nec odores possunt verè nutrire, benè verò liquores, ut vinum, & fortè elementa.

Prob. 1. p. ex Scoto. [2] Quia ex textibus adductis patet, quòd nutritio est quædam generatio substantiæ novæ, seu materiæ, & formæ substantialis partialis, ergo non potest fieri ex accidente. Prob. conseq. Nam accidens non potest naturaliter converti in substantiam,

[1] *Marc. 7. 19.* [2] *ibid.*

stantiam, ergo nec ullum accidens potest informari forma substantiali viventis per nutritionem, & dimensio, seu quantitas non potest habere rationem materiæ respectu formæ substantialis, &c. unde negat; aliquem posse nutriri ex speciebus, seu accidentibus Eucharisticis, ergo ex Scoto [1] accidentia separata à substantia non sunt nutritiva.

Prob.2. ex eodem. [2] Quia accidentia non possunt habere rationem subjecti, seu materiæ respectu formæ substantialis, ergo nec esse materiæ nutritionis. Prob. ant. Forma determinata ad perficiendum unum subjectum, seu receptivum, non potest aliud perficere genere diversissimum, sicut nec albedo potest perficere Angelum: sed forma substantialis viventis est determinata ad perficiendum subjectum genere diversissimum ab accidentibus, nempe materiam substantialem, ergo non potest informare purũ accidens.

Confirm. Quia de conceptu essentiali accidentis est inhærentia, & dependentia à substantia velut à sustentante, ergo ipsis repugnat sustentare ipsam substantiam, qualis est forma viventis. Vide alias rationes apud Doctorem cit.

Prob.2.p. de odoribus. Nam vel sunt pura accidentia, & sic pro illis curret idem argumentum, vel sumuntur pro quibusdam vaporibus substantialibus, & nec sic etiam possunt nutrire. 1. quia ex Aristot. [3] illi vapores non sunt incrassabiles: sed quod non est incrassabile, non est nutritivum, ergo nec illi vapores. 2. Et melius, quia odores non recipiuntur in locis, ubi conficitur naturaliter alimentum, sc. in stomacho, hepate, & corde: recipiuntur enim in cerebro, ubi nullum est instrumentum concoctionis alimentorum.

Prob. 3. de vino, ex præcedenti. Nam vinum est incrassabile, & recipitur in stomacho cum cæteris alimentis, ergo est aptum nutritioni, & hoc confirmatur experientia eorum, qui per plures dies vivunt sine alio alimento præter vinum, & de aliis, qui multum bibentes, parum manducant, & nihilominus impinguantur.

Prob. denique de elementis. Nam serpentes nutriuntur

[1] *ibid.* [2] *4. d.12.q.6. A.n.7.* [3] *L.3.de An.t.64. & 1. de sensu, & sens. c.5.*

tur terra, quam comedere jussi sunt à Deo. [1] *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*; idem dicitur [2] de talpa, & de lupo. Capitones, & testaceæ dicuntur ali de limo, & luto, quod ex aqua, & terra coalescit, Anguillæ nutriuntur de aqua, & quo purior est, eo aptior est illis. Chameleon ex aere vivit. Pyraustæ, quædam bestiolæ muscis paulò grandiores in igne vivunt, & extra ignem pereunt, idem asseritur de salamandra, ergo elementa nutriunt.

Objic. 1. contra 2. p. Spiritus, & cerebrum confortantur odoribus, ergo odores nutriunt. Ant. prob. variis experientiis ex historia ductis. Nam Democritus odore panis calidi, & vini quatriduò vitam sustentavit, quidam populi Indiarum ad Gangis fontes solo odore, & halitu florum, & pomorum vivunt, &c.

Resp. neg. conseq. Aliud enim est nutriri, aliud confortari: cerebrum est frigidum; odores sunt calidi, & ideò illis confortatur, non verò nutritur, possunt etiam illi vapores per suam humiditatem defendere spiritus contra siccitatem nimiam caloris, saltem per aliquod tempus, & ita sustentabatur Democritus, non per verum nutrimentum: possunt etiam halitus illi per suam subtilitatem, & attractionem stomachi per poros usque ad stomachum penetrare, & ibidem incrassari, & inde nutrire Indos.

Objic. 2. contra 1. p. Si vinum nutriret, frangeret jejunium: sed hoc est contra Theologos, ergo non nutrit.

Resp. neg. conseq. Nam Ecclesia solùm prohibuit in jejunio cibos, qui ex usu humano, ac ordinario nutriunt, & quidem multum, & ad hoc sumuntur per modum ciborum, non autem vinum, aquam, cervisiam, & hujusmodi, quæ sumuntur per modum potus.

Objic. 3. contra 4. p. Nutrimur iisdem, quibus constamus: [3] sed omnia viventia sunt mixta, elementa verò sunt simplicia, ergo elementa non nutriunt.

Resp. dist. maj. Ita ut non nutriamur ex illis, vel seorsim, vel simul, conc. maj. ita ut non nutriamur ex illis, nisi sint simul, neg. maj. constamus elementis, & ex illis nutrimur, vel mixtis, ut nos communiter, vel seorsum, ut plantæ aqua, & terra, pisces aqua, &c.

[1] *Gen. 1.* [2] *Plin. & Arist.* [3] *Arist. de Gen. c. 50.*

Inst. Singula elementa non sunt incrassabilia, ergo per nos non possunt nutrire. Prob. ant. Calor est instrumentum ordinarium incrassationis, sed hic non potest incrassare omnia elementa, ergo omnia non sunt incrassabilia. Prob. min. Nam aqua evolat quidem, sed nunquam incrassatur per calorem: aer etiam potius rarescit, & attenuatur per calorem: terra vel induratur, vel abit in cineres indigestibiles, & ignis, quo calidior, eo tenuior, ergo Elementa non incrassantur calore.

Resp. dist. ant. 1. & min. 2. & conseq. 3. argumenti. Non sunt incrassabilia in propria forma, & substantia, conc. ant. non sunt convertibilia in substantiam mixti, in qua incrassantur, neg. ant. & ratio patet ex dictis de elementis, & de illorum generabilitate, & corruptibilitate, unde aer, & ignis possunt converti in terram, quæ est crassa, & corpulenta, ipsi verò in propria forma sunt rarissimi, & tenuissimi.

Objic. 5. Alimentum debet converti in substantiam aliti virute caloris: sed hoc non potest fieri de puris elementis, ergo non possunt nutrire. Prob. min. Ad hoc præstandum calor naturalis debet esse fortior qualitatibus elementaribus, sed non est fortior, quia illæ sunt summæ, iste temperatus, ergo.

Resp. neg. min, & dist. maj. prob. Debet esse fortior qualitatibus elementorum in virtute, & proportione, conc. maj. & neg. min. in intensione, neg. maj. & conseq. alioqui ne mixta quidem possent nutrire, quia in eis sunt qualitates elementares. Sufficit ergo prævalentia caloris in virtute, quæ consistit in hoc, quod plus habet activitatis, proportione servata, quàm illa elementa convertibilia habeant resistentiæ.

QUÆSTIO II.

De Potentia nutritiva, & actu nutritionis, de fame, & siti, calore, & humido.

POtentiæ *nutritiva*, & *augmentativa*, ut diximus, spectant ad animam vegetantem, Illa definitur ab Aristotele, *potentia, qua vivens conservat seipsum, quatenus est hujusmodi*, id est, prout est in hoc individuo, quia tendit ad conservationem indivi-

dividui. Est igitur virtus quædam animæ vegetativæ residens in omnibus partibus animatis, quia illæ nutriri debent, hæc virtus est principium transmutationis alimenti in substantiam aliti, attingitque substantiam de novo generatam. Quapropter malè aliqui hanc facultatem constituunt in calore naturali, aut temperamento, quia calor, & temperamentum sunt qualitates, & accidentia: quæ non attingunt substantiam, calor verò est tantùm potentia nutritiva instrumentalis, quia est instrumentum hujus potentiæ, per quod alterat, & transmutat alimenta.

Quomodo hæc facultas distinguatur ab anima sua, & ab aliis facultatibus ejusdem, dicemus tract. de anima.

Actus verò nutritionis perfectus, & ultimatus est ille, quo sanguis, aut alius humor ultimò dispositus propriam formam amittens convertitur in carnes, vel ossa: uno verbo, in substantiam aliti. Est enim species aliqua veræ generationis, ut diximus: alii præcedentes actus sunt alterativi, & dispositivi ad nutritionem.

Porrò potentia nutritiva plures alias virtutes, seu potentias amplectitur, quæ omnes suo ordine concurrunt, prima dicitur, *virtus alterativa*, qua partes omnes trahunt ad se alimentum conveniens, & maximè illæ, quæ præparare, vel immittere, vel deferre debent alimentum ad alias, ut radices in plantis, ventriculus, hepar, & venæ in animalibus. 2. *Retentiva*, qua partes retinent alimentum præparandum, aut convertendum, ut stomachus. 3. *Expulsiva*, qua rejiciunt à se noxia, vel inutilia, vel subministranda aliis. 4. *Secretiva*, seu *separativa*, qua puriores alimenti partes ab impurioribus secernuntur, nam in singulis coctionibus depuratur alimentum, & aliqua superfluitas expellitur. 5. *Appetitiva*, qua quælibet pars viventis appetit alimentum sibi conveniens. 6. Plures virtutes concoctivę, quibus diversimodè alterantur, mutantur, & digeruntur, ac perficiuntur alimenta, prout singulis partibus conveniunt, v. g. in stomacho *chylificativa*, in hepate *sanguificativa*, &c. Et hæ omnes integrant potentiam nutritivam.

Quoad actum nutritionis plures etiam alii praecedunt, qui sunt praeparatorii, quia cum cibus nimiùm distet à substantia viventis, debet per plures actiones alterari, immutari, & perfici, ut reddatur proximè dispositus, & convertibilis in illam, & illi actus dicuntur *coctiones*, seu *digestiones*.

Coctio, seu *digestio* [1] est *perfectio facta à calore naturali, & proprio de oppositis passivis, quae propriè cuique materiae existunt*. Dicitur 1. *perfectio, id est, actio perfectiva*, quia mixtum per digestionem ulteriùs perficitur, & temperatur ad certos usus naturae congruentes, & aptius redditur: nam quando cibus est imperfectus propter excessum humiditatis, calor consumit humidum excedens, & ad debitam proportionem reducit: calor, inquam, tum nativus, tum etiam extrinsecus, Solis, ignis, & qui non parum juvat nativum.

2. Dicitur *ex oppositis passivis*, quia calor exsiccat humidiora, ut superfluum tollatur, sicciora attenuat, ne nimis sint terrestria, &c. Et hae qualitates sunt oppositae.

Ex *Coctione* oriuntur istae qualitates. 1. *caliditas*, nam cocta sunt calidiora crudis, proportione servata, & nisi mutentur substantialiter, ut cum sanguis recoctus mutatur in lac, quod est frigidius sanguine. 2. est *dulcedo*, quia cocta fiunt dulciora crudis; fructus crudi sunt acerbiores coctis. 3. *crassities*, quia, ut dicebamus, calor exsiccat, & absumit humiditatem: hinc excrementa humana judicantur cocta, & laudabilia, si sint crassiora, & communiter dicitur, omnia, quae coquuntur, crassescere, modò non fiat mutatio substantialis, aut separatio partium crassiorum, v. g. mustum depositis fecibus, aut distillatum fit tenuius; quia partes magis spirituosae, & subtiles segregantur à terrestrioribus.

Coctionis tres sunt species. 1. *maturatio*, postea *perfectio, quae ortui naturali succedit*, ut maturatio fructuum post illorum ortum in arbore. 2. *elixatio*, quae *fit à calore humido non pingui ejus indeterminati; quod est in humido*, dicitur 1. *à calore humido*, quia si esset à sicco, esset *assatio*: fit ergo in humido, & quidē non pingui, sc. in aqua, vino, aceto: nam in pingui, v. g. adipe,

[1] *Arist.* 4. *Meteor.* c. 3.

adipe, oleo, butyro, fit *frixatio*, quæ est potiùs *assatio*. 3. *indeterminati*, idest, *humidi*, quia calor agit in humidum, & quidem superfluum, & abundans, quod extrahit, & expellit, ideò sicca, ut lapides, & metalla, osa, ligna, &c. quæ nullam, aut modicam habent humiditatem, non elixantur. 3. *assatio*, sc. *coctio humidi interni facta à calore sicco absumente humidum superfluum, reliquo magis collecto, & contracto*. Dicitur 1. *humidi*, nam, quæ elixantur, etiam assantur, sed à diverso calore lignum non assatur, sed uritur. 2. *reliquo magis contracto*, quia assata in superficie indurescunt, internè verò sunt humidiora, quia calido sicco adurente constringuntur, & clauduntur pori exteriores, & quasi incrustantur, ideò humiditas recluditur intus, & contrarium accidit in elixatis, quæ in superficie sunt humidioras, & intus ficciora.

Quatuor fiunt alterationes ciborum, & tres coctiones. Prima alteratio fit in ore per *masticationem*, ubi alimentum dentibus conteritur, & saliva, modicoque calore alteratur, quò enim magis conteritur, eò faciliùs digeritur, & citiùs, sic alteratus cibus demittitur in stomachum. Hic fit 1. *coctio*, seu *chylosis*, quæ est alteratio, seu *hematosis*, & ex vi illius pars incrementitia dejicitur ad intestina, altera verò in substantiam, velut albam convertitur, quæ dicitur *chylus*. Idem *chylus*, inde per venas *mesaraicas*. Olim dicebatur à Philosophis demitti ad jecur, sed hodie id fieri per venas lacteas, noviter inventas communiter creditur à medicis, in *jecore* autem fit tertia alteratio, & 2. *coctio*, seu *sanguificatio*, & per illam *chylus* dividitur in tres substantias. 1. quæ est *terrestrior*, dicitur *atra bilis*, & descendit à *jecore in lienem*, 2. quæ est levior, dicitur *cholera*, seu *flava bilis*, & quasi spuma aliis supernatat, & ascendit in *folliculum*, seu *vesicam fellis*. Addi posset 4. quæ dicitur *pituita*, & in jecore etiam coquitur, estque sanguis semicoctus, & cum illo fluit in venas quasi vehiculum ejus, illumque temperat. 3. inter utramque media dicitur sanguis, qui per venam cavam magnam dispertitur in omnes partes corporis, & in his fit 4. alteratio, & 3. *coctio*, seu *assimilatio*, per quam ultimò alimentum transit in substantiam aliti.

Porrò in his omnibus coctionibus semper depuratur ali-

alimentum, & separatur superfluitas, seu materia impurior. In prima secernitur à *chylo* fex, sive stercus, in 2. secernitur *urina*, in 3. superfluitates impuriores ejiciuntur per nares, aures, apostemata, pilos, ungues, & poros, seu sudores.

Denique, quia animalia non habent semper in promptu cibos, seu materiam alimenti applicatam, ut plantæ, ideò moventur ad illam quodam appetitu, qui dicitur fames, aut sitis. Quando enim deest alimentum membris, hæc sugunt *venas*, istæ *jecur*, hoc *venas lacteas*, aut *messaraicas*, ut aliis placet, quæ pertingunt ad stomachum, quem istæ exsugunt, hic verò vacuus corrugatur, & inde dolet, & maximè circa os suum, quod inficitur humore acido ex splene effuso. Hic enim humor sua mordacitate dolorem auget, deficiunt quoque spiritus vitales in toto corpore: & hinc debilitatur, & languescunt vires, quas illi spiritus fovebant. His movetur animal ad quærendos cibos convenientes.

Fames, autem definiri solet appetitus calidi, & sicci; *sitis* verò appetitus frigidi, & humidi: sed hæ definitiones Aristotelicæ petuntur non ex causa efficiente, sed finali; melius definiretur *fames*, *sensio divulsionis ventriculi orta ex attractione alimenti*. Id est dolor, quem efficit divisio, & corrosio partium ventriculi per attractionem corrodentem, cum deest alimentum. Dicitur, *ventriculi*, non quod etiam aliæ partes non doleant, sed quia dolor ibi precipuus est. *Sitis* verò describi potest, *sensus vellicationis factæ potissimùm in ventriculo, œsophago, & faucibus ex attractione potus*.

Potus autem prodest nutritioni, 1. quia vehit alimentum, eique sua tenuitate per meatuum angustias, & venarum flexus viam aperit. 2. juvat concoctionem, illam præsertim, quæ fit in stomacho, est enim elixationi similis, non assationi. 3. elicit ex alimento succum utilem, dum ejus partes quoquo versum permeat, sicut torcularii ad eximendum oleum saccos olivis refertos perfundunt aqua calida. 4. denique temperat membrorum siccitatem, & sanguinis fervorem, & sic retardat humidi radicalis consumptionem contra caloris voracitatem.

Quæres. *Quid sint spiritus vitales, & unde generentur.*

Resp.

Resp. 1. Spiritum vitalem esse *corpus tenuissimum calidum, & purum, quod ex subtilissima sanguinis portione generatur, estque vinculum animæ, & corporis*. Hoc sensu aer, & venti etiam dicuntur spiritus, non quod sint expertes materiæ, sed quia sunt corpora subtilissima, & imperceptibilia.

Resp. 2. quòd purissimæ partes sanguinis in jecore confecti per communes aditus deducuntur ad cor, in cujus lævo sinu recalescunt, & ab eo velut fonte vitæ vim quandam vitalem accipiunt admixta puriori, & subtiliori parte aeris per respirationem attracti, itaque sanguis ille purissimus, calore cordis subtilizatus ex mixtione aeris, quasi spiritualizatus à vitali cordis virtute dicitur vitalis. A corde autem partim per arterias toto corpore diffunditur, & ad ipsummet redit circulariter; hi spiritus dicuntur vitales.

Altera verò pars sursùm viam capescit, & in sinus cerebri evadit, ubi cerebri virtute innata magis attenuatur, & penè fit æterna, accipitque temperiem quandam ad functiones animales aptas, ad quas administrandas per nervos dispensatur, & isti dicuntur *animales*.

Quæres 2. *Quid sit humor*, seu *humidum radicale*?

Resp. esse illud instrumentum, quo anima operationes suas exercet, & describitur *substantia pinguis, & oleaginosa per viventis partes diffusa, ut innato calori præbeat alimentum*. Dicitur, *radicalis*, quia sicut radices arboribus alimentum subministrant, sic iste humor. Dicitur, *substantia pinguis, & oleaginosa*, quia hic humor, nisi sit pinguis, & viscosus, sed sit tenuis, nō benè cohæret, nec diu fovet ignem; tenuis facilè dissolvitur, & dissipatur. Solet etiam vocari *primigenius*, quia à natura inditur in ipsa generatione, vel, *alimentitius*, quia maximè ad nutritionem concurrit, quippe per abditos corporum recessus spargitur instar roris cujusdam, ut ignem, seu calorem nativum nutriat.

Quæres 3. *Quid sit calor naturalis*?

Suppono, quòd præter *humidum radicale*, & quatuor humores, anima vegetans habet calorem naturalem sic necessarium, ut sine illo non possit nutritio peragi, 2. quòd in viventibus triplex est calor, *cælestis* ab astris, & maximè à Sole manat; *Elementaris* convenit viventibus ratione mixtionis, *naturalis*, de-

denique, seu *vitalis*, qui ipsis ab initio generationis à natura inditus est secundum propriam cujusque exigentiam, ad vitæ officia obeunda, & maximè ad nutritionem, quia sine calore isto, non fit concoctio alimentorum. His positis

Resp. calorem vitalem esse *instrumentum, quo vivens utitur ad obeunda vitæ munia*, an autem distinguatur specie ab aliis duobus, affirmant medici, probabiliùs negant Peripatetici. 1. quoad sensum, nulla percipitur differentia. 2. eosdem habent effectus: calefaciunt, rarefaciunt, congregant homogenea, & heterogenea disgregant, &c. Et similem habent contrarietatem cum frigore, & unus intendit alium, uno verbo, nulla est necessitas eos distinguendi & multiplicandi specie, sufficit distinctio extrinseca, scilicet à causis, à quibus manant, & accidentalis, quatenus unus est humidior, ut vitalis, alius siccior, ut elementaris.

Rursus, calor nativus, alius est *innatus*, qui viventibus à principio vitæ convenit secundum propriam cujusque viventis exigentiam: hoc enim ipso, quod aliquis vivit, postulat ex natura sua calorem, cujus ope nutritio peragatur. Alius dicitur *influxus*, qui in animalibus locum habet, & à corde, ut à calidissima corporis parte, vel ab hepate derivatur in reliquas partes ejusdem. Primus inesse debet omnibus omninò partibus hoc ipso, quod vivunt, & nutriuntur, non adeò secundus.

QUÆSTIO III.

An vivens semper, & continuè nutriatur, & an sit idem numero in fine vitæ, & in principio.

CUm vivens omne sit mixtum, & constet qualitatibus contrariis, quæ semper inter se pugnant, calor semper aliquam partem consumit, & nisi aliunde consumpta reparetur, brevi pereat necesse est. Ideò quæritur, an omne vivens semper nutriatur quandiù vivit, & quia in illa pugna caloris, & frigidi, vel humidi, aliquæ partes consumuntur, & novæ acquiruntur, ideò videtur, quòd si animal diu vivit, accidit, quòd in fine vitæ non est amplius

idem

idem numero, qui erat ab initio, quia tota ejus primigenia substantia deperiit, & nova est acquisita, nam diximus, quòd in nutritione acquiritur & nova materia, & nova forma substantialis materialis; in homine autem remanet eadem forma spiritualis,

Rursus dubitari potest, an illi motus, sc. *deperditionis*, & *acquisitionis* fiant non solùm successivè, sed etiam continuè, adeò ut per nullam temporis morulam vivens permaneat in eodem statu, & sine deperditione, aut acquisitione. Hæc dubia breviter hìc resolvuntur.

CONCLUSIO I.

Omne vivens semper, & quandiu vivit, nutritur: sed non continuè, & absque morula, vel interruptione.

Prob. 1. ex Scoto post Philosophum, [1] quatenus docet, quòd *non omnia semper moventur, etiam motibus diminutionis, & augmentationis; idem est de nutritione, nam tale mobile benè potest quiescere per aliquod tempus, et in aliquo parvo tempore moveri illo motu*, & hoc probat *de guttis cavantibus lapidem*, &c. ergo ex Scoto gutta non continuè tollit partem ex lapide, quem cavat, ita nec calor aliquid de humore, vel carne, in quam agit, ergo neque etiam continuè aliquid novi aggenerat, licèt continuè agat.

Prob. 2. ratione, quod 1. p. Quia vivens semper, dum vivit, habet calorem, qui velut ignis vorax semper agit, ut consumat materiam sibi appositam, ergo semper debet nutriri, ne humor penitus absumatur, vel exsiccetur.

Prob. quoad 2. p. Tum quia nutritio formalis fit per conversionem substantialem alimenti in substantiam viventis: sed hæc conversio non fit continuè, ergo nutritio non fit continuè. Maj. patet ex dictis. Prob. min. Quia ad illam conversionem prærequiritur applicatio cibi, & alterationis ejus multæ, ut diximus: sed cibus non continuè applicatur, & illæ alterationes requirunt tempus, ergo, &c.

Confirm. Quia potest interrupi actio caloris, vel per im-

[1] 2 *d.* 2. *q.* 9. *O. q.* 38.

impedimenta extrinseca, vel per morbos, vel per nimiam ciborum copiam obrui, & nimium debilitari. Corpus subest morbo alicui, quem medici *Atrophiam* vocant, in quo non potest nutriri, licèt posset exsiccari, & consumi: potest per aliquod tempus non nutriri, licèt calor semper agat saltem remissè.

Objic. 1. contra 1. p. Multa animalia, quæ diu vivunt sine cibo, ursa sine cibo latitat per 40. dies, & impinguatur, glyres, serpentes, stelliones, cicadæ, crocodili fluviales toto hyberno tempore dormiunt, & sine cibo, ergo vivens non semper nutritur.

Resp. dist. ant. Hæc, & similia diu manent sine cibo externo, & remoto, conc. ant. sine cibo interno, & proximiori, neg. ant. & conseq. eo siquidem tempore digerunt succos humidos, & viscosos, & modico pollent calore, ideòque lentè consumunt illos humores, & cibos proximos, atque internos.

Objic. 2. Actio provenit ex inæqualitate virtutis agentis cum passo, unde si passum esset æquale agenti in activitate, & resistentia, non sequeretur actio in illis. Sed hoc potest contingere in viventibus inter calorem, & humorem radicalem, ergo in viventibus illis calor non consumet humorem, nec humor extinguet calorem, ergo illa non egebunt alimento. Prob. min. Potest fieri, ut calor sit ita attemperatus, ut non excedat resistentiam humidi, & si utrumque sit validum, poterit vivens exercere suas operationes, ergo, &c.

Resp. dist. min. & ant. prob. Metaph. & speculativè, id est, posset contingere, conc. min. & ant. moraliter, & physicè neg. min. & ant. Nam vivens in rerum natura tot subjacet motibus, saltem ab extrinseco venientibus, ut impossibile sit physicè hujusmodi temperamentum, vel non possit diu conservari in eo statu

Objic. 3. contra 2. p. [1] Scotus docet augmentationem non posse fieri semper, benè verò nutritionem, ergo vivens continuè nutritur.

Resp. neg. conf. Nam aliud est, quod vivens, postquā pervenit ad determinatam magnitudinem non amplius augeatur, & quod semper, & quandiu vivit, nutriatur, & aliud est, quod nullo unquā vel minimo tempore cesset actualis nutritio, istud negamus, non illud.

CON-

[1] 4. *d.* 34. *q.* 1. *L. n.* 13.

CONCLUSIO II.

Vivens non nutritur immediatè secundum omnes partes proportionales, benè verò secundum omnes aliquotas.

Prob. ex Scoto 1. quoad 1. Quia *si quælibet pars in toto quantumcumque modica augeretur propriè, necesse esset, quod auctum semper augeretur in duplo, vel saltem in notabili quantitate majori, quàm prius, quod est manifestè falsum*, &c. Idem igitur est de nutritione: nam si vivens nutriretur secundum omnes partes homogeneas, & quantumcumque minimas, & proportionales, semper duplo nutriretur: sed hoc est falsum, ergo, &c.

Prob. 2. ex eodem. Quia nutritio fit per conversionem alimenti in poris inclusi: sed illi pori non sunt in illis partibus quantumcumque minimis, ergo istæ non sic nutriuntur. Prob. min. Nam inter duos poros, seu venulas, sunt multæ, imò innumeræ partes proportionales, ut suppono ex dictis de continuo, ergo, &c.

Prob. 2. p. Quælibet pars vivit, & habet in se calorem nativum, ergo quælibet nutritur, & eget nutriri. Prob. conseq. Quia calor naturalis ibi agit vitaliter, & consumit aliquas partes: nutritio enim est actus vitæ.

Objic. 1. contra 2. p. Si nutritio non fieret secundum partes omnes etiam proportionales, sed per alimentum receptum in poris, sequeretur, eam non fieri, nisi per juxta positionem: non enim fieret ab intrinseca virtute partium: sed falsum conseq. & contra nos, ergo & ant.

Resp. neg. seq. Nam ut Scotus notat, est quidem ratione continentiæ alimenti in poris aliqualis juxtapositio, sed ex illis poris aggeneratur partibus ipsis in nutritione, & augmentatione: est quædam juxtapositio, & tamen ipsi nutrito, & aucto (sive toti, sive parti) non fit tantum juxta positio.

Objic. 2. Augmentatio fit secundum omnes partes indistinctè, ergo & nutritio. Conseq. patet. Nam augmentatio in viventibus sequitur ex nutritione. Prob. ant. ex Philosopho, qui loquitur indistinctè, & etiam

ratio-

ratione, quia diminutio per actionem caloris est in omnibus etiam minimis, ergo & augmentatio, & nutritio.

Resp. dist. ant. Augmentatio, (ita est de diminutione) insensibilis, conc. ant. sensibilis, neg. ant. & conseq. & ita est de nutritione.

Objic. 3. Dentes, & ossa cùm crescere cessant, non ampliùs nutriuntur, ergo non omnes partes aliquotæ nutriuntur. Prob. ant. tum ex duritie, tum quia cessant crescere, ergo & nutriri.

Respond. Supposito, quòd vivant, de quo infra, neg. ant. & conseq. prob. Licèt enim non crescant: nec ita facilè nutritio appareat propter siccitatem, & duritiem, adhuc tamen necesse est nutriantur, alioqui citò deficerent.

CONCLUSIO III.

Vivens, quantumcumque longævus, est idem numero in fine, ac in principio vitæ, licèt non secundum easdem omninò partes tam materiæ, quàm formæ materialis.

Ut conclusionem capias, & probes: adverte, quòd aliquid dicitur idem numero. 1. quia manet idem quoad omnes partes tam materiæ, quàm formæ, tam individuales, quàm essentiales. 2. quia etsi aliquæ partes minutiores, & materiales mutentur, tamen formales, & principaliores, & maximè essentiales, & specificæ remanent. Sic in homine partes carnis fluunt, sed anima rationalis, & multæ etiam partes corporis, v.g. ossa, nervi, musculi, &c. remanēt pro magna parte, sic in navi potest mutari arbor, aut puppis, reliquis manentibus immutatis. 3. si omnes partes penitus mutentur individualiter, seu materialiter: sed novæ similes in specie, & forma succedant, itaut nulla mutatio sensibilis appareat, quoad formas, figuras, & effectus, & essentiam, sic fluvius manet semper idem, licèt tota penitus aqua fluat semper, ac una succedat alteri.

2. Adverte, nos dixisse, viventia materialia per nutritionem deperdere, & acquirere partes substantiæ tam quoad formam corporeitatis, & materialem, quàm quoad materiam ipsam: non negamus tamen quin in viventibus, saltem perfectis, maneant aliquæ

partes

partes primigeniæ, ideſt, à nativitate inditæ, ut ſolidiores, & ſicciores, v. g. oſsa, quæ non facilè conſumuntur à calore nativo. His poſitis,

Certum eſt 1. nullũ vivens, quod diu durat, eſse penitus idem numero in fine, & principio vitæ in primo ſenſu, quia per nutritionem novas partes acquirit, & per actiones caloris alias amittit.

Certum eſt 2. quòd partes acquiſitæ ſunt quidem numero, & individualiter diſtinctæ ab aliis deperditis, aut remanentibus: ſed ſunt ejuſdem ſpeciei, ſicut aqua hodie fluens in fonte eſt eadem ſpecie cum illa, quæ fluebat heri, ſed numero diſtincta, & ſi totaliter vivens mutaretur quoad omnes partes ſicut aqua fontis, non puto dici poſse phyſicè, quòd ſit idem numero fons, ſed tantùm ſpecie, benè verò moraliter, & in æſtimatione hominum.

Certum eſt. 3. non dubitari de homine, quin remaneat idem in fine, qui fuit in nativitate quoad animam rationalem, quia hæc eſt omnino incorruptibilis, & immutabilis entitativè, imò id putant multi de animabus animalium perfectorum, quia licèt ſint materiales, tamen non videntur adeò diviſibiles ſicut animæ inſectilium.

Prob. ergo concluſio prout jacet 1. ex Scoto, [1] quia certum eſt ex Patribus, & Scriptura, quòd idem numero homo, v. g. Petrus, qui natus eſt, & obiit, reſurget, & tamen *non quidquid fuit in Petro pro tota ejus vita de veritate naturæ ejus reſurgit in eo, quia ex quo tales partes multæ fluxerunt in vita ejus, & aliæ multæ redierunt, ſi omnes illæ redirent in eo, corpus ejus eſſet immoderatæ denſitatis, & quantitatis*, ergo ex Scoto, ut homo ſit idem numero in fine, & principio vitæ; & poſt reſurrectionem, non eſt neceſse, ut maneat ſecundum omnes omninò partes.

Confirm. ex eodem. Nam ſibi objiciens, quomodò (reſurgens) habeat eandem carnem, quam habuit hic vivus? reſpondet, quòd non habebit eandem, quam habuit pro quolibet inſtanti vitæ ſuæ, aut pro aliquo tempore determinato, ſed præter illam, quam contraxit à parentibus, habebit etiam aliam, quã aliquando habuit non tamen totam, ergo ad identi-

tatem

[1] *ibid. n. 25. M.*

tatem numericam non requiritur rigorosa identitas partium.

Prob. 2. experientia, quia homines senes recordantur eorum, quæ in pueritia gesta sunt, & retinent easdem maculas, & cicatrices, & multa alia similia, & idem est quoad ista de animalibus.

Confirm. Quia idem Christus, qui in utero virginali Deiparæ conceptus, natus, & lactatus est, pro nobis in Cruce obiit, ergo idem numero vivens perseverat à nativitate ad finem, non obstante mutatione partium per nutritionem.

Objic. Intantum perseverat illa entitas, inquantum deperditis succedunt æquivalentes, & similes: sed non sufficit ad identitatem numericam, ergo vivens non permanet idem. Maj. patet. Quia cùm partes antiquæ fluant, & consumantur, non potest dici quomodo aliter permaneat, & homo non dicitur mutare locum, licèt aer ambiens flante vento totus mutetur, sed dicitur permanere in eodem loco æquivalenter. Prob. etiam min. Quia mutans habitum ejusdem qualitatis, & coloris non dicitur eodem habitu vestitus, ergo nec illud animal.

Resp. neg. seq. maj. & rationem ejus. Non enim ob id solùm hoc dicimus: sed quia remanent semper aliquæ partes antiquæ cum novis, quod non evenit in aere ambiente hominem, & quia totaliter, & eodem ferè tempore mutatur.

CONCLUSIO IV.

Identitas illa viventis non est purè moralis, & quoad æstimationem, sed est etiam aliqualiter physica, quia non secundum se totam materia primogenia mutatur.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui distinguit substantiam per nutritionem acquisitam in partes advenientes, ut augeant. *In quacumque nutritione usque ad terminum augmentationis aliquid præcisè convertitur propter nutritionem, scilicet, ut restauretur illud, quod fluxit, aliquid autem propter augmentationem, scilicet, ut acquiratur quantitas debita, etiamsi nihil fluxisset, & primum quidem non est de speciali inten-*

[1] *ibid. n. 16. & 17.*

tentione naturæ, scilicet, ut quid deperdatur, ut restauretur, ergo ex Scoto non est de ratione nutritionis, ut supponat deperditionem partium viventis, quas restauret, & de facto non omnes deperduntur; paulò ante dixerat, [1] quod pars priùs genita est purior, & diutiùs resistit corrumpenti, ergo partes primigeniæ diutiùs permanent.

Prob. 2. Identitas purè moralis supponit, quod nihil remaneat idem physicè, sed tota petatur ex hominum existimatione propter æquivalentiam, & similitudinem essentialem: sed non ita est in viventibus, ergo illa identitas non est purè moralis. Prob. min. Quia licèt partes omnes tam spermaticæ, quæ accipiuntur à parentibus, & ex semine, & etiam ossa, nervi, cartilagines, & duriores æquè, ac molliores nutriantur, & aliquatenus fluant, reparentur, & crescant, duriores tamen non totaliter depereunt, ita ut nihil earum permaneat usque ad finem vitæ, ergo illa identitas secundum has partes erit Physica.

Objic. 1. ex Philosopho comparante partes animalis aquæ transeunti, & vino, cui aqua injicitur, sed tota aqua transit, & totum vinum deperit post iteratas diù injectiones aquæ, ergo tota substantia viventis fluit, & immutatur.

Resp. neg. conseq. & paritatem. Neque enim comparationes currunt quatuor pedibus, ut dici solet. Intendit solùm per primam, quòd caro fluit sicut aqua, non tamen tota, & per 2. quòd sicut vinum amittit puritatem suam per mixtionem, ita & caro.

Objic. 2. Scotum, qui contra Lombardum probat, nullam esse partem in vivente, quæ non sit corruptibilis, ergo ex Scoto tota substantia viventis mutatur.

Resp. neg. conseq. Nam licèt absolutè, & simpliciter vivens sit corruptibile secundum omnes partes materiales, non sunt omnes æquè corruptibiles, nec de facto corrumpuntur, ut patet ex allatis textibus Scoti.

QUÆ-

[1] *ibid. F. n.9.*

QUÆSTIO IV.

De Augmentatione.

Augmentatio, de qua hìc agimus, non significat quamcumque rei accretionem, sed illam, quæ fit per acquisitionem amplioris, seu novæ quantitatis: hæc est terminus nutritionis, per quam diximus aggenerari novam substantiam in viventibus, & ideò de illa post nutritionis explicationem dicendum est.

Augmentatio ista duplex est, una, quæ solis viventibus convenit, quia fit per nutritionem vitalem, seu per *intus susceptionem*, alia, quæ communis est etiam non viventibus, v. g. lapididibus, metallis, elementis, & est illa accretio, quæ fit per *juxta positionem* substantiæ ad substantiam, aut quantitatis ad quantitatem, ut cùm vinum augetur per accretionem alterius vini, aut liquoris. Loquimur autem de illa prima, quæ solis viventibus propria est.

Ad illam requiritur 1. ut id, quod augetur, per omnes sui partes augeatur, & ad omnem dimensionem, sc. in longitudine, & latitudine, & profunditate, ideò homo, qui sub finem vitæ impinguatur, & crassior evadit, non dicitur propriè augeri, & crescere, quia non crescunt ossa; nec ipse altior evadit. 2. ut ex illa augmentatione illud fiat majus (quia non acquiritur nova substantia sine nova quantitate) ut auctum maneat idem post augmentationem, quod erat ante, sic homo grandior factus est idem, qui erat parvus, cùm egressus est de utero matris: si enim esset alius, non diceretur auctus, sed mutatus.

Augmentatio igitur fit hoc ordine in viventibus. 1. fit distentio quædam partium viventis versus omnem dimensionem, sc. latitudinem, altitudinem, & profunditatem, & fit ab anima, ut à causa principali, & à facultate augmentativa per calorem vitalem, ut à causa instrumentali. Hac distentione dilatantur pori omnes, ad quos terminantur venæ capillares, per quas in illos defertur sanguis ad partes restaurandas, ipsique pori sunt ampliores, & capaces majoris alimenti, quam ante. 2. sanguis delatus in illos po-

ros per venulas illas, quę dicuntur capillares ob tenuitatem similem capillis) decoquitur, in *cambium*, *rorem*, & *gluten*. 3. fit conversio in substantiam aliti, per actionem, quæ dicitur nutritio. 4. cum illa substantia acquiritur, & comproducitur nova quantitas. 5. & denique per illam fit extensio ad majorē locum.

Quæritur 1. in qua istarum actionum consistat formalis augmentatio. 2. an fiat successivè, aut in instanti. 3. an duret toto tempore vitæ, & inde patebit, an, & quomodo distinguatur à nutritione.

CONCLUSIO I.

Augmentatio formaliter est mutatio viventis à minori ad majorem quantitatem partialem virtute caloris naturalis, & à nutritione realiter distinguitur.

Prob. 1. *ex Scoto* [1] tum quoad definitionem, quàm quoad distinctionem, nam docet, quòd *nutritio non est per se necessaria nisi ad deperditi restaurationem*, *augmentatio autem est per se necessaria, ut genitum attingat ad debitam quantitatem*, Unde concludit, quod *in omni nutritione usque ad terminum augmentationis aliquid præcisè convertitur*, *ut restauretur illud, quod fluxit*, *aliquid autem propter augmentationem*; scilicet ut acquiratur quantitas debita; ergo nutritio, & augmentatio realiter distinguuntur; habent terminos, & fines diversos; & augmentatio præcisè terminatur ad quantitatis accretionem, & in hoc consistit formalis ratio ejus.

Prob. 2. quia sic benè explicatur natura hujus motus, qualis est in se, & prout distinguitur ab aliis. Dicitur 1. *mutatio viventis*, & id ponitur loco generis; per id enim convenit cum nutritione, alteratione, & aliis motibus viventium. 2. *à minore ad majorem quantitatem*, & sic differt ab illis aliis; nutritio enim terminatur ad substantiam, alteratio ad qualitatem, generatio ad totam substantiam. Item & à rarefactione, quæ terminatur ad majorem extensionem, non ad quantitatem; tum etiam ab extensione, quæ terminatur præcisè ad situm. 3. *partialis*, quia non est acquisitio totius quantitatis; 4. *per virtutem caloris naturalis*, ut distinguantur ab aliis aug-

[1] *supra cit.*

mentationibus, quę fiunt ab extrinseco, aut ex infirmitate ut in hydropicis; & inflationibus. Denique; per *intus susceptionem*; ut excludantur illę, quæ fiunt per juxta positionem.

Prob. 2. quoad 1. partem; quia, ut dicebamus ex Scoto, augmentatio per se terminatur ad quantitatem, & nutritio ad substantiam, sed motus, & actiones specificantur à terminis, & substantia, & quantitas distinguuntur specificè, & realiter, ergo & illi motus.

Dices. non possunt separari; non enim potest acquiri nova substantia per nutritionem sine nova quantitate, nec è contra, ergo non distinguuntur realiter.

Contra. generatio etiam esse non potest sine alteratione, & tamen distinguuntur, ergo illa inseparabilitas sola non impedit distinctionem realem.

Dixi, in conclusione, *Augmentatio formaliter*, nam activè sumpta, fortè non est distincta realiter actio ab actione nutritiva; nam eadem actione, qua nutritio producit novam partem substantiæ, producit etiam consequenter & mediatè novam partem quantitatis; nec est ulla necessitas asserendi ad hoc duas actiones. Non ita est de mutationibus, seu de actione formali, & passiva, nam illæ possunt separari saltem divinitùs, quod sufficit ad distinctionem realem.

Objicies 1. ad quantitatem non datur motus, ergo augmentatio non terminatur ad quantitatem; prob. quantitas non per se acquiritur; acquiritur enim per acquisitionē substantię: ergo ad eā non datur motus per se. prob. conseq. ideo ad relationem non datur per se motus, quia resultat, & acquiritur positione extremorum, unde quidquid acquiritur per acquisitionem alterius, non terminat per se motum; sed ita acquiritur quantitas, ergo, &c.

Respondeo neg. ant. 1. argumenti, conseq. 2. & dist. maj. 3. si non intendatur per se à natura, nec habeat entitatem per se acquisibilem, sed sit ens pure occasionatum ut relatio: conc. maj. & neg. min. si sit ens per se intentum à natura, & per se acquisibile & non purè occasionatum: neg. maj. quantitas verò per se intenditur, est per se acquisibilis, & non pure occasionata, ut relationes intrinsecùs advenientes.

Objic.

Objic. 2. ex Aristotele [1] nutrimentum, & Augmentatio differunt ratione, ergo non distinguuntur realiter.

Resp. neg. conseq. vult enim tantum Aristoteles, quod idem cibus, qui sumitur ad nutrimentum, sit etiam ad augmentum, & forte etiam loquitur de actione, quæ potest esse eadem productiva utriusque.

CONCUSIO II.

Non solum augmentatio fit successivè, sed etiam ipsa nutritio.

Prob. 1. pars ex Scoto [2] cui videtur opposita; dicit enim, quòd *aggeneratio, quæ fit in nutritione, est momentanea, augmentatio autem non est in instanti*, cum sit motus: sed ut notant ejus discipuli insignes Mastrius & Poncius [3] non loquitur ibi de nutritione ex proprio sensu, sed alieno: id dicit, non ut explicet modum, sed distinctionem nutritionis ab augmentatione.

Prob. 2. ex eodem [4] nam *successio in receptione formæ est vel propter partes formę inducendæ, vel propter partes corporis* (seu subjecti) *quarum una prius recipit formam, quàm alia*, (vel ut dixerat supra) *propter aliquem defectum agentis, propter quem potest sibi resistere mobile* &c. Sed istæ tres rationes valent tã in nutritione, quàm augmentatione: ergo utraque est successiva. prob. min. 1. quia tam forma, seu substantia aggenerata per nutritionem, quàm quantitas acquisita per augmentationem habet partes; est enim substantia materialis, & quanta. 2. corpus vivens, cui aggeneratur substantia, & quantitas, est divisibile, & extensum: & denique ipsum vivens cum suo calore innato, per quem aggenerat, & augmentatur, est imperfectum, & debet vincere resistentiam qualitatum cibi convertendi, ergo in nutritione æquè ac in augmentatione concurrunt omnes causæ successionis.

Objic. 1. nutritio est quædam generatio substantialis; sed illa generatio est instantanea, ergo & nutritio, & Scotus id positivè asserit de nutritione in illo textu.

L 2 Ref-

[1] *1. de gener.* 41. [2] *ibid. L. n.* 14. [3] *Pon. disp.* 55. *n.* 27. *Mast. disp. VIII. n.* 86. [4] 4. *d.* 43. *q.* 5. *B. & F. n.* 4. & 7.

Respondeo neg. min. Vel sic distinguo, est instantanea ab intrinseco; conc. min. ab extrinseco. neg. min. & similiter dico ad illum textum Scoti, divisibilitas motus petitur maximè ex divisibilitate formæ, forma autem substantialis est divisibilis entitativè, &, ut sic dicam, extensivè, unde oritur divisibilitas motus generationis, quam vocamus extrinsecam, est autem indivisibilis intensivè, quia in sua essentia non suscipit majus, & minus,& inde petitur indivisibilitas intrinseca generationis substantialis, de hac loquitur Scotus, non de extensiva, quam negat ob illam divisibilitatem formæ, & subjecti, & imperfectionem agentis; indivisibilitas autem illi intrinseca non reperitur in augmentatione,& ideo quoad hoc rectè distinguitur à nutritione.

Objicies 2. saltem nutritio hominis non est successiva, ergo nec augmentatio: ergo quoad hominem falsa est conclusio. Prob.ant. forma hominis acquisita per nutritionem non est divisibilis: ergo nutritio ex hoc capite non est successiva.

Resp.neg.ant.& concesso toto enthymemate prob non sequitur, quin ex aliis capitibus sit successiva, nempe ex divisibilitate subjecti, scilicet substantiæ alimenti, cujus partes uniuntur successivè illi formæ.

CONCLUSIO III.

A*ugmentatio non est perpetua viventibus.* Prob.ex Scoto [1] *nutritio*, inquit, *non est necessaria nisi ad restaurationem deperditi; Augmentatio autem est per se necessaria, ut genitum attingat ad debitam quantitatem naturæ suæ, in quacumque ergo nutritione usque ad terminum augmentationis convertitur propter nutritionem: scilicet, ut reparetur illud, quod fluxit, aliquid autem propter augmentationem, ut acquiratur quantitas debita, etiamsi nihil fluxisset;* ergo quando vivens attigit extensionem debitam naturæ suæ, augmentatio illa cessat, nec amplius intenditur per se à natura.

Prob. 2. quia augmentatio viventis propriè non est

[1] 4.d.44.q.1.N.n.16.

est quæcumque acquisitio quantitatis, sed ea, quæ fit formaliter, & extensivè majus, sed vivens non fit majus toto tempore vitæ, nec continuè, ergo augmentatio in viventibus non est continua. Prob. major ex definitione, & conditionibus augmentationis, si enim sumeretur pro quacumque acquisitione quantitatis, certum est, quòd quandiu nutritur vivens, semper augeretur, quia non acquiritur nova substantia sine nova quantitate, quia non separantur naturaliter. Min. etiam patet, quia viventia non semper augentur quoad extensionem: Tria habent tempora; primum dicitur *augmenti*, quia facultas nutritiva plus convertit alimenti, & plus acquirit substantiæ, & quantitatis, quàm deperdat per actionem caloris, & in homine hoc tempus durat usque ad 21. aut 25. aut etiam 30. annum. 2. Dicitur *status*, seu *consistentiæ*, in quo tantum convertit substantiæ, quantum deperdit; & computatur in eodem homine à 25. vel 30. ad 45. aut 50. 3. est decrementi, in quo debilitatur facultas nutritiva, & homo plus deperdit, quàm acquirat, & computatur à 45. vel 50. usque ad finem, & ratio petitur à virtute caloris naturalis, qui est instrumentum hujus facultatis, nam in 1. ætate est robustior; ideo plus convertit. In 2. est temperatus; in 3. debilitatur, & minus convertit.

CONCLUSIO IV.

Augmentatio non est continua; seu, ***non continuò, & sine*** ulla interruptione augetur vivens.

Prob ex eodem textu, & iisdem rationibus, quibus id probatum est de nutritione, & quidem à fortiori, nam nutritio durat per totam vitam, ut diximus, non autem augmentatio ista.

CONCLUSIO V.

Augmentatio, sicut & nutritio fit secundum omnes partes notabiles in omnem dimensionem.

Prob. ex Scoto jam citato de nutritione, quia si augeretur vivens secundum partes etiam minimas, &

proportionales, saltem per intus susceptionem, fieret duplo majus in singulis momentis augmentationis, sed hoc est absurdum, & contra experientiam; *si quælibet pars quantumcumque modica augeretur propriè*, necesse esset, quòd auctum *semper augeretur in duplo, vel saltem in notabili quantitate majori, quàm prius, quod est manifestè falsum*, inquit Doctor. [1]

DISPUTATIO VIII.

De Anima in genere, seu de essentia animæ.

POstquam egimus de corpore naturali in Physica, ut sic, de corpore universo, seu mundo ab initio hujus partis, tum de corpore cęlesti, tum de Elementari, tum de generabili, & corruptibili, alterabili, nutribili, & augmentabili, restat, ut de *animato*, seu de *anima* differamus, & 1. de ipsa in genere, tum ad ejus species descendemus.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit Anima.

NOmine *animæ* intelligimus formam substantialem, quæ vitam impertit, & est principium actionum vitalium, ut *nutritionis* in plantis, *sensationis* in brutis, & *ratiocinationis* in hominibus; & sub hoc conceptu generali describi solet id, *quod primò, & à se ipso movet, atque inde movendorum corporum origo est, ac principium*, alia est *assistens*, & sic angelus movens cęlos dicitur anima eorum, sed impropriissimè, alia *informans*, & de hac tantùm, quæ sola propriè dicitur anima, hic agimus, quatenus scilicet est principium intrinsecum vitæ, & motus.

Hujus autem existentiam supponunt Philosophi ex operationibus ejus demonstratam, nec in re adeo evidenti probanda inhærendum. Quidditas ejus paulo obscurior est, & hinc ortæ tot de illa Philosophorum opiniones, nam & ipse Aristoteles post refutatas varias

[1] *ibid. n.* 14.

varias opiniones antiquorum, duas ejus definitiones satis controversas assignat. Thales aqueæ naturæ illam decernit, Heraclitus, Democritus, Anaxagoras aereæ: Zeno cum Stoicis igneæ, Xenophanes aqueæ, & terreæ, Parmenides terreæ, & igneæ: Empedocles ex quatuor Elementis eam componebat; Critius sanguineam faciebat: Aristoxenus, Dicæarchus, & Galenus eam esse harmoniam, & concentum dixerunt, & sic de aliis. Ex quo vides, quòd omnes de existentia animarum conveniunt, de natura dissentiunt. Quid certum sit dicamus.

CONCLUSIO I.

ANima *sufficienter describitur actus primus corporis Physici organici potentia vitam habentis*. Est Aristotelis, [1] & communiter approbatur, nec eam improbat Doctor, [2] licèt fateatur eam dari per quoddam additum.

Prob. 1. quia sufficienter explicat naturam rei per verum genus, & differentiam specificam, ut patet discurrenti per singulas particulas. Dicitur enim 1. *actus*, per id convenit cum formis omnibus tàm accidentalibus, quàm substantialibus, sed differt à materia, quæ est potentia. 2. *actus primus*, & sic distinguitur ab accidentibus, quæ sunt actus secundarii, supponunt enim rem in suo esse constitutam, sed adhuc convenit cum aliis formis substantialibus, quæ sunt actus primi, quia primò, & essentialiter actuant, seu constituunt rem. 3. *corporis Physici*, id est *naturalis*, non *mathematici*, quod est corpus quatuor dimensionum, nec *artificiati*, & per hoc anima distinguitur à formis artificialibus, & assistentibus, illæ sunt *accidentales*, istæ sunt *assistentes*, ut Angeli cùm assumunt corpora, non verò *informantes*. 4. *organici*, id est dispositi per diversas partes quasi instrumenta, per quæ operationes diversas, & vitales exercet, & per hoc anima differt ab aliis formis substantialibus corporum naturalium homogeneorum, v. g. Elementorum. 5. *potentia vitam habentis*, id est apti ad vitam, & operationes vitales, per quod differt à formis corporum artificialium

[1] *L.2. de An.t.1.6.* [2] *4.d.12.q.1.L.n.19.*

organizatorum, ut sunt statuæ, & figuræ animalium, & hominum, & à forma cadaveris; quæ ex hoc defectu non est anima.

Objic. 1. Hæc definitio non convenit omni animæ, ergo non est bona. Prob. ant. non convenit animæ rationali, quia hæc separata per se existit, & non actuat corpus, nec vegetativæ, quia corpus plantæ est homogeneum, non autem organicum; ergo, &c.

Respondeo neg. utrumque ant. & conseq. prob. ejus, nam anima rationalis licèt existat separata, semper est incompleta, & apta ad informandum corpus, non enim opus est, ut anima actu informet, sufficit, ut apta sit informare; falsum etiam est, corpora plantarum esse homogenea, ut patet de cortice, medulla, &c. licèt diversitas organorum non sit adeo perceptibilis, sicut animalium, & hominum.

Aliis objectionibus occurrendũ per sequentes conclusiones, per quas meliùs explicabitur illa definitio.

CONCLUSIO II.

Anima est actus verè substantialis, & informans. Est etiam communis contra Galenum, & alios dicentes, animam esse temperamentum primarum qualitatum, vel concentum.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd anima *est actus corporis per substantiam, in quantum est compositum substantiale mixtum cõplexionatum in tali gradu simpliciter*: ergo est verè substantialis, & informans, quia forma accidentalis, aut assistens non facit compositum, nec quid substantiale, dicit etiam apertiùs, quòd [2] *anima considerari potest, ut habet respectum ad corpus, quod perficit, & ratione formæ substantialis dans ei esse simpliciter*; sed nec forma accidentalis, nec assistens id præstant, ergo &c.

Prob. 2. 1. pars, quia corpus non constituitur per accidens, sed per animam, ergo anima non potest esse accidens, quia istud distinguitur essentialiter à vivente.

Prob. 2. pars. Forma assistens advenit rei in suo esse constitutæ, informans verò illam constituit in tali esse, sed anima non sic advenit viventi, ergo non est assi-

[1] *L. de rerũ m princi. q. 9. n. 5.* [2] *ibid. q. 11. n. 26.*

assistens, sed informans. Prob. maj. Nauta, dùm assistit navi, & illam movet, non constituit eam in suo esse; ita est de Angelo motore cœli: min. patet ex dictis, dat enim esse specificum viventi.

Prob. 2. quia constat ex definitione Concilii Viennensis [1] animam rationalem esse veram formam corporis humani, sed eadem est ratio, & quidem à fortiori de aliis animabus, ergo animæ sunt formæ veræ corporum.

Prob. 3. anima est substantia, sed non est corpus, nec materia prima, nec forma completa, & subsistens, ut Angelus; ergo est forma informans. Maj. patet ex 1. parte. Prob. min. 1. De *corpore*, tum quia anima rationalis non est corpus, sed Spiritus: tum quia si esset corpus completum ex materia, & forma corporea, essent duæ materiæ in viventibus, quod est absurdum, si corpus simplex completum, ut quidam volunt, de astris, non posset inire compositionem cum materia viventis, si corpus incompletum distinctum à materia, habemus intentum, in hoc enim sensu animæ materiales sunt corpora, pro ut corpus opponitur Spiritui, & tunc dicitur forma corporea. 2. De *materia prima*, tum quia, ut dicebam, essent duæ materiæ, & ista non actuaretur, sed esset potentia pura, tum quia omnia, quæ constarent materia prima, essent animata, quod etiam est falsissimum. 3. De *forma completa subsistente*, tum quia vivens non esset unum per se compositum ex actu, & potentia, tum quia anima non penderet à corpore in suis operationibus, sicut nec Angelus pendet à corporibus assumptis, nec dependeret à corpore in fieri, nec conservari, quod falsum est de anima plantæ, & bruti, ergo, &c.

Objicies 1. anima est principium vitæ, sed illud consistit in temperamento qualitatum, quæ sunt accidentia; ergo anima est in accidente. Prob. min. destructo temperamento moritur animal, ergo, &c.

Respondeo neg. min. & dist. ant. prob. moritur vivens destructo temperamento, vel conditione, seu dispositione necessaria, conc. ant. ut forma essentiali constitutiva; neg. ant. temperamentum est dispositio necess-

[1] *Clement. de SS. Trin. ac fide.*

necessaria ad vitæ conservationem, non autem principium substantiale ejus.

Objic. anima advenit enti completo substantialiter; ergo est accidens. Prob. ant. advenit corpori constituto ex materia, & forma substantiali corporeitatis; ergo advenit enti completo substantialiter.

Resp. neg. ant. & dist. prob. advenit corpori constituto in ratione corporis per formam subordinatam animæ, conc. ant. constituto in ratione entis ultimò completi, & viventis, neg. ant per formam corporeitatis constituitur totum substantiale corporeum, sed per animam constituitur in esse ultimatè completo viventis.

Objic. 3. S. Aug. [1] docet ex Arist. animam esse compositum ex materia, & forma; ergo est corpus completum; ergo non est forma informans.

Resp. neg. ant. Id enim Sanctus Doctor non dicit ex sententia sua, nec ipse Aristoteles, qui loquitur ibi ex mente Platonis, ut notat Vives. [2] Aliam definitionem animæ tradit Aristoteles dicens, eam esse *principium, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus*; & hæc est descriptio animæ per effectus suos, & sustineri potest, modò illæ particulæ sumantur divisivè, non enim omnes conveniunt simul singulis animabus.

QUÆSTIO II.

Quid sit corpus, an compositum ex materia, & forma, quæ dicitur corporeitatis, ubi de spiritu, quid sit.

Quia definitur anima per ordinem ad *corpus*, cujus est actus, melius capietur ea definitio, si constiterit clarè, quid importetur nomine corporis, & quidem organici, & præcipuè an sit materia prima nuda, an compositum ex materia, & forma aliqua substantiali, quæ dicitur corporeitatis, estque subordinata animæ, celebris est controversia inter Philosophos, in qua Scotistæ Thomistas, [3] & alios multos habent adversarios, & huc remittimus examinandam.

Cor-

[1] 22. *de Civit c.* 11. [2] *Lud. Vives ibi.*
[3] *phys.* 4. *q.* 3. & *hic d.* 5. *q.* 3.

Corpus sumitur 1. *Latissimè* pro omni natura, & essentia per se existente, & totali, & sic convertitur cum substantia, & potest dici de Deo. 2. *minus latè* pro natura limitata in genere certo, & in loco determinato existente, extra quem non reperitur, & sic solus Deus est incorporeus, quia solus est ubique, & immensus. 3. magis propriè pro entitate extensa, & divisibili in partes quantitativas, & sic de corpore hìc loquimur, & differt à substantia, quæ dicitur Spiritus.

Aristoteles [1] divisit *corpus* in *artificiale*, quod constat forma artificiali; *Mathematicum*, quod constat trina dimensione, scilicet longitudine, latitudine, & profunditate, & *Physicum*, quod constat materia, & forma Physica, & dicitur maximè substantia, nam alia duo corporis genera sunt entia per accidens, quia eorum formæ sunt accidentales.

Spiritus hìc sumitur pro substantia opposita corpori, non verò pro *vento*, vel *aere*, ut cùm dicitur, *adduxit spiritum super terram*,[2] id est aerem, & ventum exsiccantem, nec pro *humore* animalis v. g. cholera, bile, &c. ut cùm dicitur[3] *Spiritus tristis exsiccat ossa*, nec pro *spiritibus vitalibus*, aut *animalibus*, qui per arterias feruntur, &c. nec pro *anima sensitiva*, ut cùm dicitur,[4] *Spiritibus jumentorum descendit deorsum*, sumitur ergo pro ut opponitur corpori, ut cùm dicebat Christus, ut ostenderet se non esse Spiritum purum [5] *palpate*, *& videte*, *quia Spiritus carnem*, *& ossa non habet*.

CONCLUSIO I.

Corpus pro ut opponitur Spiritui, est substantia materialis divisibilis connaturaliter petens extensionem quantitativam in ordine ad locum. Spiritus verò eidem corpori oppositus est substantia indivisibilis non petens de se extensionem quantitativam.

Hanc non invenio apud Scotum,[6] nec apud Scotistas communiter, sed supponitur ex principiis Doctoris. Nam, ut diximus de substantia, & quantitate, *divisibile uno modo dicitur*, quod habet formam, secun-

L 6

[1] 1. *de anima*. t. 3. [2] *Gen*. 8. [3] *prov*. 17. [4] *Eccl*. 3. [5] *Luc*. 24. [6] 5. *met*. q. 6 n.

secundū quā formaliterpotest dividi, secundo modo, quod non habet actu formam, sed est in potentia ad formam, per quam immediatè posset dividi: substantia corporea secundo modo de se est divisibilis: & addit quod, *substantia* (corporea) *habet partes proprias sub quantitate extra alias. Substantia non est divisibilis formaliter, antequam sit sub quantitate nisi in potentia, & sub quantitate actu*; ergo substantia corporea distinguitur specificè à Spirituali, & incorporea per hoc, quod est divisibilis, seu in quantum petit connaturaliter extensionem quantitativam, per quam sit formaliter, & actu divisibilis.

Prob. 2. quia non potest melius assignari differentia constitutiva corporis, saltem à posteriori, quàm per illam divisibilitatem; certum enim est, quod omnis talis substantia est materialis, & corporea, & quod omnis alia, quæ non est sic divisibilis, aut cui repugnat talis divisibilitas, est incorporea. Forma autem corporea dici potest illa, quæ sic dependet à materia item corporea tanquam à subjecto mediato, vel immediato, ut non possit connaturaliter esse sine illo, & quidem divisibiliter, ita ut non possit esse tota in toto, & tota in qualibet parte; nam per istud ultimum maximè distinguitur à forma spirituali tam substantiali, quàm accidentali. Spiritualis enim licèt dependeret in esse à tali subjecto, tamen in eo non posset esse divisibiliter *extensivè*; quod dico propter qualitates Spirituales, v. g. *fidei*, *spei*, & *charitatis*, quæ sunt divisibiles intensivè, scilicet in plures gradus, ut dictum est in Metaphysica.

CONCLUSIO II.

Corpus, quod est subjectum animæ viventis, est compositum ex materia prima, & forma substantiali corporeitatis; seu, in viventibus præter animam, datur forma corporeitatis, quæ est *forma substantialis subordinata animæ*. Est Scotistarum, & medicorum contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. *ex Scoto*[1] qui sic probat distinctionem formæ corporeitatis ab anima. *Quæ est necessitas ponendi plura? Illa certè, quæ est universaliter ratio distinguendi plura.*

[1] 4. *d.* 11. *q.* 3. *GG. n.* 54.

plura sub ente, ut potest hoc, & illud recipiant contradictionem in essendo, quia si hoc est, & illud non est, non sunt idem ens in essendo, sed forma animæ, non manente corpore, manet, ergo universaliter in quolibet animato necesse est ponere illam formam, qua corpus est corpus, distinctam ab illa, qua est animatum, igitur, ex Scoto, forma corporeitatis, qua materia est corpus, seu subjectum animæ viventis, est distincta realiter ab anima, qua est vivens, quia corpus manet idem sub anima, & sine anima, pereunte anima non perit corpus, ergo forma, qua constituitur corpus, non est eadem cum forma, qua corpus constituitur vivens. Prob. conf. quia de eodem non potest dici, est, & non est, sed de corpore dicitur, quod est pro eodem instanti, quo dicitur de anima, quod non est, ergo non sunt idem.

Dicunt, corpus, separata anima, non manere idem; sed hoc gratis, & sine fundamento, & contra omnem experientiam dicitur. Quis enim diceret, recisa arbore, vel truncato equo, vel homine, statim generari in eis nova corpora omninò similia præcedentibus? quæ causa talis generationis posset assignari? certe characteres insculpti in corpore arboris manent post truncationem, & mortem arboris, & cicatrices in cadaveribus. Quis novus characterum impressor? quis novus tonsor, vel chirurgus, vel ensis vulnerans?

Prob. 2. & confir. præced. Quia Christus in morte post resurrectionem retinuit idem numero corpus sub speciebus Eucharisticis, sed hoc esset falsum, nisi post separationem animæ maneret idem corpus, & nisi corpus constitueretur tale per formam substantialem distinctam ab anima: ergo datur talis forma, & manet idem corpus post mortem viventis, quod erat sub anima, maj. supponitur ex fide, ideo enim Christus ostendit plagas manuum, & pedum, ut probaret se esse eundem: *videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum*, Sanctus Thomas id fatetur ex tactu vulneris, quod accepit mortuus. Prob. min. quia identitas animæ non facit identitatem corporis, & anima non ponitur per se ex vi præcisa verborum in Eucharistia.

Confir. Quia identitas accidentium probat identitatem subjecti, seu formæ, ac totius, sed remanent ca-

eadem accidentia post mortem, quæ erant ante, ergo & idem corpus, min. patet experientia. Prob. maj. quia accidentia non migrant de subiecto in subiectum, & si adveniret post mortem nova forma cadaveris, non exigeret eadem accidentia, quæ sequebantur formam viventis, sed potius contraria, nam forma illa cadaveris, & anima opponerentur, sicut mors, & vita.

Prob. 3. ex definitione animæ, quam adversarii admittunt: *Anima est actus corporis organici Physici potentia vitam habentis*, ergo anima non constituit corpus organicum, ergo corpus constat aliqua forma corporeitatis præter materiam primam, & animam. Prob. min. si materia prima diceretur corpus organicum, forma ignis, ferri, auri, lapidis diceretur etiam actus corporis, & illa dicerentur constare forma, & corpore, sed nullus Philosophus id dicit, ergo nec illud. Prob. min. vel esset materia nuda, vel cum accidentibus, vel simul cum anima, sed nullum horum dici potest, ergo materia prima non est corpus organicum. Prob. min. 1. *de materia nuda*, quia hæc non est corpus, nec ab ullo sic vocatur. 2. *non cum accidentibus*, tum quia accidentia non subiectantur in materia prima, ut dictum est in Physica, tum quia omne vivens esset ens per accidens, constaret essentialiter ex rebus diversorum prædicamentorum, scilicet ex substantia, & accidente, nam corpus utrumque includeret, sed corpus est pars essentialis omnis viventis, ergo si includit materiam cum accidentibus, omne vivens includeret essentialiter substantiam, & accidens.

3. Non dicit *animam cum corpore simul*, alioqui non benè diceretur vivens constare corpore, & anima, quia ipsum corpus, ut tale diceret utrumque, quia intrinsecè constitueretur per animam, sed qui diceret, quòd *vivens est corpus*, sufficienter definiret totum vivens æquè, ac qui diceret, quod *animal rationale est homo*, & vicissim. Item sicut non bene explicatur natura coloris, aut lucis, dicendo, quòd est *actus colorati*, aut *lucidi*, quod constituit, ita nec benè explicaretur anima dicendo illam esse actum corporis, si hoc constitueretur per illam in esse corporis, idem enim explicaretur per se ipsum, & per

æquè

æquè ignotum.

Dices, materiam cum accidentibus esse quidem subjectum animæ, & hanc constituere corpus, sed non sequitur accidentia esse de essentia ejus, sed solum materiam primam.

Contra, omne id, quo essentialiter constituitur corpus, est de essentia viventis, sed accidentia constituerent essentialiter corpus cum anima, ergo essent de essentia viventis.

Prob.4. In homine præter materiam primam, & animam rationalem datur alia forma substantialis, ergo datur forma corporeitatis: prob. ant. partes diversæ corporis humani sunt heterogeneæ: sed illa heterogeneitas non potest venire nisi à forma aliqua substãtiali distincta à materia prima, & ab anima, ergo in homine datur forma corporeitatis, maj. patet, nam certum est oculum esse diversæ rationis etiam substantialiter ab aure, ab ore, à manu, & id constat ex diversis operationibus. Prob. min. nam materia prima, & anima rationalis est ubique eadem: ergo diversitas partium, & accidentium, & operationum venire non potest à materia, neque ab anima rationali. Prob. conseq. causa naturalis eadem, & eodem modo applicata eidem materiæ non potest causare ibi diversos effectus, sed anima rationalis est eadem, & eodem modo applicata toti corpori, & illud esset ubique idem secundum materiam primam, ergo nisi esset forma corporeitatis, anima deberet in partibus omnibus idem operari, quia quoad informationem, & sensationes est causa naturalis, & minimè libera.

Dices animam esse virtualiter multiplicem, & ideo causat illos effectus diversos.

Contra. Multiplicitas virtutis, qualiscumque sit, non facit, ut anima videat in oculo, potiusquam in pede, nisi sint in oculo accidentia, & dispositiones, quæ non sunt in pede, & illæ dispositiones diversæ debent manare ab aliqua forma præter materiam primam, quæ ubique est eadem, & indifferens.

Objic. 1. ex Arist. [1] oculus viventis non est oculus, nec caro est caro, nec facies est facies post mortem, non est enim facies, nisi animam habeat, neque caro, sed corrupta, æquivocè dicitur facies, aut caro peri n-

[1] *1. met. 35 & 2. de gen. anim. c. 1.*

perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit, sed si daretur forma corporeitatis, quæ maneret eadem in vivente, & mortuo, essent iidem oculi, eadem facies, & caro, ergo ex Arist. non datur illa forma, dicit etiam, quòd ipsamet anima facit corpus organicum, ergo ad id non est necessaria illa forma.

Respond. dist. maj. Hæc non sunt eadem integrè, & totaliter, conc. maj. & neg. min. non sunt eadem substantialiter inadæquatè, neg. maj. & conf. id enim Arist. [1] non dixit, nec somniavit, sed solùm negat, quòd oculi, facies, & caro sint eadem quoad formam ultimatam, & functiones vitales, nec enim oculus in mortuo est amplius facultas visiva, nec instrumentum animæ ad operationes visus, &c. Sed in substantia carnis, ossis, nervi, oculi, &c. & denique corporis talis mixti sunt eadem. In primo sensu corpus fit organicum, id est constituitur instrumentum ad operationes vitales per animam, non autem in 2. sed tale præsupponitur ab anima, ut per ejus diversa organa eliciat diversas operationes.

Inst. Illa forma corporeitatis esset in se una specie, ergo non posset tribuere membris diversitatem.

Resp. neg. ant. ex dicendis, est una unitate generica, & integritatis, non autem specifica, constat enim partibus dissimilibus, ea pars, quæ format oculum, differt specie ab ea, quæ format pedes, ossa, nervos, &c.

Objic. 2. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas asserendi plures formas substantiales in viventibus, ergo non sunt. Prob. min. sola anima totum præstat, quod præstaret cum forma corporeitatis: ergo, &c. Prob. ant. forma perfectior continet virtualiter, & eminenter imperfectiorem, sed anima est perfectior illa: ergo hanc continet: ergo se sola facit, quod faceret forma corporeitatis.

Resp. neg. min. 1. argumenti, ant. 2. & dist. maj. 3. forma superior conc. maj. & neg. min. forma perfectior præcisè ut talis neg. maj. & conf. forma equi, verbi gratia, est perfectior forma lapidis, aut ligni, aut ignis, non tamen se sola facit, quod faciunt istæ, sic anima rationalis est perfectior corporea, & tamen non facit corpus.

Inst. 1. Non repugnat animam equi uniri immediatè ma-

[1] 2. de An. c. 2.

materiæ primæ, sed tunc materia constitueretur sufficienter corpus, & equus immediatè per animam, non enim potest esse equus sine corpore, ergo sufficit anima cum materia ad constituendum corpus.

Resp. dist. maj. Non repugnat animam sic uniri Physicè, & alio modo, quàm per modum actus viventis, & quàm in ordine ad constituendum, transeat maj. & neg. min. Scotus absolutè negat possibilitatem talis unionis: idem esset, ac si modo anima uniretur lapidi, uniri per modum formæ viventis equinæ, ita ut compositum illud esset verè equus, neg. maj. & cons. nam illud compositum non esset equus, nec animal, non enim posset exercere suas operationes vitales sine organis, & hoc non esset verum de homine.

Inst. 2. ex Scoto, [1] quodcumque *individuum sua forma totaliter est corpus, ut corpus est genus habens corporeitatem*, ergo ex Scoto animal verè constituitur in esse corporis per animam, quæ est propria cujusque forma.

Resp. dist. ant. ex ipsomet Doctore subtili, sua forma totali, & Metaphysica, conc. ant. sua forma partiali, & Physica, neg. ant. *non loquor de corpore, ut est altera pars compositi, per hoc enim non est individuum, nec species in genere corporis, nec in genere substantiæ, quod est superius, sed tantummodo per reductionem, unde corpus, quod est altera pars manens in suo esse proprio sine anima habet formam, quæ est corpus isto modo, & non habet animam, & ita illa forma necessariò est alia ab anima, sed non est aliquod individuum sub genere corporis, nisi tantum per reductionem ut pars*, quia constat ex Logica, quòd sola entia completa ponuntur directè in prædicamento, non autem partialia, & incompleta, quæ ponuntur solùm reductivè, & indirectè: ita est de anima seorsim, sicut de corpore sine anima etiam cum illa forma.

Inst. 3. per eandem formam accidentalem res constituitur in specie accidentis, per quam constituitur in genere, nam per eandem albedinem res fit alba, & colorata, ergo per eandem formam substantialem, seu animam res constituitur in specie viventis, & in genere corporis. Prob. conseq. forma substantialis est perfectior accidentali, ergo si

ac-

[1] *ibid. HH. n. 54.*

accidentalis id facit, à fortiori hoc facit substantialis.

Resp. neg. conf. utramque loquendo de anima, & disparitas est, quia recedente albedine præcisè, & nisi succedat alius color, res non remanet colorata eodem colore, quo antea, seu non est amplius colorata, & coloratum non remanet idem, sicut remanet idem corpus recedente anima, etiam in substantialibus idem accidit, quando cessat hæc ratio: v. g. forma eadem, quæ dat materiæ esse lapidem, dat illi esse substantiam, & corpus, saltem suo modo, non ita est de *esse corpus*, & *animal* in viventibus, quia recedente anima remanet idem corpus.

Objic. 3. sequeretur, quòd homo, formaliter ut homo, non esset corporeus, nec quantus, (idem est de bove, leone, &c.) sed conseq. est absurdum, & falsum, ergo & ant. prob. seq. esset corporeus, & quantus non per animam, qua est formaliter vivens, & homo, sed per formam corporeitatis, qua non est homo, nec vivens, ergo non esset corporeus ut homo.

Respondeo concessa majori, neg. min. nam verum est, quòd nec homo, nec leo, nec bos sunt formaliter corporei, & quanti per animam præcisè, sed per formam corporeitatis, & per quantitatem, quæ inhæret composito ex materia prima, & illa forma substantiali, sicut homo dicitur justus, & Sanctus à gratia, quæ inhæret immediatè animæ, & sicut dicitur videns à visione, quæ est in oculo, non in pede.

Inst. In bove essent duo corpora, sed hoc est aliud absurdum, ergo, &c. prob. maj. esset corpus à forma corporeitatis, & iterum à forma totius compositi ex corpore, & anima, quæ per nos distinguitur à formâ partis æquè, ac à materia etiam simul sumptis, & unitis. Prob. etiam min. nam geminari etiam deberent accidentia, & quantitates, quod est absurdissimum.

Resp. dist. maj. Essent duo corpora sicut duæ substantiæ, scilicet unum partiale, & aliud totale ex illo partiali constans cum forma totius compositi, conc. maj. & neg. min. quæ enim in hoc absurditas? essent duo corpora extra se invicem, & disparata, & non subordinata, neg. mai. & conseq. Corpus totale resultans ex corpore, quod est pars viventis, & ex anima,

quæ

quæ est alia forma, est corpus totale includens, & compenetratum cum illo alio. Quoad accidentia; quædam subjectarentur in corpore constituto ex forma corporeitatis cum materia, ut quantitas, figura, colores, calor, &c. alia in toto constituto ex corpore illo, & anima, ut sensationes, & aliæ qualitates, quæ sunt viventis.

Objicies 4. Sequeretur manere genus pereunte specie, sed hoc est absurdum, ergo, &c. prob. dum anima separaretur, remaneret corpus, quod est genus, & destrueretur homo, & leo, qui sunt species, ergo remaneret genus, imo & individuum sine specie.

Respondeo neg. seq. & ant. prob. non enim remaneret corpus genericum, ut dicebamus ex Scoto, sed remaneret species, & individuum secundum partem illam, ex qua constabat individuum hominis, aut bruti Physicè sumpti, non autem Metaphysicè, & istud corpus remanens non ponitur in linea recta prædicamentali, sed reductivè, quia nihil ponitur in linea recta, nisi sit completum. Entia verò partialia, ut istud corpus, ponuntur tantum reductivè, & indirectè.

Objicies 5. fieret corruptio sine generatione, sed hoc est contra omnes, ergo & illa forma corporeitatis, maj. patet, nam corrupto vivente remaneret cadaver ejus absque ulla nova forma substantiali. Prob. min. ex illo axiomate, generatio unius est corruptio alterius.

Respondeo dist. maj. & prob. ejus, sine generatione immediata, conc. maj. & neg. min. cum sua probatione, sine generatione mediata, neg. maj. & prob. ejus: licèt enim non statim, & immediatè corrumpatur corpus illud quoad illam formam mixti, quæ erat sub forma viventis, tamen brevi corrumpitur, & ex ea generantur vermes, aut aliud mixtum imperfectius, nec aliter intelligendum est illud axioma quoad viventia.

Inst. Illa forma corporeitatis esset ingenerabilis, & incorruptibilis: sed hoc est absurdius, ergo, &c. prob. maj. agens non corrumpit formam præexistentem, nisi pro ut est incompatibilis cum ea, quam intendit producere, sed forma corporeitatis non esset incompatibilis cum anima, ergo non corrumperetur.

Resp.

Resp. neg. maj. Nam ipsummet generans producit hanc formam, ut possit producere, & introducere vivens, & illud, quod corrumpit vivens, corrumpit etiam formam corporis, licèt non æquè immediatè, ut ex corpore generentur vermes, cineres, &c.

Objicies denique, omne vivens esset unum per accidens, sed hoc est falsum, ergo, &c. prob. maj. quod advenit enti in actu, facit cum illo unum per accidens, sed omnis forma viventis adveniret enti in actu, ergo &c. prob. min. anima adveniret materiæ jam actuatæ forma substantiali corporeitatis, ergo adveniret enti in actu.

Resp. n. 1. maj. & dist. secundam, quod advenit enti in actu ultimatè completo per actum, seu formam non subordinatam, conc. maj. & neg. min. completo non ultimatè, sed per formam subordinatam, neg. maj. & cons. nam hæc forma est animæ subordinata, & ideo non complet materiam ultimatè.

Inst. Ergo post mortem viventis materia remanet incompleta, sed hoc est inconveniens æquè ac si diceretur manere sine forma, ergo responsio non salvat difficultatem.

Resp. dist. subsumptum, in ratione viventis, & in ordine ad perfectiorem formam, conc. subsumptum, & neg. min. absolutè, & in ratione mixti neg. subsumptum, & cons. nam materia absolutè, & de se est indifferens ad hanc, vel illam formam substantialem, & ideo quantum est de se, est completa, sed formaliter, & prout est sub tali forma mixti, scilicet corporeitatis, esset ulterius perfectibilis.

CONCLUSIO II.

F*Orma corporeitatis constat partibus heterogeneis*, seu *constat pluribus formis partialibus diversæ rationis*. Per hanc conciliari potest præcedens sententia nostra cum pluribus recentioribus, qui tenent in viventibus dari præter animam plures formas partiales: v. g. carnis, ossis, nervi, &c. Et tamen impugnant nostram de forma corporeitatis putantes hanc à nobis asseri unam, & homogeneam.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui corpus, per hanc formam constitutum, & quod sustinet esse terminum per se con-

[1] *ibid. n.* 31. *Q.*

conversionis Eucharisticæ docet esse *quoddam includens omnia ista*. Scilicet, *omnes partes corporis*, *quod est primò animabile*, scilicet carnem, ossa, & hujusmodi, sed caro, ossa, nervi, &c. sunt diversæ rationis: ergo & habent diversas formas, & id etiam claiè insinuat infrà docens, [1] quomodo *una mutatio ultimata terminare potest plures mutationes partiales terminatas ad plures formas partiales*, *quæ præcedant*. Dat exemplum: *Si ponantur partes organicæ differre secundum formas substantiales*, *tunc enim præcedit generatio etiam tempore generationem illam*, *quæ est simpliciter generatio totius*, *qua scilicet inducitur forma totalis*, (scilicet anima) *præsuppositis jam formis omnium partium*, ergo Scotus admittit formas partiales organicas, & diversæ rationis. Denique [2] *quantò animatum est perfectius*, *tantò plura requirit organa*, & *probabile est*, *quòd illa requirit distincta specie per formas substantiales*. Nihil clarius ad mentem Scoti.

Prob. 2. Oculus constans materia, & forma corporea habet accidentia diversæ rationis ab accidentibus, quæ sunt in aure, carne, pedibus, manibus, &c. imo & operationes diversas, licèt anima, cujus sunt instrumenta, sit ubique eadem indivisibiliter, ergo illa pars formæ corporeæ, quæ est in oculo, est diversæ rationis. Prob. cons. composita, seu formæ ejusdem rationis emanant accidentia ejusdem rationis, nec aliter à posteriori discernuntur differentiæ, vel unitates formarum, quàm ex diversitate, vel unitate accidentium, nec aliunde distinguimus formam aquæ à forma aeris, vel terræ, vel lapidis, &c. ergo diversitas illa accidentium in diversis partibus corporis notat diversitatem formarum partialium ejusdem corporis.

Objicies Scotum dicentem sæpius, quod forma corporeitatis est una, & constituit unum corpus, ergo non sunt plures diversæ speciei.

Respondeo Scotum loqui de unitate integritatis, non verò de unitate entitatis, & indivisibilitatis, ut patet ex textibus allatis.

Inde colligis 1. eos, qui asserunt corpus organicum, quod est subjectum animæ, constitui per formas par-

[1] *ibid. n. 41. T.* [2] *ibid. BB. n. 46.*

partiales, & impugnant nostram sententiam de forma corporeitatis, vel non intelligere, aut legisse Scotum, & ejus mentem, vel debere convenire nobiscum.

Colligis 2. nos meritò negasse suprà, quòd in corruptione fiat semper resolutio usque ad materiam primam, quia sæpissimè in corruptione viventium remanet compositum ex materia prima, & forma ista corporeitatis. Item, quòd in eadem materia non repugnant naturaliter plures formę substantiales subordinatæ.

Colligis 3. corpus, de quo hìc loquimur, non esse illud, quod ponitur in recta linea prædicamenti substantiæ, quia illud est quid completum Physicè, & metaphysicè, istud verò incompletum, quia est pars compositi Physici viventis, nihil autem ponitur directè in prædicamento, quod non sit Physicè completum, pertinet tamen ad illud reductivè, & indirectè.

QUÆSTIO III.

Quid sit vivens, in quo consistat formalis ratio vitæ.

Anima definitur per ordinem ad *corpus*, cujus est forma, & ad *vitam*, cujus est principium, post examinatam naturam illius videndum in quo consistat præcisa, & formalis ratio vitæ.

Porrò *vita* dupliciter dicitur, scilicet in *actu secundo*, estque operatio, quæ solis viventibus competit, ut *moveri*, *nutriri*, *sentire*, *intelligere*, &c. Et in *actu primo*, & est principium talium operationum. Sic viventia in *actu secundo* dicuntur illa, quæ de facto exercent tales operationes, & tunc vivens sumitur participialiter, scilicet in præsenti participii à verbo *vivo*, *vixi*, sed *vivens in actu primo* dicitur de iis, quæ habent, aut habere debent ex natura sua tale principium, sive de facto existant, sive non, & tunc *vivens* sumitur nominaliter. Loquimur autem de *vita*, & *vivente* in *actu primo*.

Suppono autem ex communi sensu omnium, hæc dici viventia, *Deum*, *Angelos*, *homines*, *bruta*, & *plantas* omnes, unde quæritur conceptus vitæ, qui conveniat his omnibus aliqua ratione, & per quem viventia omnia distinguantur à non viventibus.

Non

Non convenit autem de hoc inter Philosophos, ita ut quàm verum est, quòd vivere omnes appetunt, tàm certum sit, quòd quid sit vivere paucissimi norunt. *Vita autem operatio quædam est*, inquit Philosophus, [1] & hoc modo *vita*, vel *vivere* posset dici *actio de genere actionis*, inquit Scotus. [2] Unde notat, [3] quòd sumitur aliquando vita pro actibus intellectus, & voluntatis, & sic vivere non est aliud, quàm *esse rei pullulans ex conjunctione animæ, & corporis, non medians*. Alii dicunt, *vivere* nihil aliud esse, quàm *principium movendi habere in se*. Alii, *habere ex se, ut immanenter operetur*, &c.

Quadruplex communiter statuitur *vitæ*, & *viventium* genus. 1. Dicitur *vegetativa*, quæ est principium nutritionis, & augmentationis per intus susceptionem, & hæc est in plantis. 2. *Sensitiva*, quæ est principium sensationis ab intrinseco, & hæc est in omnibus animalibus. 3. *Progressiva*, quæ est principium motus progressivi ab intrinseco, & est in animalibus perfectis. 4. *Intellectiva*, quæ est principium operationum intellectus, & voluntatis, & convenit hominibus, Angelis, & Deo, dantur ergo viventia. 1. *vegetantia*, & *non sensitiva*, ut plantæ. 2. *sensitiva*, *non progressiva*, ut conchylia. 3. *sensitiva progressiva*, non *intellectiva*, ut animalia perfecta. 4. *Intellectiva*, ut homines.

CONCLUSIO I.

Vita in actu primo describi potest principium per se institutum ad acquirendam viventi perfectionem quæ non debetur illi ex vi propriæ generationis, & vivens dicitur id, quod habet ex se tale principium.

Prob. 1. ex Scoto, in appendice Cavelli, [4] ubi docet, *in hoc differre viventia à non viventibus, quòd ista per se non se movent, vel saltem in se non operantur ad acquirendam suam perfectionem, hæc verò sic, ut constat in plantis, brutis, & hominibus*, & ita explicant vitam insignes Scotistæ. [5]

Prob. 2. Quia omnibus, & solis viventibus creatis convenit, & sufficienter explicat id, quo viventia distinguuntur à non viventibus. Dicitur 1. *principium*, & poni-

[1] *qu.13.n.30.* [2] *ibid. qu.16.n.18.* [3] *L.8.met.c.6.n.40.* [4] *Cavellus hic disp.1.Sect.4.num.1.* [5] *Mastr. disp. 7.n.15. Poncius disp.58.n.15. & 16.*

ponitur loco generis, nam omne ens habet in se, quod sit principium aliquod actionum, vel emanationum. 2. *per se institutum*, per hoc differt vita ab aliis principiis, quæ per se non sunt instituta ad aliquas operationes, sic excluduntur ea, quæ per accidens aliquid in se operantur, aut se movent, ut gravia, quando sunt extra centrum se movent ad illud, & cum Angelus loquens alteri causat in eo intellectionem, est actio vitalis, sed per accidens. 2. excluduntur ea, quæ talia operantur ad extra per actiones transeuntes; ideo 3. dicitur, *ad acquirendam perfectionem*, & licèt vivens possit operari ad extra per actionem transeuntem, tamen actio vitalis propriè, & primariò respicit proprium suppositum, ideoque vita est principium operationis immanentis, licèt per accidens, & secundariò possit esse principium operationis transeuntis, ut patet exemplo allato de Angelo loquente. 4. *perfectionem, quæ non debetur ex vi suæ generationis*, & sic excluditur emanatio frigoris ab aqua, dum calefacta paulatim in se producit nativum frigus, istud enim debetur illi ex vi generationis suæ, ideò illa emanatio non est vitalis.

Objicies 1. Si hæc particula excluderet à vitalitate acquisitionem perfectionis sic debitæ, nutritio, & augmentatio non essent vitales, sed conseq. est falsum: ergo hæc particula non est admittenda in definitione viventis. Prob. maj. cuilibet viventi ex vi generationis suæ debetur perfectio justæ magnitudinis, ergo ejus acquisitio per nutritionem, & augmentationem non esset vitalis.

Resp. neg. maj. & ant. prob. nam vi generationis de præsenti non debetur viventi alius status, & magnitudo ab illa, quam tunc habet, illa verò, quam deinceps acquirit per nutritionem est quidem naturalis, sed non debita tunc, debetur solum pro tempore, quo vivens est nutribile.

Objicies 2. omnes actus *cognitionis*, & *volitionis*, *generationis*, & *spirationis* sunt perfectiones Deo debitæ ex natura sua, & tamen sunt vitales; ergo ratio vitæ non bene sic explicatur. Idem dici potest de cognitione sui, & Dei, in Angelis utraque videtur illis debita ex natura illorum, & tamen est vitalis.

Respon-

Respondeo dist.ant. debitæ sunt Deo, ut Deus est, conc.ant. ut vivens, & præcisè, & pro illo ordine: neg. ant. & conseq. Nam ratione deitatis ex vi suæ existentiæ includit infinitas perfectiones, est undecumque infinitus, ratio autem præcisa vitæ id non exigit . 2. dici etiam potest, quòd in Deo aliter sunt illi actus, quàm in creatis viventibus, in istis sunt per veras actiones, & motus novos, in Deo autem sunt per quandam emanationem necessariam . De Angelis autem neg. ant. absolutè; id enim illis non debetur ex vi productionis, & de novo possunt illis advenire.

Objicies 3. augmentatio, & nutritio reperitur in igne, & magnete, qui non vivit, ergo augmentatio non est actus vitalis, ergo vita non consistit in acquisitione perfectionis. Prob. ant. ignis enim se ipsum auget adhibito ligno velut alimento; & magnes nutritur ferro.

Respondeo dist.ant. Augmentatio, & nutritio impropria, & per juxta positionem, conc.ant. propria, & per intra sumptionem, & secundum alias conditiones viventis, neg. ant.& con. ignis consumit lignum, & oleum sibi appositum, & inde augetur extensivè in materia ligni, donec consumpserit, &, si in se augetur, hoc est per accidens. Magnes sibi unit ferrum appositum, sed hoc non est propriè nutriri, ut fit in viventibus, quæ sumunt, & attrahunt alimentum intra se, & illud alterant, corrumpunt, convertunt, & distribuunt per partes singulas.

Objicies 4. Elementa per actionem immanentem acquirunt debitam perfectionem, v. g. aqua recuperat nativum frigus, & gravia moventur ad centrum deorsum, & levia sursum; ergo vel male explicatur vita, vel illa elementa vivunt.

Resp. neg. ant. Nam, ut dixi, aqua non acquirit novam perfectionem, seu frigiditatem majorem illa, quam habet à generante, nec gravia acquirunt aliud centrum, vel quietem, quàm quæ ex genitore acceperunt, per accidens enim est, quòd primigenias qualitates, vel quietes, vel locos amittunt, non ita est de viventibus, quæ à genitoribus non habent omnes perfectiones sibi connaturales, sed solum principium, quo illas acquirunt, & istud dicitur vita.

CONCLUSIO II.

Datur aliquis conceptus vitæ communis Deo, hominibus, & brutis, item omnibus viventibus creatis, non tamen Deo, & viventibus omnibus creatis.

Prob. 1. pars; quia si vita concipiatur ut principium perceptionis, seu cognitionis, & volitionis, ille conceptus convenit non solum Deo, & Angelis, & hominibus, sed etiam brutis; percipiunt enim ea, quæ sibi conveniunt, & illa appetunt, ergo quoad hunc conceptum vitæ convenit Deo, & illis viventibus, non verò plantis, seu purè vegetabilibus, nullus enim dixit, quod sciam, illas esse cognoscitivas, nec volitivas.

Prob. 2. p. quia conceptus vitæ traditus in præcedenti concl. sic convenit omnibus viventibus creatis, ut patet, ergo nomen viventis, seu vitæ est illis quoad hoc commune, & univocum.

Prob. 3. pars quia non potest assignari ullus conceptus vitæ, qui sic conveniat univocè Deo, & cæteris viventibus creatis, ergo non debet asseri. prob. ant. nam ille, quem expressimus in 1. conclusione, non potest convenire Deo, qui non potest movere se ad ullam perfectionem propriè acquirendam, quam non habeat necessariò ex vi suæ existentiæ; ergo, &c.

Dico *univocè*, nam æquivocè, imò & cum aliqua analogia, ille idem conceptus vitæ convenit etiam Deo, quatenus per emanationes ineffabiles movet se ad proprias perfectiones. Voco *Emanationes* illas, quæ immediatè fluunt à naturis, seu essentiis: *productiones* verò actiones, quæ sunt à naturis mediantè aliqua potentia tanquam à virtute, & instrumento naturæ.

QUÆSTIO IV.

Quotuplex sit Anima, deque ejus potentiis, & gradibus viventium, & quomodo distinguantur.

Quidam putarunt esse unicam animarum speciem quæ secundũ diversas dispositiones subjectorum, in quibus sunt, vegetant, ut in plantis, aut sentiunt, ut in brutis, aut ratiocinantur, ut in hominibus.

bus. Alii, duas, *sensitivam*, & *rationalem*; alii quatuor, scilicet *vegetantem*, *sensitivam*, *loco motivam*, seu *progressivam*, & *rationalem*.

CONCLUSIO I.

Animarum species sunt tres realiter distinctæ, vegetativa, sensitiva, & rationalis, & prima est in plantis, quæ non habent nisi principium vegetationis, 2. in brutis, quæ præter vegetationem habent principium sensationis, & 3. in hominibus, qui præter cæteras includunt rationalitatem. Est communis.

Prob. 1. ex *Scoto* [1] docente, quòd *sensitiva, & vegetativa manent in intellectiva, & quod in homine qualibet pars carnis est animata anima sensitiva, quia in qualibet potest exerceri aliqua operatio sensitiva, ut tactus. Quælibet etiam est animata anima vegetativa, quia quælibet debitæ quantitatis potest aliquam actionem vegetantis habere; sensitiva autem, & vegetativa in homine est eadem anima cum intellectiva.* Habes igitur in Doctore [2] totam conclusionem, & quoad distinctionem animarum istarum in diversis viventibus, & illarum unionem in homine.

Prob. 2. Tot sunt species animarum, quot sunt principales, & essentiales modi, quibus viventia excedunt non viventia; sed hi modi essentiales sunt tantùm tres, ergo & tres species animarum. Prob. min. nam primus gradus essentialis, quo vivens excellit, est, quòd sit principium operandi non tantùm ad extra, ut ignis producit calorem, aut ignem, sed etiam ad intra, & immanenter acquirendo perfectionem novam per nutritionem, & accretionem; & hoc facit vegetans, qua vivunt plantæ, bruta, & homines. 2. quo præter istum primum habent principium operationum cognoscitivarum, & ista constituit sensitivam; qua non vivunt plantæ, sed sola animalia, & homines, 3. est, qua præter vegetationem, & sensationem, ratiocinantur, & discurrunt: & in hoc consistit tertia species, quæ reperitur in solis hominibus.

Hinc ergo constat sufficientia hujus divisionis; nullum enim est animatũ, quod non contineatur sub

[1] 2. *d.* 15. *q. un. F. n.* 7. [2] 4. *d.* 4. 4. *q.* 1. *A.* 3*n.*

uno ex his tribus, & nullum est ex his tribus, quod non sit verè animatum, ergo divisio est adæquata.

Indidem patet distinctio realis illarum animarum, sunt enim realiter separabiles, & in diversis realiter subjectis, ergo realiter distinguuntur. Prob. ant. in plantis est sola vegetativa sine aliis, in brutis est sensitiva, & vegetativa sine rationali, & in solis hominibus est rationalis cum aliis.

Objic.1. plantæ non operantur immanenter, ergo non vivunt. Prob. ant. 1. ex Scoto dicente,[1] quòd *omnes formæ sub sensitiva non operantur immanenter*. 2. quia nutritio, & augmentatio, propter quas dicerentur vivere, sunt etiam in igne, magnete, & aliis, ergo, &c.

Resp. neg. ant. absolutè, vel sic distinguo, non operantur immanenter immanentia perfecta, conc. ant. imperfecta, neg. ant. immanentia perfecta est ea, qua ipsummet principium operans est etiam subjectum operationis, sicut intellectus est subjectum intellectionis, & voluntas volitionis, imperfecta verò est ea, qua operatio recipitur, saltem in eodem supposito, & sic nutritio, & augmentatio plantæ remanet in eodem supposito plantæ, licèt in diversis partibus. Ad instantiam de igne, & magnete, & similibus, jam diximus supra id esse per accidens, & per juxta positionem.

Objic.2. Plantæ sentiunt, ergo non datur anima vegetans distincta à sensitiva. Prob. ant. habent potentiam cognoscitivam, & appetitivam, nam fugiunt noxia, prosequuntur bona, vitis fugit laurum, amat ulmum, cucumer fugit oleum, sunt aliquæ plantæ, cujus folia rumpuntur, si tangantur manu, una est, quæ dicitur *sensitiva*, quæ inclinatur, ne tangatur. Habent sexuum differentiam, & sese expetunt, ut palmæ.

Resp. neg. ant. & dist. prob. Habent appetitum innatum, qui consequitur formam cujuscumque rei, conc. ant. elicitum, qui supponit cognitionem sensitivam, aut intellectivam, neg. ant. primus igitur est in plantis sicut in non viventibus, sed paulò perfectior. 2. in sensitivis, & intellectivis: primus dicitur *Antipathia* & *Sympathia*, quædam occulta, qualis est inter ferrum & magnetem. Differentia illa sexuum est Metaphorica.

Inst.

[1] *4.d.49.q.8.F.n.*

Inst. Ex Scriptura, plantæ occiduntur, & moriuntur, [1] *occidit in grandine vineas eorum*, sed mors, & occisio non convenit nisi sensitivis, ergo, &c.

Resp. neg. min. Nam ex S. Augustino, [2] hoc genus rerum, quamvis non sentiat, vivit, ac per hoc potest occidi, & mori.

Objic. 3. Membra dividentia non se se includunt in bona divisione, sed istæ animæ sese includunt, nam intellectiva includit alias; & sensitiva includit vegetantem, ergo hæc divisio non est bona. Prob. maj. brutum, & homo, seu rationale, & irrationale, quæ dividunt animal, non prædicantur de se invicem.

Resp. dist. min. sese includunt realiter, seu virtualiter, transeat, formaliter, & sicut inferius includit superius in eadem linea recta, neg. min. & rationem ejus. 1. Illæ animæ non ponuntur in recta linea prædicamentali, sed indirectè, & reductivè, cùm sint entia incompleta. 2. vegetativa, quæ est in plantis, non includit sensitivam, nec ista illam nisi virtualiter, & ita est de rationali, ut dicebamus ex Scoto, unde formaliter dici non potest; anima rationalis est sensitiva, sicut dicitur *rationale est animal*. Illæ ergo animæ non se habent ut inferius ad superius, sed ut perfectius, & imperfectius, & sunt disparatæ.

Objicies 4. istæ animæ sunt genera, vel species, sed neutrum dici potest, ergo divisio non est legitima. Prob. maj. 1. anima rationalis non est genus, 2. plusquam specie differunt, ergo non sunt nec genera, nec species.

Resp. neg. maj. Quia non sunt entia completa, ut dixi, sed formæ constitutivæ generum, aut specierum, vegetativa, & sensitiva specie differunt, & constituunt entia genere distincta, rationalis verò constituit speciem atomam.

Objicies 5. Tot sunt animæ, quot gradus viventium, vel species potentiarum, sed sunt quatuor gradus viventium, & quinque potentiæ, ergo debent esse quatuor, aut 5. animæ.

Resp. neg. maj. Quia numerus animarum non sumitur ex eodem principio cum numero graduum, vel potentiarum, ut placuit Philosophis.

[1] *psal. 77.* [2] *1. de civit. c. 10.*

CONCLUSIO II.

Sunt quatuor gradus, seu genera distincta viventium, ad quæ omnia reduci possunt, potentiarum autem sunt quinque. Est communis.

Prob. breviter 1. pars ex dictis, nam aliqua vegetantur, & non sentiunt, nec moventur à loco, ut plantæ, quædam sentiunt, & non moventur loco, ut conchæ, & alia animalia, quæ lapidibus, aut plantis adhærent, quædam vegetantur, sentiunt, loco moventur, & sunt progressiva, ut bruta perfectiora, & homines, & supra hæc omnia intelligunt, & ratiocinantur, & quæcumque dicuntur vivere, possunt reduci ad unum istorum graduum: ergo hæc sunt, & non plura genera viventium.

Prob. 2. pars. Tot sunt genera potentiarum, quot operationum formaliter distinctarum, sed ista sunt quinque: ergo & illa, maj. patet, quia distinctio potentiarum colligitur ex diversitate formali operationum. Prob. min. nam inter viventia aliqua tantùm vegetantur, idest generant, nutriuntur, & crescunt: & hæc veniunt à *potentia vegetativa*, quæ sit principium harum operationum: aliqua præter vegetationem sentiunt: & hinc arguitur potentia *sensitiva*, inter hæc aliqua progrediuntur, & se movent localiter, & hinc potentia *loco motiva*, aliqua appetunt, prosequuntur bona, vel fugiunt nociva, & hinc potentia *appetitiva*, aliqua denique operantur intellectualiter, & hinc potentia *intellectiva*, & ad has reducuntur facilè omnes operationes, & potentiæ, ergo tot sunt, & non plures.

Objices 1. Tot sunt genera viventium, quot animarum, ergo vel sunt quatuor genera animarum, vel tria tantùm genera viventium, & potentiarum.

Resp. ut supra neg. ant. nam licèt potuerint aliter dividi animæ, ac etiam viventia, atque etiam potentiæ: tamen sic placuit Philosophis dividere ad vitandam confusionem ex nimia pluralitate, vel obscuritate ex nimia paucitate, sufficit ergo, quòd istæ divisiones sint adæquatæ, licèt possint aliter dividi.

Inst. Tam posset assignari genus sensitivorum non videntium, ut sunt talpæ, quàm non gradientium, sed

sed ista faciunt suum genus, ergo & illæ.

Resp. neg. maj. & disparitas est, quòd visio est quædam sensatio: & sic continetur sub gradu sensitivo, non autem gressus, seu motus localis, non est enim sensatio.

Objic. 2. Potentia nutritiva, & generativa sunt separabiles, ergo sunt plures potentiæ, prob. ant. mula, & fortè alia bruta non sunt generativa, ergo potentia generativa est separabilis à nutritiva.

Resp. neg. cons. Non enim quæcumque separabilitas operationum sufficit ad distinctionem specificam potentiarum, istæ operationes sufficienter comprehenduntur sub vegetativa.

Inst. Appetitiva non minus continetur sub sensitiva, & tamen facit membrum distinctum ab aliis, ergo & ista.

Resp. neg. cons. Nam licèt id forte potuisset fieri, quia appetitiva non tam est separabilis à sensitiva, quàm aliæ, tamen visum est Philosophis illam magis distingui, quàm nutritivam à generativa.

QUÆSTIO V.

An sint plures Animæ in singulis viventibus.

Certum est, quòd animalia vegetant, & sentiunt, & quòd homines præter hæc intelligunt, adeo ut præter potentias vegetativam, sensitivam, appetitivam, & progressivam habeant etiam intellectivam.

Quæritur, an in illis sint duæ animæ realiter distinctæ, scilicet vegetativa, & sensitiva? & in istis tres, scilicet vegetativa, sensitiva, & rationalis? an verò in brutis sit unica duabus æquivalens, & in homine una, scilicet rationalis, quæ tribus æquivaleat? Plato, & medici dicunt in homine tres esse animas, vegetantem in hepate, sensitivam in corde, & rationalem in cerebro, Manichæi duas rationales, unam, qua inclinatur ad bonum; alteram, qua ad malum.

Continentia virtualis est triplex. 1. qua unum potest aliud producere, sic sol calorem. 2. qua una forma potest perficere subjectum magis, quàm alia, & in perfectiori gradu, & eminentiori modo, quia ipsa est perfectior, sic forma mixti continet elementarem,

quia magis perficit materiam. 3. qua potest producere eosdem effectus formales, quos potest producere alia, & hoc 3. modo anima imperfectior v. g. vegetativa continetur in sensitiva, & utraque in rationali, quæ potest se sola operari operationes omnes proprias aliarum.

CONCLUSIO.

IN *animalibus, & hominibus non est nisi una formaliter anima, scilicet in illis sensitiva, in istis rationalis*. Est communis.

Prob. ex Scoto, [1] qui in textibus allegatis quæstione præcedenti docet, quòd sensitiva, & vegetativa manent in intellectiva, & alibi, quòd, *continens non est præcisè contentum, sed est ista perfecta entitas in se, sicut esset si contentum esset extra se, vel sibi additum: imo perfectior entitas est, quia ex perfectione sua continet omnem aliam entitatem. Unde anima intellectualis non tantùm est forma substanitalis ut sensitiva, sed est ita perfecte illa ultima entitas, quæ est ibi, sicut si præsupponeret aliam entitatem à se*. Igitur anima rationalis licèt identificet sibi sensitivam, tamen illam ita perfectè, imò perfectius continet, quàm si sensitiva ipsa ibi esset per suam propriam entitatem.

Idem clarè insinuat alibi, [2] dicens. *Intellectiva continet perfectè, & formaliter vegetativam, & sensitivam, & non sub ratione destruente rationem vegetativæ, & sensitivæ, sed sub ratione perfectiori, quam illæ formæ habeantur sine intellectiva*, &c. hæc continentia propter perfectionem continentis vocatur ab eo formalis, sed non propterea vult, quòd illæ aliæ sint ibi secundum propriam entitatem distinctam.

Prob. 2. ratione, quia nulla est necessitas multiplicandi animas in eodem vivente, cùm unica, eademque sufficiat, ergo in singulis viventibus est unica anima.

Prob. 2. Si darentur in homine tres animæ realiter distinctæ sublata rationali, possent remanere aliæ duæ, & sic successivè post amissam sensitivam remanere posset vegetativa, sed hoc est falsum, & contra omnem ex-

[1] 2. d. 1. q. 5. sen. 4. O. n. 25.
[2] 4. d. 11. q. 3. R. n. 37. & d. 44. q. 1. n. 4.

experientiam, ergo, &c. Prob. maj. ideo sustinetur in viventibus dari formam corporeitatis, vel formas partiales præter animam, quia remanet idem corpus secundum eadem accidentia corporea, ergo si essent plures animæ, possent similiter remanere successivè una post alteram.

Prob. etiam ex SS. Patribus, qui semper de anima hominis loquuntur in singulari, & de sola rationali fit mentio in symbolo Athanasii: [1] *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo*, idem docetur à SS. [2] Canonibus, & Conciliis, & traditur velut dogma certum, neque duas animas esse in homine, sicut Jacobus,[3] & alii Syrorum scribunt unam animalem, qua animetur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram Spiritualem, quæ rationem ministret, sed dicimus unam esse, eamdemque animam.

Objicies 1. Scripturæ loca, in quibus Spiritus ab anima distinguitur. *Deus pacis sanctificet vos, ut integer Spiritus vester, & anima, & corpus servetur.* Item *Benedicite Spiritus, & animæ justorum.* Scotus ipse dicit animam intellectivam addi sensitivæ: *quælibet differentia addita definitioni*, (seu speciei) facit aliam speciem *à præexistente. Exemplum de intellectiva anima addita sensitivæ*: Additio autem supponit distinctionem realem inter additum, & præexistens. Ipse Aristoteles docet, quòd *non simul sit animal, & homo, nec simul animal, & equus*, scilicet prius homo informatur anima vegetativa, tum sensitiva, & tandem intellectiva, ergo tres sunt animæ in homine, & duæ in bruto.

Resp. neg. cons. Ecclesia, & Patres distinguunt animam in homine penes officia, alioqui quoad substantiam loquuntur de illa in singulari. Unde quando Deus vivificavit lutum in formatione Adæ, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, aliqui legunt vitarum) *& factus est homo in animam viventem*, non dixit spiracula; nec animas viventes. Scotus facit pro nobis, nam si additio facit novam speciem, species sunt essentiæ indivisibiles: revera autem loquitur de additione differentiarum Metaphysicarum, quæ omnes identificantur in essentia, ut

 patet

[1] *de SS. Trin.* [2] *Clem. un.*
[3] *L. de Eccel. dog. c. 15.*

patet ex textu. Aristoteles intelligendus de successione non entitativa animarum, sed operativa, quatenùs infans successivè habet operationes vegetationis, tum sensationis, & denique intellectionis, alioqui non curanda ejus auctoritas, ubi agitur de anima rationali, quam fortè non probè novit, ut nos ex Christiana Philosophia, ipsemet se explicat dicens, *patet id in pueris, quibus statim ira, & appetitus, & concupiscentia existit* (Ecce functiones sensitivas) *ratio, & mens, procedente ætate in illis fieri natæ sunt*, (Ecce operationes intellectivas)

Inst. Embryo vegetatur, nutritur, & crescit ante 40. dies, sed tunc non adest anima rationalis, ergo adest vegetativa.

Resp. dist. ant. vegetatur vita matris, cujus substantiæ adhuc unitur, conc. ant. propria forma, neg. ant. non enim facit distinctum corpus à matre ante organizationem.

Objicies 2. Operationes diversæ arguunt diversas formas: sed in homine sunt operationes animæ vegetativæ, & sensitivæ, ergo & illæ animæ.

Resp. dist. maj. arguunt diversas formas, vel unam illis superiorem, conc. maj. absolutè, & semper, neg. maj. anima rationalis est superior vegetativa, & sensitiva, & illas continet virtualiter.

Inst. Saltem operationes contrariæ nequeunt esse ab eadem, sed in homine sunt operationes vitales contrariæ, ergo non sunt ab eadem anima. Prob. min. in homine sunt appetitus contrarii, sensus appetit ea, quæ ratio odit, & fugit, teste Apostolo: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, appetit aliqua naturaliter, alia liberè, sed hi appetitus sunt oppositi, inquit Paulus, ergo, &c.

Resp. neg. maj. Nam etiam contrarietas appetituum non semper arguit distinctionem realem principiorum, voluntas vult efficaciter, verbi gratia, metu mortis, quod non vult ex se, ut cùm mercator projicit merces, ne mergatur navis.

Inst. 2. actiones sensitivæ sunt immanentes in ipsa anima, à qua eliciuntur, sed illæ non possunt recipi in anima rationali, ergo recipiuntur in sensitiva, ergo hæc distinguitur ab illa in homine. Prob. min. accidens materiale non potest recipi in subjecto spirituali, sed

li, sed illæ actiones sunt materiales, & anima rationalis est spiritalis, ergo, &c.

Resp. dist. maj. in anima cum corpore, seu in toto composito ex anima, & corpore, à quo eliciuntur, conc. maj. in anima sola, neg. maj. sicut eliciuntur à toto homine, ita & in toto recipiuntur: non eliciuntur ab anima seorsim, nec in ea sola debent recipi.

Objicies 3. Corruptibile, & incorruptibile, spiritale, & materiale differunt genere, & non possunt identificari, sed anima intellectualis est incorruptibilis, & immaterialis, & sensitiva est materialis, & corruptibilis, ergo non possunt identificari in homine.

Resp. dist. min. Sensitiva, quæ est in bruto, est materialis, conc. min. sensitiva, quæ est in homine, neg. min. in bruto est corruptibilis, & materialis, at in homine est spiritalis, scilicet continetur in anima rationali, quæ talis est.

Inst. Sensitiva de sua ratione formali est extensa, & materialis, ergo non potest contineri in rationali, quæ est Spiritualis. Prob. ant. operationes ejus sunt materiales, quia sunt sensationes, sunt in sensibus, & à sensibus materialibus, ergo de sua ratione formali est materialis.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Sunt quidem in sensibus partialiter, & in toto homine tanquam principio, & subjecto *quod*, sed sunt ab anima velut principio *quo*. Esse autem principium *quo* sensationis non repugnat formæ Spirituali. Aliud est continere virtutes, & facultates sensitivæ, & materialis, aliud continere sensitivam ipsam materialem, illud præstat anima rationalis, non istud.

Quæres, *an continentia illa, qua sensitiva continet vegetativam, & rationalis sensitivam, sit formalis, an pure virtualis.*

Respondeo 1. si continere formaliter, & esse formaliter tale, sit habere entitatem propriam rei contentæ, sicut album continet entitatem albedinis, anima rationalis non sic continet entitatem sensitivæ, nec ista vegetativam, qualis est in brutis, aut plantis, quia sensitiva in brutis est materialis, & distincta realiter à rationali, & sic de vegetativa, quæ est in plantis, & in rationali identificantur realiter, & tota spiritualis est. Hoc sensu continentia illa est tantùm virtualis.

Respondeo 2. si continere formaliter, & esse formaliter tale nihil sit aliud, quàm esse principium formale sentiendi, & vegetandi, sensitiva continet formaliter vegetativam, estque formaliter vegetativa: & idem est de rationali respectu sensitivæ, & vegetativæ, nam anima rationalis est verè, & Physicè principium formale & operationum sensitivarum, & vegetativarũm, sicut sensitiva est principium vegetativarum, nec in his potest esse difficultas, nisi de nomine.

QUÆSTIO VI.

De Divisibilitate Animarum.

CErtum est animas tam materiales, quàm rationales non esse divisibiles in partes essentiales, quia non sunt compositæ ex materia, & forma, sed sunt actus, seu formæ incompletæ, & id maximè verum est de anima, quæ est substantia Spiritualis incompleta. Quæstio ergo procedit de divisibilitate in partes integrales, & supposito quod sic, quæritur an in partes homogeneas, vel heterogeneas?

CONCLUSIO I.

A*Nima rationalis est indivisibilis, aliæ vero duæ sunt divisibiles.* Est communis quoad 1. partem, & communior quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto, [1] Forma, *quæ est aliquo modo illimitata in perficiendo materiam sine sui distinctione, & extensione qualicumque, potest perficere plures partes materiæ. Exemplum: Anima intellectiva, quæ non est limitata ad perficiendam hanc partem corporis organici sine sui divisione, & extensione qualicumque, vel per se, vel per accidens potest perficere aliam partem corporis organici: ista enim proprietas, videlicet quòd forma non distinguatur, & tamen perficiat plures partes corporis, vel materiæ non cõvenit animæ ratione imperfectionis, quia ipsa ponitur forma perfectissima inter omnes formas natura-*

[1] 2.d.2.q.7.EE.n.40.

turales. Omnes autem aliæ formæ imperfectiores carent isto gradu in perficiendo: omnes enim limitantur ad perficiendum, nec perficiunt plures partes materiæ sine extensione per accidens. Ecce utramque partem conclusionis traditam à Doctore; [1] scilicet, quòd anima rationalis sit indivisibilis in corpore divisibili, & quod aliæ sint divisibiles, & extensæ, quod breviùs, & clariùs asserit alibi dicens, quòd *inter omnes formas perficientes materiam sola intellectiva ponitur talis;* (Tota in toto, & tota in qualibet parte.)

Prob. 2. quoad 1. partem: anima rationalis est Spiritualis, & immaterialis: ergo est indivisibilis entitativè. Ant. supponitur ex fide, & ex dicendis infra, quia in Scriptura [2] vocatur *Spiritus*, & quia experimur in nobis cogitationes immateriales de objectis Spiritualibus. Prob.conseq. nam in hoc differt materiale ab immateriali, quòd illud habet partes entitativas, non verò istud. Fortè tamen non repugnat substantiæ Spirituali habere tales partes, sicut de facto qualitates Spirituales sunt divisibiles in gradus, ut patet de gratia, & habitibus tàm naturalibus, quàm supernaturalibus.

Prob. 3. Quia si hæc anima esset divisibilis, esset mortalis, & corruptibilis, sed conseq. est erroneum in fide: ergo & ant. prob. maj. dum corpus post primam animationem crescit usque ad statum magnitudinis virilis, vel eadem anima dilatatur, ut informet novas partes acquisitas, vel novæ partes animæ acquiruntur, vel migrat à primis ad novas, & dum homo decrescit, aut cùm membrum illi amputatur, vel pars animæ illud informans moreretur, aut anima tota restringeretur. Sed nullum horum dici potest; ergo est prorsus indivisibilis.

Prob. min. 1. Si in augmentatione extenditur, ergo antea corpus informabatur duabus, aut pluribus animabus saltem partialibus, quia factum est duplo, aut sextuplo majus, sed hoc est absurdum, ergo non sic extenditur, 2. si per diminutionem, aut truncationem restringitur, ita ut pars, quę informabat brachium abscissum, reduplicetur in aliis partibus, sequitur idem absurdum de informatione ejusdem partis corporis per

[1] 4. d. 1. q. 5. B. n. 3.
[2] 1. Cor. 2. 5. & Eccl. 12.

per duas animas, seu duas partes animæ. 3. Si simul abscindatur animæ pars cum brachio, ergo vel illa pars perit, & moritur, & sic anima non est immortalis, vel remanet in materia, & illud brachium erit vivens, & homo, & hoc absurdius est. 4. Si novæ partes animæ acquiruntur cum novis partibus materiæ, ergo vel educuntur ex materia per nutritionem, & hoc à vivente, vel à Deo, si à vivente producerentur, esset materialis, & corruptibilis, si à Deo, darentur tot novæ creationes, quot aggenerationes, & in diminutione tot annihilationes, quæ omnia sunt absurdissima, ergo dicendum est animam esse prorsus indivisibilem entitativè.

Prob. 2. pars, quia illæ animæ educuntur ex potentia materiæ, & sunt materiales, ergo & divisibiles. Prob. conseq. nam aut educuntur indivisibiliter, & totæ de tota materia, & totæ de singulis partibus, aut de singulis partibus ejus partes singulæ illarum, sed primum dici non potest, quia materia non est indivisibilis, ergo dicendum est secundum, sed hoc dici non potest, nisi ipsæ sint divisibiles; ergo sunt de facto divisibiles.

Prob. 2. eadem pars experientia. 1. de plantis, quarum rami, & partes virescunt, & vegetant post separationem, imo & per insitionem truncis aliis suam speciem ingenerant. 2. de animalibus imperfectis, quæ insecta vocant, nam membra serpentum, & similia diu moventur, & sentiunt post abscissionem; ergo membra, aut partes abscissæ retinent partem animæ, ergo & ista est divisibilis. 3. de perfectis, v. g. de equo, bove, &c. si anima illorum esset indivisibilis, vel esset independens à materia, vel dependeret à pluribus causis totalibus, & ab una totali, & ab aliis partialibus, sed hæc falsa sunt; ergo est divisibilis. Prob. seq. dum illud animal acquirit novas partes materiæ per nutritionem, anima ejus, quæ totaliter pendebat à prima materia totali, jam informaret has partes novas, & ab istis penderet totaliter, vel partialiter, & si dicas, quòd non dependeret, se haberet ad illam novam materiam, ut forma Spiritualis, & aliter has informaret, quàm priores; ergo.

Dices animam dependere à nova materia in conservari, non verò in fieri.

Con-

Contra: dependet totaliter in fieri, & conservari à prima materia, antequam adveniat nova, ergo nullo modo dependeret à nova.

Dices 2. Concedendum esse conseq.

Contra. Si anima equi nullo modo dependeret à materia acquisita per nutritionem, posset equus vivere, quamvis auferrentur ab eo partes omnes acquisitæ, sed hoc est incredibile, & absurdum, ergo falsa responsio, & merum effugium.

Objic.contra 1. *partem*: ex Philosopho, omne, quod est in materia, est divisibile; sed anima rationalis est in materia, ergo est divisibilis.

Resp. neg.maj. Nec enim id intendit Philosophus, nec esset audiendus, si hoc prætenderet.

Inst. quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; sed anima recipitur in materia divisibili: ergo ipsa est divisibilis.

Resp. dist. maj. ad modum recipientis formaliter, aut virtualiter, conc. maj. formaliter tantum, neg. maj. & conseq. anima rationalis est virtualiter divisibilis in ordine ad informandam materiam divisibilem, sicut Angelus ad occupandum spatium divisibile, alioqui anima deberet etiam esse materialis, sicut corpus, in quo recipitur.

Objic. 2. partes corporis humani separatæ moventur, ut patet de capite absciso, quod non solum movetur, sed etiam loquitur, ergo remanet animatum.

Resp. neg. conseq. Nam illi motus, imo & efformatio quarumdam vocum veniunt à Spiritibus vitalibus in membris illis reclusis, non ab anima, & parum durant, vel aliquando ex miraculo, ut in Sanctis Paulo, Dionysio, & aliis.

Objic. 3. Si anima posset esse eadem in omnibus partibus corporis, quatenus est in capite, distaret à se ipsa, quatenus est in pede, & quælibet pars esset homo, & intelligeret, sed hæc falsa sunt; ergo non est indivisibiliter in toto corpore. Prob. maj. Esset ubique tota quoad substantiam: ergo, &c.

Resp. neg. seq. & conseq. prob. nam licet anima sit ubique tota, non est ubique totum corpus, nec eadem organa, & sic non sufficit pars corporis, ut dicatur homo, nec potest intelligere, aut loqui, aut videre ubique, sed tantum in membris dispositis ad tales operationes.

Obji-

Objic. 4. si esset indivisibilis, maximè propter Spiritualitatem; sed hæc ratio non valet: ergo est divisibilis. prob. min. divisibilitas non repugnat Spiritualitati, ut patet in qualitatibus, quæ sunt intensivè divisibiles, nec indivisibilitas est ita propria Spiritui, quin reperiatur in rebus corporeis, quale est punctum: ergo indivisibilitas animæ non probatur ex Spiritualitate.

Resp. 1. neg. maj. non petitur quidem ex sola Spiritualitate, sed maximè ex immortalitate.

Resp. 2. neg. min. & paritatem de divisibilitate extensiva substantiæ, & intensiva qualitatum; intensio enim fit de qualitate in eadem parte subjecti, non verò divisio extensiva, quæ facit molem. Punctum verò licèt non habeat partes, est tamen corporeum, & materiale, est continuativum corporis, ut corpus est, quod de anima dici non potest.

Objicies 1. contra 2. partem. Aristoteles dicit omnem animam esse indivisibilem, & quòd in augmentatione pars manet secundum formam, non verò secundum materiam, ergo ex Aristotele aliæ animæ sunt indivisibiles.

Respondeo neg. conseq. quia loquitur de indivisibilitate formali, & secundum essentiam, non verò de materiali. Idem est de partibus formalibus: scilicet per illas intelligit naturam specificam, & per partes materiales intelligit individuales, quoad illas omne vivens in nutritione remanet idem, sed non secundum materiales, quæ sibi succedunt per actionem caloris consumentis, & aggenerantis.

Objicies 2. non repugnat animabus illis indivisibilitas, ergo de facto sunt indivisibiles. ant. patet, quia nulla potest afferri repugnantia. prob. conseq. quia non debet afferri absque necessitate multiplicitas partium in illis animabus, si unica indivisibilis entitas sit possibilis, & sufficiat.

Resp. dist. ant. non repugnat absolutè, & præcisa dependentia illarum à materia divisibili, & ab agente materiali, trãseat; nõ enim hujus loci id examinare: supposita illa dependentia, neg. ant. nam repugnat substantia Spiritual s dependens in esse, & fieri à materia, seu subjecto, in quo sit modò extensior, modò restrictior, & semper indivisibiliter, ut animæ brutorum dependent à suis corporibus.

Resp.

Respondeo 2. neg. conseq. licèt enim non repugnarent tales formæ, non sequitur istas esse tales ob rationes conclusionis.

Inst. habemus easdem experientias de indivisibilitate animæ bruti, ac de anima rationali; ergo si non patet repugnantia talis indivisibilitatis, debet admitti. prob. ant. tam citò moriuntur bruta, saltem perfecta, abscissis membris, quàm homines; & ipsa membra abscissa non plus retinent motus, & actionis, quàm membra humana; ergo sunt eadem signa indivisibilitatis.

Respondeo neg. conseq. nam mors illa non venit præcisè ex indivisibilitate animæ, sed quia per abscissionem, & separationem talium membrorum destruuntur dispositiones necessariæ ad conservationem vitæ, seu animæ in toto animali, quod patet in imperfectis, nam si divideretur lacerta à capite ad caudam, citiùs, aut statim moreretur; non verò si cauda separetur à capite; ita est de aliis cum proportione v. g. si vulnerentur in corde, &c.

Objicies 3. si pes doleat, aliæ partes infirmiores sunt, ergo eadem est anima in pede, & aliis membris.

Resp. neg. conseq. sensus enim doloris in partibus non læsis venit à contiguitate, & continuitate nervorum, & partium, per quas extenduntur, & mittuntur species sensationum; item propter sympathiam, & communicationem Spirituum, & id fateantur adversarii necesse est: nam in imperfectis, v. g. in lacertis, quas non negant esse divisibiles, caput sentit, dum læditur cauda.

QUÆSTIO II.

PRobabilius est animas illas esse divisibiles in partes homogeneas. Est communis Scotistarum.

Prob. 1. quia, ut docet Scotus, post Aristotelem, & Philosophos [1] omnes, *in naturalibus non sunt plura ponenda, quàm ratio naturalis necessariò convincit*, & præterea docet *partes organicas corporis viventium esse distinctas specie per formas substantiales*, scilicet partiales corporeitatis, de quibus ibi loquitur. Unde diversitas specifica organorum in viventibus etiã perfectis non venit ab anima, quę est ultimus actus, & à qua est unitas compositi, sed à formis partialibus

Prob.

[1] 4. d. 11. q. 3. A. n. 2. ibid. CC. n. 46.

Prob. 2. ex allato principio Scoti, non sunt multiplicandæ species rerum absque necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi species partium animæ brutorum, ergo sunt ejusdem speciei. Prob. min. Si esset ulla necessitas, peteretur ex hoc capite, ergo ex nullo peti potest. Prob. min. non sufficienter, nec melius petitur ex formis partialibus corporeitatis: ergo non rectè petitur ex ea diversitate.

Prob. 3. & simul confirmatur præcedens ratio, quia nisi anima esset in se una specie, & ejusdem rationis, & in omnibus suis partibus entitativis, totum compositum ex ea constitutum non esset unum specie, nisi unitate ordinis, & continuationis, non verò unitate essentiali, & formali, includeret enim tot composita specie diversa, seu partialia, quot haberet partes organicas diversas.

Dico, *quot partes organicas diversas*, nullus enim dubitat, quin anima illa sit ejusdem rationis in omnibus partibus unigeneis, v. g. carnis, vel ossis, oculi, ergo & pedes non se haberent ad invicem, ut partes unius animalis specie, sed ut plura specie diversa, & non aliter unum, quàm unitate continuitatis.

Objicies 1. illæ partes sunt diversæ, quæ exigunt subjecta diversa; sed partes animæ brutorum exigunt subjecta diversa; ergo ipsæ sunt diversæ. Prob. min. pars, quæ informat oculos, sic exigit illas partes, ut non posset informare pedes, nec, quæ informat pedes, posset informare oculos, ergo exigunt diversa specie subjecta.

Resp. neg. min. & ant. probationis, sicut enim in homine eadem anima indivisibiliter est in oculo, & pede, & indifferens ad illas partes, sic cum proportione dicendum de anima bruti, ex se enim formaliter, & præcisè à ratione formæ totalis est indifferens ad esse in capite, vel in pede, & si à Deo pars, quæ est in pede, poneretur in capite cum debita quantitate, idem præstaret.

Objicies 2. Animæ equi, & bovis differunt specie, ergo & partes animæ in oculo, & pede differunt specie. Prob. conseq. Illæ enim partes requirunt corpora, & organa diversiora, quàm animæ bovis, & equi, ergo, si illæ sunt ejusdem rationis in entitate sua formali, licèt sint in diversis adeo subjectis, ita est à fortiori de istis.

Resp. neg.conf. & ant. prob. & ratio disparitatis est, quia animæ illæ bovis, & equi,præterquam quod exigunt diversa specie corpora, & habent diversas in eis operationes, non habent inter se ullam attributionem, nec continuitatem, vel unitatem: non ita est de anima bovis in se respectu partium ejusdem bovis.

Ex dictis sequitur quid respondeatur ad quæstionem, *Utrum anima sit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte.*

Certum enim est, quòd cùm anima sit indivisibilis, & Spiritalis, est in corpore indivisibiliter, scilicet tota in toto, & tota in qualibet parte, & contrarium est dicendum de anima animalium omnium, quandoquidem illorum animæ sunt materiales, & divisibiles.

QUÆSTIO VII.

De Partibus viventium, & maximè corporis humani.

PArtes viventium sunt. 1. *Essentiales*, scilicet quæ constituunt illa in sua specie, vel Metaphysica, ut genus, & differentia, vel Physica, ut corpus, & anima. 2. *Integrales*, quæ faciunt ad ejus integritatem, ut caput, brachia, thorax, venter, femora, crura, pedes.

3. Integrales sunt *externæ*, quæ ex figura dignoscuntur v.g. capitis, faciei, pedum, &c. *Et internæ*, quæ attenduntur penes substantiam suam præcisè à figura. 4. internæ sunt vel *similares*, seu *homogeneæ*, seu *simplices* quædam particulæ corporis ex quatuor humorum temperatura constantes, & ad alia organa, seu membra conflanda ordinatæ, ut cerebrum, nervi, medulla, ossa, venæ, caro, tendo, cartilago, adeps, sanguis, &c. Vel *dissimilares*, seu heterogeneæ, quæ ex similaribus conflantur, ut sunt membra perfecta caput,stomachus, cor, hepar, venter,&c.

4. *Nervus* est substantia cerebro persimilis, sed siccior,densior,& durior deferendis Spiritibus ad motum, & sensationem necessariis idonea,*Ligamentum* est corpus nervosum, quo invicem ossa colligantur. Inter *nervos*, & *ligamentum* est *tendo*, qui fit ex permixtis, confusisque nervorum, & vinculorum fibris. *Venæ*, & *Arteriæ* sunt ductus quidam, sive canales naturales,

les, per quos sanguis, & Spiritus divehuntur. *Arteriæ* distinguuntur à *Venis*, quia, cùm oriantur à corde, pulsant, & indicant illius motum, non autem venæ, quæ oriuntur ab hepate, & illæ Spiritus, istæ sanguinem vehunt. *Venæ* unica tunica constant, fibrisque rectis distinguuntur; *Arteriæ* verò duplici, una exteriore, quæ durior, & crassior est, fibrisque transversis contexitur cum quadam cuticula in superficie simili aranearum telæ. Has, & nervos ex semine oriri scribit Galenus, ideo reparari non possunt.

5. *Caro* quadruplex est 1. sine nervis. 2. est *musculorum*; qui ex carne, *ligamentis*, & *tendonibus* constant, nervis quoque, & arteriis, quibus aluntur, stipantur. 3. *glandulosa*, & crassior; 4. est *viscerum*, ejus officium est, ut quasi vestis naturalis corporum membra eorum foveat, & tueatur.

6. *Cartilago* mediat inter carnem, & ossa, est frigida, dura, & sicca, minus tamen, quàm ossa, alia est in extremis ossibus, ne illa in motibus atterantur, aut carnes lædant, alia est ab illis separata ad alios usus. *Cartilago* nutritur ex muscoso quodam humore illi circumfuso, & dicitur etiam genita ex semine.

7. *Cutis*, quæ ad tegendum corpus data est, alia *exterior*, quæ *cuticula* dicitur, & tenuissima est, & quasi sensus expers, alia *interior*, quæ simpliciter *cutis* dicitur, quæque crassior, & temperatissima est, inter carnem, & nervum media, rara, & perspicua (maximè humana) habens meatus ad expellenda excrementa, ut sudores, & halitus transpiratos. In homine enim cum carne coalescit, ut inferri non possit nocumentum cuti, quin carni inferatur. *Cuti* pinguedo, pinguedini membrana quædam subjicitur dicta *panniculus*, ipsique *cuti* per *villos* quosdam inhæret, & vocatur pannus nervosus, quia nervosa est.

8. *Membrana* est integumenti carnosi genus, *tunica* dicitur, nascitur ex substantia membrorum, aut nervorum, aut ex semine, vestitque singula membra, ossa, & viscera.

9. *Ossa* sunt frigida, & sicca, & sicut ex viscoso humore terræ, dum calore percoquitur, & frigore addensatur, fiunt lapides, sic *ossa* ex parte seminis magis terrea, frigore inspissante, & calore recoquente fiunt *ossa*; interius *medulla*, quam è spinali derivant, nutriun-

nutriuntur, de illorum numero, & officiis consule medicos.

10. *Caput* tres habet partes; *sinciput*, quod anterius est, & fronti conjunctum, *occiput*, quod posterius, & cui cerebrum subjicitur, & *vertex*, quod medium occupat locum. Carne tenui extrinsecus tegitur multis meatibus terebrata, quibus excrementa cerebri, & cum his pili emittantur, interius concameratur *osseo* quodam, & *concavo fornice*, quem *cranion*, seu *vulvam* vocant, quod tres suturas habet, per quas crassiores cerebri vapores exudant. Totum cranium membrana circumtegitur, quæ *pericranium*, seu *Periostum* appellatur, intrinsecus verò duabus aliis, quæ cerebrum supra, & subter velant, superior dicitur *dura mater*, seu meninx, quia dura, crassa, & cuticularis est, atque cranio magnitudine, & figura undique compar, & ita duplicata est, ut gemina appareat. Alligatur cranio quibusdam villis, quibus per suturas generat pericranium; Replicatur in corporis vertice, dextramque partem cerebri à sinistra sejungit ad ejus solum medium protensa instar falcis, posteriori verò parte quadruplicatur, ac cerebrum à cerebello magna ex parte separat. Inter has autem *dura meningis* quatuor sinus sunt, qui tanquam rivi sanguinem quoquo versum in cerebri substantiam effundunt ad ejus nutritionem, Spirituumque vitalium procreationem. Usus igitur *duræ meningis* est, ut *Cerebrum*, & *spinalem medullam* tegat, & conservet, ut cerebri partes distinguat, ut excipiat Venas omnes, quibus sanguis ad *calvariam*, & tenuem membranam defertur.

Sequitur altera membrana dicta *pia mater*, sive tenuis membrana, quæ in omnes cerebri sinus se insinuat, & vasa per universum cerebri corpus deducit, ideoque *secundina* vocatur.

At Cerebri humani adhuc mirabilior est structura; quippe amplissimum est, & in duas dividitur partes. *Anterior* cerebri nomen retinet, quia est amplior, posterior vero *cerebellum* dicitur, quod cerebro continuatur ex inferiori tantùm parte, quia ex superiori ab eo secernitur per *duram matrem*.

Cerebri substantia mollis est alba, & medullaris, ex purissima seminis portione genita; mediocri-

diocriter frigida, humidaque ad temperandos Spiritus vitales, quos recipit ex corde, & facit animales; si enim calidior esset, metus furibundi, & sensiones phræneticæ semper fierent. Multiplicibus meandris, & anfractibus implexum est ad sanguinis, & Spirituum meliorem præparationem, Spirituumque sensoriorum conservationem. Intùs in cerebri medulla pars quædam adhuc candidior, & durior, venulis, arteriolisque nullis intertexta, quæ *corpus callosum* dicitur ob duritiem, Hoc geminis ventriculis, *dextro* scilicet, & *sinistrò* excavatur, quos anteriores sinus vocat Galenus. Hi sunt amplissimi, figuram falcatæ lunæ, vel auriculæ humanæ referentes, in medio ferè cerebri siti sunt, & tenuissima cerebri portiuncula distinguuntur, quæ *septum lucidum*, seu *lapis specularis* dicitur. Spiritus crassiores continent, & gemini sunt, ut, uno læso, non desit alter. Inserviunt autem. 1. ad formationem spirituum animalium. 2. ad inspirationem, & expirationem cerebri. 3. ad odorum perceptionem. Hi concurrendo desinunt in *tertium ventriculum*, qui sustinetur arcuato quodam corpore, quod *fornix*, sive *testudo* vocatur. Hic propriè centrum cerebri occupat, & illi subest quædam portiuncula *tenuis menjugis* instar fundibuli ad pituitam transcolandam, quæ per *glandulam pituitariam* in palatum paulatim instillatur versus posteriorem cerebri partem. Illi adhæret *glandula* ad instar nucis pineæ turbinata, quæ venis, & arteriis in cerebrum fusis id ipsum firmat, ut glandes reliquæ, & *conarium* dicitur.

Huic à tergo utrimque contigua sunt corpuscula rotunda, & duriuscula, *nates* dictæ. Sub his apparent quidam testes, per quos canalis quidam efformatur à 3. supradicto ventriculo ad 4. qui omnium minimus est, sed solidissimus, cerebello, & Spinali medullæ communis paulatim in acumen instar calami arctatur. Horum ventriculorum mentio deinceps occurret sæpè, ideo accuratiùs describere placuit.

In Capite sunt organa sensuum præcipuorum, scilicet *visus*, *auditus*, *odoratus*, & *gustus*; de quibus infra.

Collum Capiti quasi basis subnectitur, rotundum, & oblongum, spinæque, & humeris insitum, per poste-

posteriorem ejus partem descendit *spina* dorsi *vertebris*, 7. Inter se nervis, & cartilagine colligatis frondescens, atque à vertice derivata, in qua foramen est, per quod à cerebro, & cerebello *medulla spinalis* derivatur, dura pariter, & tenui membrana tecta. In hac propagandorum per corpus reliquum nervorum mira est fecunditas, ut enim ad dorsi finem pervenit, tota jam nervosa effecta ex se quasi funiculos, seu filamenta innumera instar caudæ equinæ propagat, interimque per singula *vertebrarum* foramina nervos emittit, omnesque illi, sive qui ad *lumbos*, sive qui ad *dorsum* disperguntur per fibras à cervicali medulla videntur procedere.

Ex superiori ergo parte hujus *medullæ spinalis*, nervi, & musculi ad *maxillas*, & *linguam* porriguntur, qui motum illis, ac firmitatem afferunt. In anteriore colli parte *guttur* habet asperam arteriam, & gulam velut duas fistulas à *circulis*, & *cartilagineo* corpore factas; quarum usus dicetur infrà.

12. *Thorax*, seu *pectus*(*humeros*, & *brachia* omitto, quia in his minùs est artificii, & notiora sunt) anteriorem corporis partem occupat, latum tumens, & utrimque constrictum 12. costis curvis; quæ spinæ vertebris alligantur. Hinc inde *mammis* protuberat, quæ lac gignunt in fœmina. Harum substantia spongiosa est, plurimis venis, & arteriis distincta, & cum utero talem habet sympathiam, ut ex hoc in illam refluat facilè sanguis, ex quo alimentum infantibus paratur.

13. Partes *pectoris*, seu *Thoracis* aliæ sunt *continentes*, ut *cuticula*, *cutis*, *adeps*, *panniculus nervosus*, *membrana communis* musculos omnes convestiens, aliæ *contentæ*, ut sunt *pulmones*, *vena cava ascendens*, *arteria magna*, *vena arteriosa*, *arteria venosa*; *aspera arteria*, *esophagus*; *pleura*: *mediastinum*, *diaphragma*, præter musculos per plures, quibus illæ partes miro artificio sunt stipatæ, & variè moventur.

14. *Cor* est intra pectus parum à sinistris *à ventriculo* separatum, *coni* figuram referens, eamque paululum fastigiatam, ex carne solida, triplici villorum genere intertexta, rectis, obliquis, & transversis, iisque mirè complicatis, ut firmius stabiliatur, & sanguis huc, illucque trahatur, aut servetur attractus.

Ha-

Habet *ventriculos* duos, *dextrum*, & *sinistrum*. *Dexter* à cava vena per villos suos rectos sanguinem sugit, & haurit, indeque per transversos, & venam arteriosam in pulmones trajicit. *Sinister* fons est Spirituum vitalium, haustumque à dextro sanguinem per orificium intermedium utrique commune, seu septem poris percribarum vi caloris naturalis, qua pollet maximè, convertit in Spiritus. Ab hoc *arteria maxima*, quam *Aortam* vocant, oritur, & in duos quasi ramos diffunditur, ac deinceps in plures alios.

Utrique ventriculo subest quædam quasi auricula, velut promptuarium vel sanguinis pro dextro, vel aeris pro sinistro, prima est in orificio venæ cavæ, & 2. in orificio arteriæ venosæ.

Totum *Cor* circumtegit pellicula *pericardion* dicta, quæque *diaphragmati pleura mediastina* alligata illud munit, & nativo humore refrigerat, sicut & adeps illi adjacens. Sic in medio pectore situm est, ut ejus mucro paululum deflectat ad sinistrum latus versus mammam, ut eam calefaciat, sicut *hepar* calefacit alteram. Venam habet, quæ totam basim ejus cingit, & ideo *coronaria* dicitur, ab eaque rami plures hinc inde sparguntur, & aliquando est gemina, sicut & arteria; Denique nervos habet exiles à sexta conjugatione descendentes, ut quibusdam placet.

15. Ad dextrum pectoris latus est *pulmo* cordis ventilabrum ex carne spongiosa, dilatabili & complicabili; & latus est in duas partes divisus, sicut pes bovis; implet totam capacitatem pectoris; in vertebris dorsi considet tunica tenui obductus. Triplici vasorum genere sustinetur, & adhæret; scilicet *vena arteriosa* procedente à dextro cordis ventriculo, quæ in totam pulmonis substantiam rivos effundit. *arteria* autem *venosa* in omnes pulmonis partes sparsa trunco unico in sinistrum cordis latus intruditur, *Aspera* item *arteria* à faucibus in totum pulmonem decurrit; *maxima* autem pulmonum, & cordis connexio est; alligantur enim cordi per duo vasa, & dorso per asperam arteriam.

Porrò quatuor prædicta vasa, scilicet *vena Cava Arteria magna*, *vena arteriosa*, & *arteria venosa* in

basi

basi cordis inseruntur cum undecim *ostiolis*, quasi *valvulis*, quarum duæ adnascuntur arteriæ venosæ, tres verò singulis aliis tribus. Ex his aliæ foris aperiuntur, & intus clauduntur: aliæ è contra foris clauduntur, & intus aperiuntur, ne impetu sanguinis aer egrediatur, vel ingrediatur.

16. *Oesophagus*, qui & *gula* dicitur, est quasi pons, & via cibum deferens ad ventriculum, à faucibus ad ventriculum pertingit, quasi syringa, constat duabus membranis, quarum *exterior* carnosa est, villisque circularibus, & transversis obsita: *interior* verò crassa, & nervosa, venasque proprias habet, arterias, & nervos, ut aliæ partes dissimilares.

17. *Pleura* est membrana omnes prædictas thoracis partes succingens, tenuis, sed firmissima, per quam sparguntur plures nervorum surculi è 6. conjugatione. Crassior circa dorsum, ubi vertebrarum ligamentis nectitur. Cùm ad mediam Thoracis partem pervenit, hinc inde duplicatur, & à spina ad sternum fertur dexteram thoracis partem à sinistra dirimens, ideo *mediastinum* dicitur.

18. *Diaphragma*; est septum musculorum, quod quasi pars interjecta, ventrem medium ab inferiore, & vitalia organa à naturalibus dirimit, transverso situ collocatum, ad inferiore sc. parte thoracis ad posteriorem protenditur. Constat duobus circulis, uno membraneo, altero carnoso, duabus venis, totidem arteriis, & duobus utrimque nervis, duabus item tegitur tunicis, & duobus foraminibus pervium, per quorum unum stomacho præbetur via, per alterum venæ cavæ, præsertim ad motum pulmonum juvandum, & ideo fere totum musculus est.

19. Supra illud est *Jecur* à dextro latere, & *lien* à sinistro, illud habet figuram semicirculi, carnosum, & sanguineum, *Lien* paulò depressior est, figuræ oblongæ, & triquetræ, spongiosus, niger, & laxus, hæretque costis, quas *nothas* vocant. Hic plures venulas ex se alio spargit, maximè in ventriculum, à quo melancholiam sugit, & ad os sacrum, quo succos fæculentiores egerit, quibus hæmorroidę generari solent.

20. *Ventriculus* sequitur, ad quem per diaphragma à faucibus descendit *gula*, id est *Arteria* ex carne

molliori confecta, traducendo alimento idonea, ideò dilatata, & compressu facilis. *Ventriculus* est figuræ rotundæ, & oblongæ, & dorso alligatur angusto quodam canali, cum quo gulæ extremo committitur, ne nativus ejus calor, si apertus esset, exhalaretur.

21. *Intestina* ventriculo proximè subsunt innumeris spiris, & anfractibus sinuata, ut cibus in illis diutius inhæreat, ac ne animal perpetuò deglutiendis cibis inhiaret. Quod immediatè ventriculis subest, dicitur *duodenum*, versus dorsum se se exporrigens, ut bilem in fellis vesicam per meatus quosdam depellat. Quod sequitur, *Jejunum* vocatur, & inde cætera admirabili conditoris sapientia implicata sequuntur. Præterea *Ventriculus* duplici membrana tegitur ad calorem retinendum, & ad firmitatem; una pinguissima est, & à *Diaphragmate* oritur, anteriorem partem ventriculi usque ad pubem operit, & dicitur Omentum.

Altera *peritonæum* dicta intestinorum involucra, *Jecur*, *Renes*, *omentumque* circumambit; Diaphragmati, ut ex lumborum vertebris adhæret, & usque ad pubis ossa erigitur, multis foraminibus cribratur, ut arteriæ descendenti venæ cavæ descendenti *œsophago*, aliisque venis descendentibus aditum præbeat.

22. *Spina dorsi* ex posteriori cerebri parte descendit ad *os sacrum* cum 24. vertebris rotundis, & concavis, nervis, & ligamentis colligata, eaque arte formata, ut homo flecti, & curvari facilè posset. Vertebræ medulla è cerebro manante replentur, & inde ossa, & costæ, quæ inseruntur spinæ nutriuntur. Costæ à cervicis radicibus usque ad medium corpus exporriguntur, desinuntque in partem anteriorem. Quæ inferius descendunt, breviores sunt, ne ventri noceant. *Spinæ*, qua parte in os sacrum desinit, coxis annectitur. In ea multæ venæ quasi rivuli interduunt in alimentum, eique vena cava intrinsecùs adjuncta est, ut firmata magis possit quoque validiùs in alias diffundi. Plato addit alias duas illi venas inseri, quæ in longum porrectæ in vasa seminalia fluant; sed hoc aliis non placet.

23. Prope *os sacrum* eidem spinæ infimæ ad latera, *venæ cavæ* adhærent *renes* paulo infra *Jecur*, inanibus

bus quibusdam partibus præditi, glandulosi, rubri, densi, solidique instar cordis. Huc duæ venæ vulgò *emulgentes* dictæ aquosa excrementa sanguini admixta invehunt, ipsosque alunt adjuvante nativo eorum calore: tum ipsæ in varios rivulos diducuntur, ut humor undique diffundatur ob alimentum. In medio renum sinus est concavus, in quem humor aqueus, & cerosus à reliquo alimento secretus diffluit: Inde alii duo canales ad vesicam descendunt, qui *urinarii* dicuntur, quia per eos *urina*, id est humor aquosus bili aliqua infectus à renibus egeritur. Ideo vesica constat membrana firmissima, & collocatur in coxarum antro sub osse pectinis, & recto intestino, quod ad os sacrum protenditur, ac stercus egerit.

24. *Uterum maternum* relinquo medicis, & anatomicis describendum. Mitto etiam *humeros, brachia, manus, crura, tibias, pedes*, & similia membra externa, quæ de se notiora sunt, nec eorum notitia sic requiritur ad functiones animæ perdiscendas.

Huc usque partes solidas breviter descripsimus, & restarent fluidæ, quæ sunt quatuor humores, *semen, Spiritus, adeps*, & *medulla*; & excementitiæ, ut pili, & *ungues*, & aliqui addunt *dentes*. De humoribus, & semine diximus supra.

25. *Spiritus* est pars sanguinis tenuissima in corde, vel cerebro perpurgata, & inde sparsa ad functiones vitæ, & sic generatur. A vena cava derivatur ramus in dextrum ventriculum cordis, quo sanguinem haurit: cor autem cùm perpetuo moveatur motu dilatationis, & constrictionis, dum dilatatur, ventriculus ejus dexter repletur sanguine, eoque effervescente, partes tenuiores sanguinis percolantur in sinistrum per membranulam interjectam, ibique ampliùs illæ partes sanguinis perficiuntur, maxima verò pars earum cerebrum petit, ubi adhuc magis perficiuntur, & evadunt Spiritus animales, & sensitivi, & per meatus ad id destinatos organa sensuum subeunt ad sensationes eliciendas.

26. *Adeps*, seu *pinguedo* est substantia illa unctuosa, quæ musculorum extremitatibus, membranisque accrescit ex frigida portione sanguinis, quæ ex veni excidens exsanguibus, ideo quæ frigidis membrani

adhæret, ibique velut oleum frigore concrescit. In humidissimis animalibus, ut sue, dicitur *pinguedo*, in temperatis hominibus dicitur *adeps*, in siccis, ut capra; & bove, dicitur *sevum*.

27. *Medulla spinæ* est ejusdem substantiæ cum cerebro, illique continua, ut diximus, quæ verò in ossibus est, dicitur sanguis concoctus, & per poros ossium in illorum interna transmissus, ut sit illorum alimentum. Si quæ autem ossa carere videntur medulla, ut dicitur de ossibus Leonis, alio nutriuntur secretiori alimento.

28. *Dentes* aliqui annumerant ossibus, aliqui partibus excrementitiis, certè cum ossibus conveniunt in temperie sicca, & frigida, in soliditate, duritie, lævore, & candore. Illorum officium est cibum stomacho præparare, ad vocis efformationem concurrere: triginta circiter sunt in hominibus.

29. *Pilorum* materia est excrementum quoddam crassum, & fuliginosum, quod exiens per poros indurescit, & aliud superveniens propellit, unde pili in longum protenduntur, & sicut pori sunt recti, aut curvi, ita pili recti, aut curvi, seu crispi nascuntur. Ejusdem materiæ, ac naturæ sunt plumæ avium, frondes arborum, imo & squammæ piscium, juxta illud.

Sunt eadem crines, frondes, densæque volucrum
Pennæ, tum squammæ, queis fortia membra teguntur.

30. *Ungues* denique nascuntur de excrementis nervorum, arteriarum, & ligamentorum, & idem est de *rostris*, & *cornibus*, aliisque similibus.

QUÆSTIO VIII.

Quæ partes animalium informentur anima.

Sic explicatis partibus corporum, restat inquirendum, an omnes prorsus vivant formaliter, seu an informentur anima vegetativa, aut sensitiva, aut rationali?

CON-

CONCLUSIO I.

P*Artes omnes organicæ informantur anima, sicut & partes omnes solidæ, quæ ad primam consistentiam corporis spectant.* Est communis.

Prob. 1. *ex Scoto*, partes omnes *carnis, quæ generantur ex nutrimento, sunt verè animatæ etiam anima intellectiva .... Quia quælibet est animata anima sensitiva, quia in qualibet potest exerceri aliqua operatio sensitivæ, ut tactus. Quælibet etiam est animata anima vegetativa, quia qualibet debitæ quantitatis potest aliquam actionem vegetativæ habere, sensitivæ autem, & vegetativa in homine eadem anima est cum intellectiva*, ergo ex Scoto partes omnes corporis, in quibus exerceri potest, aut cernitur aliqua operatio vitæ, quales sunt *sentire, nutriri, crescere per intus susceptionem*, informantur anima vitali.

Prob. 2. quia partes illæ omnes faciunt ad constitutionem corporis organici, ergo omnes debent informari ab anima. Prob. conseq. anima enim est actus corporis organici, &c.

Objicies 1. ex Philosopho, sufficit animam esse in præcipua parte corporis, non verò in omnibus, ergo omnes partes illæ non informantur ab anima.

Resp. neg. conseq. Philosophus vult tantùm, quòd anima non est in singulis partibus cum æquali dependentia, nec cum similibus operationibus, non est in pede, vel brachio ita essentialiter, ac in corde. sed est ubique per modum informantis, & vivificantis

Objicies 2. per nos, anima est actus corporis organici, sed partes similares, & homogeneæ non sunt organicæ; ergo nec animatæ.

Resp. dist. min. non sunt organicæ ex se præcisè, ut tales; conc. min. non sunt in organicis, & cum illis continuæ, & constituentes corpus idem, quod est subjectum, neg. min. constituunt ergo corpus, & ipsas partes organicas, in quibus sunt, & cum quibus exercent operationes vitales. Nulla est organica, in qua non sit aliqua similaris.

Objicies 3. Si anima informaret omnes partes; esset in pede, & pes intelligeret, sed consequens est falsum; ergo, &c.

Respondeo dist. maj. Esset in pede per informationem, & ibi exerceret operationes aliquas vitales, v. g. sensationes, & vegetationes, conc.maj. & neg.min. oparationes omnes, quas in aliis partibus operatur, & maximè opera intellectiva, neg. maj. & conseq. certum est, quòd non videt in aure, nec audit in oculo, licèt utramque partem informet, intellectiones verò sunt actiones totius hominis, & non pedis, nec alterius partis seorsim.

Objicies 4. anima intellectualis esset simul tota in pluribus locis, sed hoc est impossibile naturaliter ex dictis in Physica; ergo non informat omnes partes. Prob.maj. esset tota in capite, & tota in pede, ergo in duobus locis.

Respondeo dist.maj. in pluribus locis inadæquatis, con. maj. & neg. min. in pluribus locis totalibus, neg.maj. & conseq. locus enim capitis, & locus pedis sunt respectu illarum partium, & animæ loca partialia.

Colligis ergo, *ossa; carnem, nervos, cartilagines;* & membra ex illis coalescentia informari ab anima; quia in his exercentur operationes vitales.

CONCLUSIO II.

P*Artes fluidæ, ut sanguis, semen, ac humores,* & Spiritus vitales non informantur ab anima, nec *vivunt*.

Prob.1.ex Scoto:[1] distinctè enim dicit, quòd *sanguis non est animatus, nec aliqua pars primi animati*. De semine sic loquitur. [2] *Semen est quoddam corpus, cujus forma non est intenta propter se, sed propter aliud, ut ex illo generetur aliquid simile generanti. Unde... proceditur à forma seminis ad formam sanguinis, à forma sanguinis ad formam embryonis... & iste processus est ab imperfecto ad perfectum*. [3] Et alibi dicit, quòd *semen est superfluum alimenti*, & alibi: [4] *in masculo est semen non tanquam aliquid naturæ illius suppositi, sed propter generationem alterius suppositi, est in illo tanquam in vase, unde non est*

[1] 4.*d*.10.*q*.4.*A.n*.2. [2] 2.*d*.18.*F.n*.8.
[3] 2.*d*.20.*q*.2 *C.n*.4. [4] 4.*d*. 44. *q*.1.*Q.n*. 18. & *d*.8.*q*.1.*B.n*.3.

est animatum anima ipsius. Quod si nec sanguis, nec semen vivunt, multò minùs alii humores, ut lac, qui est sanguis recoctus, & Spiritus, qui sunt partes sanguinis puriores.

Prob.2. ex Philosopho, & ratione. Sanguis est species alimenti, sed alimentum in sua specie non informatur forma aliti, donec corrumpatur amittens propriam formam, ut convertatur in substantiam ejus; ergo, &c. Prob. min. nutritio est mutatio substantialis alimenti in substantiam aliti, ergo alimentum debet corrumpi, & amittere propriam formam, ut novam acquirat, sed sanguis non acquireret novam, si esset jam animatus, ergo non est animatus.

Id em est à fortiori de lacte, imo & de Spiritibus.

Prob. 3. omnis pars animata debet continuari reliquo corpori; Sed sanguis non continuatur corpori animalis; ergo non est animatus ejus anima. Maj. patet, nam animatum una anima debet esse unum specificè, & individualiter. Min. etiam clara est. Nam movetur in venis, nec aliter continuatur, quàm liquor in vase, (inquit Philosophus [1]) & hoc à fortiori verum est de aliis partibus fluidis, & maximè de humoribus, sc. *pituita*, *melancholia*, & *bile flava*.

Prob. denique, quia nulla operatio vitalis notatur in sanguine, & aliis illis partibus fluidis, sunt ejusdem rationis in corpore, & extra corpus, non sentiunt, nec augentur, nisi per juxta positionem, ut constat ex anatomicis; & si hæc vera sunt de sanguine, quantò magis de aliis, quæ non sunt adeo necessaria viventi, v.g. *semen*, *Lac*, *pituita*, &c. quæ potiùs sunt superflua sanguinis, & excrementa corporis viventis.

Confir. de Lacte, nam putant quidam illud non differre specie à sanguine, alii contra sentiunt, sed id certum, quòd Lac fit ex sanguine menstruo detersis ab eo sordibus, & fecibus, ideo dum affluit, cessant menses saltem magna ex parte, hunc sanguinem sugunt ubera vi attractrice, qua pollent, suctumque magis cogunt, & purgant. Dicitur aliquando repertum in maribus, sed portentosè. Lac ergo in alimentum destinatur, ergo non est animatum.

N 4 Idem

[1] *2. de art. animal.*

Idem dicendum de *adipe*, qui, teste Galeno, est ex tenuiori sanguinis parte in loco frigidiori concreta, ergo non animatur.

Objicies 1. ex Scriptura dicente, quòd [1] *anima omnis in sanguine est:* ergo aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne vivitur (inquit Sanctus August. [2]) Item ex Concil. Trid. [3] sanguis Christi ponitur sub speciebus panis ex vi verborum consecrationis per concomitantiam, & in Conciliis Ephesino, & Chalcedonensi definitur sanguinem unitum esse verbo divino hypostaticè: ergo sanguis pertinet ad constitutionem, & integritatem corporis, & humanitatis: ergo vivit sicut cætera, quæ sic ad illa pertinent.

Respondeo dist.conseq. Pertinet ad constitutionem, & integritatem corporis secundariam, con. conseq. ad primariam, neg. conseq. utramque, sanguis est substantia reperta in homine, & necessaria ad ejus nutritionem, & conservationem, ita ut sine ipso non posset vivere, nec operari.

Dico, *constitutionem esse integritatem secundariam*, & non est vera pars ejus constitutiva, & animata.

Ad scripturas dico, animam esse in sanguine inchoativè, & in potentia proxima, quia ex sanguine proximè generatur caro, in qua recipitur anima, carnesque vocat sanguinem, & eodem sensu loquitur Sanctus August.

Ad Trid. dicimus, animam mediatè tantùm connecti cum sanguine ob eandem rationem; & idem est dicendum ad illa alia consilia de unione hypostatica verbi; nam Verbum assumpsit immediatè corpus, & omnes partes ejus, non tantùm, quæ per se immediatè integrant illud, ut caro, & ossa, & membra, sed etiam subintegrales, ut *sanguis*, quatenùs inservit corpori suo modo, estque proptereà de secundaria corporis constitutione.

Inst. Calor est etiam necessarius corpori, ac vitæ ejus æquè, ac sanguis, nec magis potest vivere sine calore, quàm sine sanguine, ergo, si ob illam solùm rationem sanguis diceretur assumptus à verbo, idem diceretur de calore: sed hoc consequens est falsum, ergo, &c.

Res-

[1] *Levit.* 37. [2] *q* 57. [3] *Sess.* 13. *c.* 3.

Respondeo neg. ant. & paritatem. Nam sanguis est substantia verè, & proximè convertenda in carnem; & materiam corporis, quod non dici potest de calore, nec de ullo accidente.

*Inst.*2. Si verbum uniretur sanguini, & iste non sit de primaria humanitatis constitutione, uniretur duabus naturis diversis, sed falsum consequens, ergo & ant.

Resp.dist. maj. id est, diversis substantiis partialibus, & ad unam specie naturam ordinatis, conc. maj. & neg. min. diversis naturis totalibus, neg. maj. & conseq. sed de hoc in Theologia. Sanguis non assumitur à Verbo, nisi quatenùs continetur intra substantiam hominis, ejusque pars subintegralis, & proximè in ejus naturam convertendus.

Objicies 2. Sine sanguine animal est mutilum, & moritur potiùs, quàm sine crure, aut brachio, ergo sanguis potiùs est pars animata, quàm illa membra.

Resp.neg.conf. Alioqui lignum, vel oleum esset pars ignis, quia sine pabulo potiùs moritur, quàm ablata aliqua ejus parte integrali, & aer diceretur etiam pars animata animalis, quia sine aere suffocatur, & perit.

Objicies 3. Sanguis inservit animæ ad operationes vitales, sicut aliæ partes organicæ; sed istæ vivunt, ergo & ille. Prob.maj. Si anima timet, sanguis movetur; & colligitur circa cor; si erubescit, accurrit ad faciem, si irascitur, ebullit, &c.

Resp.dist.maj. Inservit mediatè, & ut instrumentum homogeneum, & mortuum, con.maj. ut instrumentum organicum, & vivens, neg.maj. & conseq. & dist.ant.prob.movetur ab extrinseco, con.ant.ab intrinseco, & propria forma; neg.ant.& conseq. Nam inservit, & movetur mediantibus aliis facultatibus animalibus, non verò à propria forma, quod esset necessarium, ut diceretur animari, & esse organum vitale.

Objicies 4. Sanguis, & alii humores sunt in corpore animali, sicut elementa in mundo, sed elementa informantur forma totius universi, ergo & humores forma totius animalis.

Resp. neg. maj. & paritatem, quantum ad hoc, elementa sunt verè partes integrales mundi, & ideò informantur forma totius, quæ est aggregatum quod-

dam ex pluribus formis aliquo ordine inter se dispositis, sed sanguis, & humores non sunt ita in animali, forma ejus est una unitate specifica, & Physica, nec informat, nisi partes verè, & intrinsecè constitutivas corporis ejus, quales non sunt humores.

CONCLUSIO III.

Dentes *sunt animati, non verò ungues, nec cornua, nec rostra, nec capilli.* Est communior quoad primam partem, quoad reliquas est magis controversa, quoad ungues; & capillos citatur Scotus à P. Columbo, [1] sed non reperi ibi mentionem ullam de illis.

Prob. 1. pars. Quia eadem est ratio de dentibus, ac de aliis partibus solidis, & maximè de ossibus, sed illa vivunt, ergo & isti. Prob. maj. Sunt enim ipsamet ossa ex eadem materia, & eodem modo nutriuntur, & crescunt per intus sumptionem, unde fit, ut, qui in pueris sunt rari, tales permaneant in viris, quod non accideret, si crescerent per extra, & juxta positionem.

Prob. 2. pars de unguibus, rostris, crinibus, & plumis. Nullum enim habent indicium vitæ, nisi, quòd crescunt, sed hoc signum non est certum indicium vitæ, ergo non debet dici, quòd vivant. Prob. min. Nam crescunt etiam post mortem animalis, aut saltem quædam sic crescunt in mortuis, ergo sic crescere præcisè non est signum vitæ.

Confir. Quia, quæ animantur, & sunt veræ partes viventium, non autem superfluæ, & excrementitiæ, non solent crescere ultra certam magnitudinem, ita ut debeant resecari, ut non noceant, sed tales sunt ungues, & cornua, & rostra, ergo non sunt veræ partes necessariæ viventium. Prob. min. experientia. Ungues resecantur, cornua deponuntur, aves rostra etiam resecant ad cotes.

Prob. 3. pars de plumis, & capillis eadem ratione. Quia sc. crescunt in corporibus post mortem, & non videtur, quod inserviant animæ ad ullas operationes vitales, quas attingunt.

Objicies 1. contra 1. p. Dentes non continuantur cum partibus aliis viventibus, ergo & ipsi non vivunt. Prob. ant. ex Philosopho id asserente. Res-

[1] L. 2. de An. q. 2. n. 21.

Respondeo dist. ant. Non continuantur immediatè cum aliis ossibus, con.ant.immediatè cum aliis partibus, & mediatè cum aliis ossibus, neg. ant. utrumque, id enim non negat Philosophus de prima continuatione.

Inst. Sponte decidunt, ergo non uniuntur per continuitatem.

Resp.dist.ant. Ob causas extrinsecas, & accidentales, con. ant. ex intrinseca sua dispositione, vel animalis, neg. ant. Casus ille venit ex intemperie quadam, & à causis extrinsecis corrumpentibus.

Objicies 2. Dentes etiam crescunt toto tempore vitæ, sed ossa vera, & partes viventes non sic crescunt, ergo dentes non vivunt.

Resp.dist.maj. Crescunt, id est nutriuntur, & crescunt quoad reparationem aliquarum partium consumptarum, transeat maj. & neg.min. Nec enim id videtur omninò certum, crescunt notabiliter ultra debitam proportionem, neg. maj. & conseq. Imo [illegible] aliquandò resecantur, aut rumpuntur, non reparantur.

Objicies contra 2. p. ex Mastrio, Ungues, plumæ, & pili crescunt secundum omnes dimensiones, & per intùs sumptionem, sicut aliæ partes viventium, & sicut arborum folia, fibras habent, quibus sugunt alimentum, nam rotundantur, acuminantur, in eorum radicibus reperitur humor alimentaris: ergo hæc omnia informantur anima, & vivunt.

Respondeo neg.ant. & conseq. rationum ejus. Neque enim omne incrementum est signum animationis, & vitæ: fungi crescunt iisdem modis: lapides, & metalla in visceribus terræ dicerentur vivere, quia crescunt ad omnem dimensionem, rotundantur, acuminantur, finduntur, & hærent materiæ, ex qua augentur: sed hæ figuræ veniunt ex causis extrinsecis, ut diximus de pilis, qui conformantur poris, per quos nascuntur. Si punctum, vel nodum signes in parte capilli, semper ejusdem formæ, magnitudinis, & in eadem distantia manebunt inter se, licèt pili crescant in longitudinem, quod signum est, illos non nutriri secundum omnes partes uniformiter, difformiter, non ita est de aliis viventibus.

Objicies 2. contra eandem. Capilli mutantur secundum humores viventis, & qualitates ejus vitales,

ergo etiam illas participant, & vivunt. Prob. ant. Videmus, eos brevi canescere ex vehementi hominis metu; vel melancholia, aut aliis passionibus, ergo fugunt humores, &c.

Resp. dist. ant. Ex alteratione excrementorum, & materiæ, ex qua formantur, & qualitatibus in eam immissis, quæ per illos serpit, con. ant. ex principio aliquo vitæ, quod illis insit, neg. ant. Potest fieri, ut in violentis illis passionibus alteretur materia, ex qua formantur, sicut ex diversis causis alterantur colores, & qualitates lapidum, & metallorum.

CONCLUSIO IV.

Licèt anima informet totum corpus, & partes omnes ejus vitales, præcipuam tamen habet sedem in corde: Est communis inter Peripateticos, & quoad 1. partem est contra aliquos putantes, quòd anima unam solam partem informet, in eaque resideat, ex qua cæteras moveat, sicut Rex è solio totum imperium regit, quoad 2. verò est contra alios, qui præcipuam sedem ponunt in capite, aut in jecore, corde, & capite simul.

Prob. autem tota conclusio ex Scoto [1] sic discurrente. *Anima non potest animare partem remotiorem à corde, nec dare illi vitam organicè, nisi vitam det cordi, quo mediante influat vitam in cæteras partes magis distantes*, ergo, ex Scoto, anima informat, & animat partes omnes corporis, & cor est præcipua, & primaria ejus sedes, qua mediãte vivificat reliquas. Idem sentit alibi, [2] docens, *primam sedem sensus esse in corde, licèt perficiatur in cerebro*.

Prob. 2. quoad 1. part. Omnes partes vivunt, ergo omnes informantur anima, & hæc in illis residet formaliter. Loquor de partibus solidis, & organicis, & ad eas pertinentibus. Ant. patet ex 1. conclusione. Conseq. est evidens. Non enim viverent, nisi informarentur, & haberent in se principium vitæ.

Prob. quoad 2. p. 1. ex Scriptura, quæ principaliter actiones vitales cordi tribuit: v.g. amorem. [3] *Diliges Dominum ex toto corde tuo*; cogitationes, & interiores

[1] 4. *d*. 49. *q*. 14. *c*. 6. [2] *De An. q*. 10. *n*. 6.
[3] *Deuter*. 6. *n*. 7. & 32.

riores motus: [1] *Scrutãs corda, & renes Deus*, & *cogitationes cordis ejus*, & passiones animi: *tactus dolore cordis*, cupiditates, & desideria: [2] *à corde exeũt cogitationes.*

Consentit Arist. [3] Cor, inquit, *in parte priore, & in medio situm est, in quo principium vitæ, omnisque motus, & sensus*. Additque rationes alibi. Quia cor est *principium, à quo etiam post ordo membrorum describatur, & quæcumque ad perficiendum animal pertinent*, quia, *cùm pars quævis distinguitur, id primum existere necesse est, quo & incrementum, & motus cæteris partibus contingant*. Item, [4] quia est *principium similarium, & dissimilarium omnium partium*, & ideò dicitur *primum vivens, & ultimum moriens.*

Prob. 2. eadem ratione. Nam certum est, præcipuam animi sedem debere esse unam, quæ sit prima, quia omne animal est quid ordinatum, ordo verò est dispositio plurium inter se, & ad unum primum, ergo inter membra animalis debet esse aliquod unum primum, ergo & debet in eo priùs esse anima illud dirigens; & per illud cætera; Sed nullum tale membrum assignari potest in viventibus præter cor, ergo, &c. Prob. min. Quia 1. cor est nobilissimum omnium membrorum corporis organici, est minùs dependens, & ab eo reliqua dependent, est enim origo, & officina prima spirituum, & caloris naturalis, & isti sunt communia, & vivacissima animæ instrumenta, quibus totum corpus vegetat, & movet. 2. videtur arteriarum; venarum, & nervorum principium, ex Philosopho, primum sensitivum est in corde, & primum animalis membrum est cor. Unde Scotus addit, [5] *quòd organum sensus communis habet ortum à corde, sicut & omnia organa sensuum particularium .... sed in cerebro habet suum complementum*. 4. Quædam animalia saltem monstruosa videntur sine capite, non sine corde. 5. minima læsio cordis est lethalis, non ita est de cerebro. 6. cor nulla ægritudine laborare potest, quin cæteræ partes omnes sentiant, & marcescant, secus est de cerebro, quòd, licèt lædatur etiam graviter, non læduntur alii sensus, ergo, à primo ad ultimum, cor est præcipua pars corporis viventium, ergo & principalis sedes animæ.

Obj-

[1] *Gen.* 6. [2] *Matth.* 14. [3] *De par. animal. c.* 3. [4] *De Gener. an. c.* 4. [5] *De An. cit.*

Objicies 1. Cerebrum est primum principium organicum motus sensus, & voluntarii, sed hi duo motus sunt principales functiones animæ, ergo cerebrum est præcipua sedes animæ. Prob. maj. cerebrum est principium nervorum, qui sunt delatores spirituum, & serviunt motibus voluntariis, cordis verò motus omnes sunt naturales, ergo cerebrum potiùs, quàm cor, est primum principium motuum sensus, & voluntarii.

Respondeo ex Scoto citato, neg. maj. Nam prima sedes, & principium sensus communis est in corde, sed perficitur in cerebro, inde autem non sequitur, cerebrum esse primum principium actionum vitalium, nec præcipuum, sed cor, sine quo nullus sensus posset agere.

Objicies 2. Caput nobiliorem locum obtinet in homine, sc. supremum, ergo est nobilior, & principalior sedes animæ. Prob. ant. ex S. Ambrosio. [1] Siquidem, *ut cælum eminet aeri, terræ, & mari, quæ membra sunt mundi, ita & caput inter reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque omnium esse.*

Resp. neg. ant. quoad nobilitatem loci, & conc. quoad sublimitatem. Sublimitas autem situs non facit semper nobilitatem: medium, quod occupat cor, sine comparatione nobilius est, sic Rex non in angulo, nec in finibus regni sedem ponit, sed in medio, unde possit molem universam regere. S. Ambrosio respondemus per S. Hieronymum, Plato, [2] inquit, *animæ principatum cerebro tribuit, Christus vero pectori, & cordi. Nemo enim dicit Turrim, quæ in altum exurgit, ut civitatem tueatur, esse nobiliorem civitate, nec speculatorem exercitu digniorem, cujus bono invigilat, eadem autem capitis est ratio.*

Objic. 3. Læso cerebro animal privatur sensu, & motu, non sic avulso corde, ergo istæ operationes sunt à cerebro, non à corde. Prob. ant. aliquot experientiis Anatomicorum, qui dicunt, canem aliquandiu ambulasse, & latrasse post avulsum cor, & de Juvene Hispano, quem dicunt locutum fuisse, & de Victimis, quas afferunt avulsis extis ambulasse, sed hæc non fiunt abscisso capite, ergo, &c.

Res-

[1] *Lib. 8. Hexam. c. 9.* [2] *Ep. ad Fabi.*

Resp. neg. ant. quoad 2. p. & conf. prob. Nam hi motus, si veræ sunt experientiæ, de quibus meritò dubitatur, per breve tempus potuerunt venire ex spiritibus vitalibus inclusis in nervis, & venis. Et idem accidit in animalibus, & hominibus abscisso capite, ex eadem causa.

Inst. Somnus, qui est privatio primi sensorii, causatur in capite, non in corde, qui semper eodem motu agitur, ergo sensorium, & principia sensationum omnium sunt in capite, non in corde.

Resp. 1. neg. quòd somnus sit privatio primi sensorii, sed tantùm sensationum actualium, seu operationum sensuum, & inde confirmatur nostra sententia præcellentiæ cordis, quod non sic facile hebetatur, nec privatur suis functionibus per vapores externos, ut caput.

QUÆSTIO IX.

De Potentiis animæ, quomodò ab ea, & inter se distinguantur.

Quælibet anima suas habet potentias, & facultates, *vegetativa* habet *nutritivam*, *augmentativam*, & *generativam*, sensitiva, præter istas, habet *cognoscitivam*, *loco motivam*, seu *progressivam*, & quinque externas, Rationalis habet prætereà *intellectivam*, & *volitivam*. De quibus singulis dicetur, dum de singulis animabus in particulari, nunc quærimus in genere, an illæ facultates distinguantur tùm ab anima, tum inter se?

Porrò nomine potentiæ, seu facultatis intelligo virtutem, seu principium quo agendi, seu operandi. Unde potentiæ animæ sunt principia intrinseca, & formalia agendi, per quæ elicit suas operationes, v.g. Intellectus est principium formale, quo anima rationalis intelligit, &, quia illæ potentiæ considerari possunt cum suis subjectis corporeis, seu organis, cum quibus anima operationes suas exercet, vel secundum se præcisè, & in actu primo. Certum est, quòd in 1. sensu distinguuntur realiter ab anima, quia hæc potest realiter esse sine corpore, & ideò sine his potentiis organicis, & corporeis, sed quæstio procedit in 2. sensu, & prout sunt puræ virtutes, & proprietates animæ secundum se spectatæ;

tæ præcisè à corpore, non disputamus de illarum existentia, nullus enim de illa dubitat, quis non experitur animas esse activas? animalia videre, tangere, & plantas nutriri, & crescere, & fructificare? &c. Tota quæstio est de illarum identitate, vel distinctione.

CONCLUSIO.

Potentiæ non distinguuntur realiter ab anima, nec inter se, sed formaliter ex natura rei. Est Scotistarum contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto [1] *Dico igitur, quòd potentiæ non distinguuntur realiter inter se, nec ab essentia*, & infrà, *Dico, quòd potest sustineri, quia essentia animæ indistincta re, & ratione est principium plurium actionum sine diversitate reali potentiarum, ita quòd sint vel partes animæ, vel accidentia ejus, vel respectus: nam non est necesse, quòd pluralitas in effectu reali arguat pluralitatem realem in causa*, &c. Ecce pro identitate reali, sed pro distinctione formali addit. *Sed, quia via hæc non posset salvare auctoritates, quæ ponunt, quòd potentiæ exeunt, & quod fluunt ab essentia .... Ideò dico.... Continentia unitiva non est eorum, quæ omninò sunt idem, nec est eorum, quæ manent distincta ista distinctione, qua fuerunt distincta ante unionem. Sed, quæ sunt unum realiter, manent tamen distincta formaliter*, &c. ergo tota conclusio est conformis Doctori.

Prob. 2. ratione ex eodem. Quia nulla est necessitas multiplicandi realiter entitates, seu potentias illas, quod sic probat Scotus, [2] *illud est ponendum in natura, quod melius est, si sit possibile, natura enim semper desiderat, quod melius est*, sed paucitas sine multitudine est melior in natura, si sit possibilis, ergo est asserenda. Prob. subsumptum. Nulla enim asserri potest repugnantia, ut patebit solutione objectionum.

Prob. 3. ex eodem. Anima est per se principium volitionis, & intellectionis, ergo non producit hos actus per potentias realiter distinctas. Prob. ant. Si non esset per se illorum actuum principium, illos produceret per accidens, & sic per accidens mereretur, peccaret, & beatificaretur, & intelligeret, sed hæc fal-

sa

[1] 2.d.16.H.1.K.n.15.16.17. [2] Ibid.

sa sunt, & absurda, ergo producit per se hos actus. Prob. mai. Voluntas, & intellectus, quæ sunt principia immediata, & per se illorum actuum, essent accidentia animæ realiter superaddita, ergo & à fortiori tales actus inessent ab anima per accidens.

Dices, has potentias non esse accidentales animæ, sed quasi proprietates ab ea manantes, & instrumenta, quibus utitur ad suas operationes vitales, & quæ ab ipsa dependent in operari.

Contra. Si potentiæ sunt velut proprietates, seu passiones, ergo non distinguuntur realiter ab anima, si sunt insttrumenta, ergo hi actus sunt principaliter ab anima, & ab illis potentiis instrumentaliter tantùm, ergo intellectio, & volitio sunt principaliter ab ipsa anima. Prob. hæc conf. Causa instrumentalis non attingit effectum, nisi in virtute causæ principalis.

Prob. 4. Potentiæ animę vegetativæ producunt substantiam, ergo non sunt accidentia. Patet ant. Nam per nutritionem acquiritur substantia. Prob. conseq. Nam accidens non generat substantiam, ut suppono ex dictis in Physica.

Prob. denique ex SS. PP. v. g. ex S. Isidoro. *Anima*, inquit, *dùm vivificat corpus, anima est, dùm vult, voluntas: dùm intelligit, mens: dùm recolit, memoria: dùm sentit, sensus;* & S. Bernardo. [1] *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hec tria eandem esse animam*, & S. Aug. docet intellectum nihil aliud esse, quàm animam.

Prob. 2. pars. 1. ex eodem S. Augustino [2] dicente intellectum, & voluntatem esse proprietates, *sed essentia una est*. Et alibi, quòd intellectus non est anima, sed aliquid animæ.

Prob. 2. Quia intellectus, & voluntas (idem est de aliis) habent diversas definitiones, tùm inter se, tùm ab anima, & fundant prædicata contradictoria, ergo non sunt formaliter idem cum anima, nec inter se. Conseq. patet. Nam de eadem re formaliter, & à parte rei eadem non possunt verificari contradictoria, juxta illud principium receptissimum. *Impossibile est idem esse, & non esse*. Prob. ant. Tùm quia anima dicitur actus corporis organici, & intellectus principium intel-

[1] *L. 11. etiam seq. 11. concl.*
[2] *L. de spir. & an. c. 4. tr. 15. 17. 70.*

intellectionis. Tùm quia de intellectu dicitur, quòd agat naturaliter, & necessariò, non autem liberè, & de voluntate, quòd agat liberè, sed liberum, & non liberum sunt contradictoria, ergo, &c.

Dices etiam hoc admisso de intellectu, & voluntate inter se, & cum anima, non probare pro aliis potentiis aliarum animarum.

Contra. Nam si anima rationalis, quæ est simplicior, quia est spiritualis, includit plures potentias sic distinctas, ergo à fortiori aliæ, quæ sunt materiales, & divisibiles, & prætereà aliæ possunt differenter concipi, & definiri, ergo ex eo capite probatur earum distinctio.

Objic. 1. contra 1. p. aliquot auctoritates Scripturæ, & Patrum, quibus potentiæ distinguuntur ab anima, velut partes, aut membra ejus, vel instrumenta, ut cùm dicitur. [1] *Diliges Dominum ex tota anima tua, & ex totis viribus*, ergo distinguit animam à potentiis suis, quæ sunt vires. D. Anselmus comparat potentias animæ membris corporis, quæ realiter distinguuntur, & Boetius dividit animam in potentias, sicut totum in partes, sed totum distinguitur realiter à partibus, ergo, &c.

Resp. neg. has auctoritates, & similes astruere distinctionem realem inter potentias, & animam, & ad earum veritatem salvandam sufficere distinctionem formalem: v. g. tunc Deus diligitur *tota anima, & totis viribus*, cùm diligitur sine partitione, & super omnia tàm internè, quàm externè. Et certè non potest amari per animam sine intellectu, qui eum proponat, & voluntate, quæ est principium, *quo*, amoris. Alii parabolicè loquuntur.

Inst. Anima est Imago Trinitatis, sed in Trinitate sunt tres personæ realiter inter se distinctæ, ergo & tres potentiæ sic distinctæ in anima.

Resp. dist. maj. Imago repræsentans imperfectè, & aliquo modo, sc. virtualiter, con. maj. quæ sit perfectè similis, & formaliter, neg. maj. & cons. Illa autem repræsentatio salvatur quoad actus illarum potentiarum, quarum una producit Verbum, altera amorem, licèt sint unum in substantia animæ. Imò, licèt daremus eas inter se distingui, deberent identificari in anima, sicut personæ in essentia, quod est

[1] *Lucæ.* 10.

con-

contra adversarios, qui volunt has potentias esse accidentales animæ, quæ est substantia.

Objic. 2. Potentia, & actus sunt ejusdem prædicamenti, sed actus voluntatis est de prædicamento accidentis, seu qualitatis, ergo & ipsa potentia.

Resp. dist. maj. Actus entitativus, & potentia objectiva, con. maj. & neg. min. Nam existentia, & essentia non distinguuntur apud nos. Potentia productiva, & actus ab ea productus, neg. maj. Alioqui nec Deus ipse posset producere accidens, nec accidentia substantiam, quod est contra ipsos Thomistas.

Inst. Potentia naturalis est de prædicamento qualitatis, ergo nulla solutio.

Resp. dist. ant. Potentia adventitia, & separabilis, con. ant. productiva, & inseparabiliter manans ab essentia rei, neg. ant. Istæ potentiæ animarum sunt ejusmodi, fluunt ab intrinseca illarum substantia.

Inst. Etiam istæ potentiæ specificantur ab actibus, sed actus, ex concessis, sunt qualitates de genere accidentis, ergo & potentiæ.

Resp. dist. maj. Potentiæ adventitiæ, & acquisitæ per actus, vel infusæ, quæ nihil aliud important, nisi facilitatem ad operandum, con. maj. potentiæ, quæ immediatè manant ab essentia, & sunt ipsa principia operandi, neg. maj. & conseq. & certè illa specificatio non debet sic rigorosè sumi, ut specificans, & specificatum sint semper ejusdem rationis, alioqui actus, & objecta essent semper ejusdem rationis, nam actus specificantur ab objectis, & tamen illi sunt accidentia, & objecta sunt sæpiùs substantiæ. Id ergo intelligendum de specificatione extrinseca.

Inst. Si potentiæ illæ essent substantiales, non susciperent magis, & minus, sed istæ suscipiunt magis, & minus, ex Scoto: ergo non sunt substantiales, sed accidentales. Prob. min. Scotus docet, [1] potentiam visivam, & motivam intendi in Beatis, in quibus *virtus motiva fit perfectior, & tollitur resistentia accidentalis ex parte corporis*, & hoc sine supernaturali quocumque addito, ergo ex Scoto, hę potentiæ naturaliter intenduntur, & remittuntur, & suscipiunt magis, & minùs.

Respondeo neg. min. & conseq. prob. Tùm quia Sco-

[1] 4. *d*. 49. *q*. 14. *H. n*. 1.

Scotus, dùm dicit, potentiam motivam in Beatis fieri perfectiorem (idem est de visiva) loquitur in sententia adversariorum, qui putant, illas potentias esse accidentia distincta. Tùm quia loquitur de intensione, & perfectione, non substantiali, sed accidentali, & extrinseca, sc. per remotionem impedimentorum ex parte corporis, quod non ampliùs gravitabit, nec erit corruptibile, & debile, & ex aliis dotibus Beatitudinis, quæ pro illo statu non sunt quid superadditum.

Objicies 3. Substantia non est immediatè activa, sed agit mediantibus accidentibus, nam ignis agit per calorem, gravia moventur per gravitatem, magnes trahit ferrum per qualitatem sympaticam, &c. ergo potentiæ, per quas agit anima, sunt accidentia.

Resp. neg. maj. ut constat ex dictis in Physica. Ad probationem dico, illa agentia agere dispositivè per accidentia, & ad extrà, substantias autem non producunt, nisi per se ipsa, & maximè cùm operantur immanenter, producendo in se ipsis actus vitales.

Objic. 4. Si intellectus non distingueretur ab anima, hæc semper intelligeret, sed conf. est falsum, ergo, &c. Prob. seq. Potentia semper agit, quantum potest, nisi impediatur, sed anima habens sibi identificatum intellectum semper posset intelligere, ergo, &c.

Resp. neg. maj. & min. prob. Sicut enim ipsemet intellectus distinctus ab anima, ut volunt adversarii, non semper intelligeret, ita nec posita identitate ejus cum anima, nec ad id quidquam facit identitas, vel distinctio.

Inst. Anima non producit actus supernaturales fidei, & charitatis, per se immediatè, & sine potentiis realiter distinctis, scilicet, sine habitibus, vel auxiliis gratiæ, ergo nec actus naturales cognitionis, & amoris.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam, licèt egeat auxiliis gratiæ ad actus supernaturales, concurrit tamen ad illos per se immediatè, ut causa principalis partialis, ut dicetur in Theologia.

Objic. contra 2. par. Nulla est necessitas distinguendi potentias formaliter, sed sufficit sola distinctio realis, ergo potentiæ non distinguuntur formaliter, sed ad summum sola ratione. Prob. ant. Illa necessitas non pe-

petitur nec ex diversitate specifica actuum, quia sol per ipsissimam suam virtutem calefacit, & exsiccat, neque ex modo agendi naturaliter, & liberè, ergo nulla potest assignari causa talis necessitatis.

Resp. neg. ant. & prob. quoad 2. par. Nam, ex Scoto, diversitas illa modorum agendi naturaliter, & liberè arguit distinctionem saltem formalem principiorum, sol autem, & similia agentia producunt diversos actus, & effectus, sed eodem modo, sc. necessariò, & naturaliter.

Inst. Ipsamet anima per se immediatè concurrit ad istos actus liberos, & naturales sine sui multiplicatione formali, ergo idem est de intellectu. Prob. ant. Quia hæ potentiæ non concurrunt ad illos, nisi ut instrumenta animæ, ergo sola anima attingit illos actus immediatè, & ut causa principalis.

Resp. neg. ant. utrumque. Falsum enim est animam per se immediatè producere hos actus, ac intellectum, & voluntatem esse instrumenta ejus, saltem propriè. Anima intelligit per intellectum, ut principium formale, *quo*, & activum, ita est de voluntate.

Objic. 2. Nisi idem principium esset immediatè intellectivum, & volitivum, voluntas numquam ageret: sed hoc est falsum, ergo, &c. Prob. maj. Voluntas non fertur in incognitum, nec agit, nisi ut mota per propositionem objecti amandi, sed non posset cognoscere, nec moveri cognitione objecti, nisi ipsa cognitio in illa reciperetur immediatè, ergo ita est. Prob. min. Non constituitur cognoscens per cognitionem positam in subjecto distincto, ergo, &c.

Resp. neg. maj. 1. argum. min. 2. & cons. 3. Non enim est necesse, ut cognitio recipiatur formaliter, ut *quo*, in voluntate, ad hoc ut moveatur, imo inter moventem, & motum debet esse aliqua distinctio, ergo cognitio (sicut & volitio) est in anima, ut subjecto, & principio, *quod*, in intellectu verò, ut principio, *quo*, sicut & volitio in voluntate.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

De subjecto, & specificatione potentiarum viventium. Unde petatur unitas, vel distinctio illarum.

Quantùm ad subjectum, certum est primò intellectum, & voluntatem, quæ sunt potentiæ speciales animæ rationalis esse realiter in ipsa anima, cui identificantur, & quam ubique comitantur. Quæstio igitur esse non potest, nisi de potentiis materialibus.

Certum est 2. Istas etiam potentias radicaliter, prout sunt principia partialia actuum vitalium, esse in ipsa animæ substantia, quia, ut diximus, identificantur realiter ipsi animæ. Sed quæstio est de potentia totali, quatenùs elicitiva, & receptiva actuum vitalium, v. g. visionis, auditionis, &c. nec enim sola anima videt, & audit, sed totum animal.

Prob. 2. autem parte, suppono, specificationem aliam esse ab intrinseco rei, sc. à differentia essentiali constitutiva rei, aliam ab extrinseco, sc. ab illis, quæ sunt circa rem.

Porrò potentiæ aliæ sunt prorsùs disparatæ, ita ut nullam habeant subordinationem inter se. *Ut visiva*, & *auditiva*, & *generativa*, & istæ habent objecta penitùs diversa. Aliæ sunt aliqualiter relativæ, & subordinatæ in eodem genere, & modo, ut *cognoscitiva, intellectualis*, & *sensitiva*, & istarum objecta non sunt penitùs diversa, nam objectum sensitivæ est pars subjectiva objecti intellectivæ. Aliæ sunt subordinatæ in diverso genere, ut intellectus, & voluntas, & istæ non distinguuntur adeò per objecta materialia, sed penes modos tendendi, tendunt enim in eandem rem, sed illa naturaliter, & ista liberè.

CONCLUSIO I.

Potentiæ totales non subjectantur præcisè in sola anima, nec in solo corpore; imò nec in utraque simul, sed in toto composito ex utroque. Est Scotistarum.

Prob. 1. ex Scoto, quem citavimus in Physica pro distinctione totius à suis partibus simul sumptis, & unitis, & pro subjecto accidentium, nam hæc conclu-

clusio pendet ab iisdem principiis. Prob. inquam, tota conclusio, quia illud est proprie subjectum potentiarum, quod producit, & recipit in se operationes vitales, sed nec corpus solum, nec anima sola, nec utrumque simul, sed totum animal producit, & recipit operationes vitales, saltem *ut quod*, ergo istud solum est proprie subjectum, *quod*, potentiarum. Prob. min. de corpore. Quia ipsum sine anima non est vivens, ergo solum corpus sine anima non est subjectum potentiarum. Prob. conseq. Quia ipsæ potentiæ sunt vitales, & manant à principio vitali.

Prob. eadem min. de sola anima. Quia anima rationalis separata à corpore non sentit, non videt, non tangit, quia tactus, visio, sensatio, &c. sunt qualitates materiales, & ipsa anima est spiritualis, sed accidens materiale non potest naturaliter subjectari in substantia spirituali, ergo nec isti actus, ergo nec istæ potentiæ, quæ sunt etiam materiales. Prob. ant. Quia sic accidens materiale deberet compenetrari, & subjectari indivisibiliter ita, ut plures partes occuparent idem subjectum, & locum, ergo, &c.

Confir. Nam illæ potentiæ manarent à substantia spirituali, ergo essent spirituales, & denique sequeretur, animam separatam habere illas sensationes, sed utrumque consequens est absurdum, & falsum, ergo, &c.

Prob. de corpore, & anima simul. Nam unius rei debet esse unum subjectum, sed corpus, & anima simul sunt duæ substantiæ, ergo, ut tales, non possunt esse subjectum unius potentiæ; seu unius accidentis, v. g. visionis productæ immanenter à potentia visiva.

Prob. denique de toto. Quia verè totum animal, seu vivens denominatur ab illis potentiis, est verè, & realiter quid unum à partibus tam simul, quàm divisim sumptis distinctum, ut suppono ex Physica, ergo totum vivens, quatenùs est quid unum compositum, est verè subjectum, *quod*, illarum potentiarum, & actuum.

Objicies 1. contra 1. p. Omnia accidentia materialia subjectantur in materia sola, non autem in toto, ergo & istæ potentiæ, & actus illarum.

Respondeo neg. ant. Contrarium constat ex Physica, & etiam dato antecedenti, neg. cons. Nam alia est

ratio

ratio de his potentiis, & actibus vitalibus earum, ut patet ex fundamentis conclusionis.

Objicies 2. Potentiæ tàm in homine, quàm in Brutis, sunt materiales, ergo sunt in sola materia. Prob. conf. In homine non possunt esse in anima, nec sola, nec partialiter, quia est spiritualis, ergo idem est universaliter.

Resp. neg. conf. quoad Bruta. Quia illorum animæ non sunt spirituales, ut in homine. Ad prob. dist. ant. Non possunt esse in anima hominis immediatè, con. ant. mediatè, neg. ant. Sunt igitur in utraque, sc. corpore, & anima mediante toto composito ex corpore, & anima, in quo subjectantur immediatè, loquor de potentiis sensitivis, & integris, prout connotant facultates, & membra organica.

CONCLUSIO II.

Potentiæ istæ non specificantur ab objectis, neque ab actibus, nisi extrinsecè, sed per rationes suas intrinsecas, & formales. Est Scotistarum, & aliorum contra Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto [1] De objectis. Nam Philosophus, *ex ratione talis mixtionis in tali organo, puta, visus, concludit illam potentiam, puta visum, esse istius objecti, & non alterius, & pro tanto sequitur, quòd distinctio objectorum facit distinctionem potentiarum: quia tale objectum limitatum, & distinctum non distinguitur, nisi à tali potentia, & numquam ab alia, quæ quidem potentia est limitata ad tale objectum ratione talis mixtionis organi*, ergo habes duo principia distinctionis, seu specificationis potentiarum, maximè organicarum. 1. est mixtio, seu intrinseca constitutio illarum, v.g. talis mixtio, & constitutio potentiæ visivæ, & istud est intrinsecum, & formale, & à priori. 2. est natura objecti, quod non est perceptibile, nisi ab ista potentia, v. g. color non est perceptibilis, nisi à potentia visiva, & istud est extrinsecum, & à posteriori.

Prob. de actibus. Potentiæ, inquit, *distinguuntur per actus, verum est, non tamen oportet, quòd sit tanta distinctio in potentiis, sicut in actibus, licet sit aliqua, una enim potentia est visiva plurium colorum*, vides, quòd, si po-

[1] 2.d.24.E.n.6. [2] 2.d.16.O.n.21.

potentia distingueretur per actus, potentia visiva nigredinis distingueretur à visiva albedinis, quia illæ duæ visiones differunt specie.

Prob.2. ex eodem. [1] Nam *actus distinguuntur per objecta quantum ad manifestationem, quia manifestior est differentia objectorum, quàm actuum, & ex illa tamquam ex manifestiori innotescit ista*, &, *sicut vult Philosophus, quòd actus distinguantur per objecta, imò magis, quia objecta sunt prævia ipsis actibus.... Ita etiam vult, quòd potentiæ distinguantur per actus. (Et his mediantibus per objecta) hoc autem non est essentialiter, quia actus est essentialiter posterior potentia, & posterius non est per se ratio distinguendi prius, &c.* Hinc

Prob.3. & sic argumentor. Tàm actus, quàm objecta sunt extra rationem potentiarum, & ab illis realiter distinguuntur, ergò nec actus, nec objecta possunt dici formaliter distinctiva, aut constitutiva potentiarum, sed tantùm ab extrinseco, & à posteriori.

Prob.4. ex eodem. [2] *Prima distinctio entis non est per naturam suam, inquantum est principium talis operationis, sed per naturam suam, ut est hæc natura*, v. g. sol non primò distinguitur à planta, quia est productivus plantæ, aut aliorum mixtorum, quia, si hæc virtus communicaretur alteri enti, adhuc non esset idem cum sole: sol, inquam, primò specificatur, & distinguitur à planta, per formam suam solis, quæ est talis forma, ergo idem est de potentia, priùs specificatur per formam suam intrinsecam, quæ est talis forma, quàm per operationes.

Prob. denique. Quia possunt haberi diversi actus à diversis potentiis circa idem objectum, ergo unitas potentiæ, vel actus non petitur ab unitate objecti.

Objic. 1. Tritum effatum, *potentiæ distinguuntur per actus, & actus per objecta*, ergo potentiæ specificantur ab actibus immediatè, & ab objectis mediatè.

Resp. ex Doctore cit. dist. ant. Distinguuntur extrinsecè, & à posteriori per actus, & actus per objecta, con. ant. intrinsecè, & formaliter, seu essentialiter, neg. ant. & ratio negati patet ex allatis textibus.

Inst.1. Potentiæ sunt propter actus, ergo actus sunt priores potentiis, saltem in intentione, ergo actus sunt intrinsecè constitutivi, seu specificativi potentiarum.

[1] *quodl.11.H.H.n.30.* [2] *2.d.1.q.6. E.n 3.*

Respondeo, quidquid sit de ant. & 1. conf. neg. 2. Nam, etiam dato, quòd sint causæ finales potentiarum, semper sunt illis extrinseci, & actus, seu finis non est ens priùs, quàm potentia, ergo non potest esse de ratione illius intrinsecè constitutiva.

Objicies 2. Omne ens specificatur ab eo, quod respicit per se primò, sed omnis potentia per se primò respicit actum, & actus objectum, ergo omnis potentia specificatur per actus, & per objecta. Maj. patet. Nam specificari ab aliquo extrinseco est habere essentiam per ordinem ad illud, alioqui non respiceret illud per se primò. Prob. min. Potentia immediatè operativa ordinatur per se primò ad operari, & propter hoc instituitur à natura, sed tales sunt omnes potentiæ viventium, ergo omnes per se primò respiciunt operationes.

Resp. neg. absolutè maj. vel sic d: st. Omne ens relativum, con. maj. & neg. min. omne ens absolutum, neg. maj. & conf. Potentiæ autem sunt entia absoluta, & identificata substantiis viventium, imò & ipsi actus, qui sunt de genere qualitatis: nullum autem absolutum potest constitui formaliter, & intrinsecè per purum respectum ad aliud.

Inst. Non possunt concipi potentiæ ne à Deo quidem sine ordine ad actus, nec actus sine ordine ad objecta, ergo essentialiter constituuntur per illum ordinem. Confir. Quia, implicantibus actibus, vel objectis, implicatent potentiæ, & actus, ergo, &c.

Resp. neg. conf. Quia inde solùm sequitur, inesse quidem potentiis, & actibus talem ordinem, illisque identificari, sed non sequitur, potentias primariò, & formaliter constitui per illum, ita est de actibus, quia, ut dixi, sunt entia absoluta, omne autem absolutum est aliquid in se præter relationes.

Ad confir. dist. ant. Implicaret potentia per locum extrinsecum, con. ant. per locum intrinsecum, & à priori, neg. ant. sicut, implicante motu, implicaret corpus naturale: implicante risibili, implicaret homo, & non propterea sequitur, quòd motus sit essentialiter constitutivus corporis, nec risibile hominis.

Sequitur ergo, quòd à posteriori, & extrinsecè colligimus, aliquas potentias esse ejusdem naturæ, aut diversæ, quia operantur diversas, vel similes opera-

tio-

tiones, & sic colligimus unitatem, vel diversitatem specificam actuum ex unitate, vel distinctione specifica objectorum, saltem ordinariè loquendo, & maximè de actibus, & objectis adæquatis, & de potentiis prorsùs disparatis, quia potentiæ subordinatæ, ut visiva, & intellectiva, possunt habere actus suos diversos circa eumdem colorem, v. g. circa eandem albedinem.

QUÆSTIO XI.

Quid sit actus vitalis, seu *in quo consistat formaliter vitalitas.*

CUm vivere sit habere intrinsecum principium acquisitivum propriæ alicujus perfectionis sibi non debitæ ex vi generationis, facile videtur, quòd actus vitales sint illi, qui proveniunt à tali principio, & quòd vitalitas formaliter in his actibus sit id, à quo dicuntur sic provenientes.

Hi actus sunt, vel *imperfecti*, ut *generatio*, *nutritio*, *augmentatio*, & *motus progressivi*, seu *localis*, vel *perfecti*, ut actus *cognoscitivi*, & *appetitivi* sensuum tàm internorum, quàm externorum, & potentiarum intellectivæ, ac volitivæ. Primi dignoscuntur ex terminis eorum acquisitivis. Nam *generatio* terminatur ad totum compositum ex materia, & forma substantiali, *nutritio* ad partem substantialem, *augmentatio* ad *quantitatem*, progressio ad *ubi*, & sic vitalitas erit in acquisitione talium rerum per principium illud intrinsecum. At secundi non possent adeò facilè, nec ita distingui, quia non relinquunt post se terminos adeò sensibiles.

Certum est tamen, quòd terminentur ad sensationes, seu terminos aliquos reales, qui per illas producuntur, & in illis recipiuntur, v. g. *visio* est actio elicitiva, & productiva imaginis objecti alicujus, quæ imago recipitur in ipsâ potentia visiva, sc. in oculo (idem de intellectione, & aliis) sed ipsa species objecti venit vel ab ipso objecto, vel producitur ab ipso oculo. Prout venit ab ipso objecto, dicitur *impressa*, quia imprimitur potentiæ visivæ ab extra, quæ autem producitur ab ipsa potentia, dicitur *expressa*, quia ipsa potentia illam exprimit, seu elicit: suppono enim,

Respondeo, quidquid sit de ant. & 1. conf. neg. 2. Nam, etiam dato, quòd sint causæ finales potentiarum, semper sunt illis extrinseci, & actus, seu finis non est ens priùs, quàm potentia, ergo non potest esse de ratione illius intrinsecè constitutiva.

Objicies 2. Omne ens specificatur ab eo, quod respicit per se primò, sed omnis potentia per se primò respicit actum, & actus objectum, ergo omnis potentia specificatur per actus, & per objecta. Maj. patet. Nam specificari ab aliquo extrinseco est habere essentiam per ordinem ad illud, alioqui non respiceret illud per se primo. Prob. min. Potentia immediatè operativa ordinatur per se primò ad operari, & propter hoc instituitur à natura, sed tales sunt omnes potentiæ viventium, ergo omnes per se primò respiciunt operationes.

Resp. neg. absolutè maj. vel sic dist. Omne ens relativum, con. maj. & neg. min. omne ens absolutum, neg. maj. & conf. Potentiæ autem sunt entia absoluta, & identificata substantiis viventium, imò & ipsi actus, qui sunt de genere qualitatis: nullum autem absolutum potest constitui formaliter, & intrinsecè per purum respectum ad aliud.

Inst. Non possunt concipi potentiæ ne à Deo quidem sine ordine ad actus, nec actus sine ordine ad objecta, ergo essentialiter constituuntur per illum ordinem. Confir. Quia, implicantibus actibus, vel objectis, implicarent potentiæ, & actus, ergo, &c.

Resp. neg. conf. Quia inde solùm sequitur, inesse quidem potentiis, & actibus talem ordinem, illisque identificari, sed non sequitur, potentias primariò, & formaliter constitui per illum, ita est de actibus, quia, ut dixi, sunt entia absoluta, omne autem absolutum est aliquid in se præter relationes.

Ad confir. dist. ant. Implicaret potentia per locum extrinsecum, con. ant. per locum intrinsecum, & à priori, neg. ant. sicut, implicante motu, implicaret corpus naturale: implicante risibili, implicaret homo, & non propterea sequitur, quòd motus sit essentialiter constitutivus corporis, nec risibile hominis.

Sequitur ergo, quòd à posteriori, & extrinsecè colligimus, aliquas potentias esse ejusdem naturæ, aut diversæ, quia operantur diversas, vel similes operatio-

tiones, & sic colligimus unitatem, vel diversitatem specificam actuum ex unitate, vel distinctione specifica objectorum, saltem ordinariè loquendo, & maximè de actibus, & objectis adæquatis, & de potentiis prorsùs disparatis, quia potentiæ subordinatæ, ut visiva, & intellectiva, possunt habere actus suos diversos circa eumdem colorem, v. g. circa eandem albedinem.

QUÆSTIO XI.

Quid sit actus vitalis, seu *in quo consistat formaliter vitalitas*.

CUm vivere sit habere intrinsecum principium acquisitivum propriæ alicujus perfectionis sibi non debitæ ex vi generationis, facile videtur, quòd actus vitales sint illi, qui proveniunt à tali principio, & quòd vitalitas formaliter in his actibus sit id, à quo dicuntur sic provenientes.

Hi actus sunt, vel *imperfecti*, ut *generatio*, *nutritio*, *augmentatio*, & *motus progressivi*, seu *localis*, vel *perfecti*, ut actus *cognoscitivi*, & *appetitivi* sensuum tàm internorum, quàm externorum, & potentiarum intellectivæ, ac volitivæ. Primi dignoscuntur ex terminis eorum acquisitivis. Nam *generatio* terminatur ad totum compositum ex materia, & forma substantiali, *nutritio* ad partem substantialem, *augmentatio* ad *quantitatem*, progressio ad *ubi*, & sic vitalitas erit in acquisitione talium rerum per principium illud intrinsecum. At secundi non possent adeò facilè, nec ita distingui, quia non relinquunt post se terminos adeò sensibiles.

Certum est tamen, quòd terminentur ad sensationes, seu terminos aliquos reales, qui per illas producuntur, & in illis recipiuntur, v. g. *visio* est actio elicitiva, & productiva imaginis objecti alicujus, quæ imago recipitur in ipsa potentia visiva, sc. in oculo (idem de intellectione, & aliis) sed ipsa species objecti venit vel ab ipso objecto, vel producitur ab ipso oculo. Prout venit ab ipso objecto, dicitur *impressa*, quia imprimitur potentiæ visivæ ab extra, quæ autem producitur ab ipsa potentia, dicitur *expressa*, quia ipsa potentia illam exprimit, seu elicit: suppono enim,

objectum semper concurrere ad illos actus, ideò dicitur, *ab objecto, & potentia paritur notitia*.

Quæritur ergo, an ad actum vitalem sufficiat illa receptio speciei, seu imaginis objecti in potentia, quæ merè passivè se habeat; an verò sit necessarium, ut potentia activè se habeat.

Notandum, quòd actus dici potest *vitalis*, vel quia de se exigit produci à potentia vitali, & sic omnis actus vitalis est essentialiter talis, quia de se exigit sic produci, licèt fortè non sic producatur de facto, vel quia de facto, & in actu secundo sic producitur, & in hoc sensu vitalitas non est essentialis actibus, quia sic possunt produci à Deo sine concursu activo ipsius potentiæ, vel denique, quia est talis naturæ, ut per illum potentia possit tendere formaliter, & perceptibiliter in objectum, si ei uniatur, & hoc etiam essentiale est omnibus actibus vitalibus.

CONCLUSIO I.

AD vitalitatem actus non sufficit receptio imaginis objectorum in potentia, sed requiritur actio ejus. Ita magis communiter.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quòd nec objectum solum, nec anima sola est tota causa intellectionis, sed quòd totalis ejus causa conflatur ex objecto, & anima. *Intellectio actualis est aliquid in nobis non perpetuum, sed habens esse post non esse, sicut experimur. Istius ergo oportet ponere aliquam causam activam, & aliquo modo in nobis, alioqui non esset in potestate nostra intelligere, cùm volumus.... Apparet etiam hic, quod oportet concurrere animam, & objectum præsens, &c.*

Prob. 2. ex eodem. Si à solo objecto produceretur visio in oculo, v. g. ita ut ipse oculus nihil ageret, animal dormiens oculis apertis videret objectum præsens, & audiret sonum, sed hoc est falsum, & contra experientiam, ergo, &c. Prob. maj. Objectum imprimit speciem sui in oculo dormientis, æquè ac vigilantis, sicut in speculo, ergo, si visio consisteret in sola receptione passiva speciei, tàm fieret in dormiente, quàm in vigilante.

Prob. 3. Sequeretur, intellectum numquam errare, pos-

[1] *1.d.3.q.7.K.n.10.& quodl.13.B.n.3.*

posse, nec cessare à cogitatione, nec discurrere de novo, nec unum alio perfectiùs intelligere, &c. Sed hæc omnia falsa sunt, ergo non sufficit receptio imaginis objectorum ad actus vitales visionis, aut intellectionis.

Prob. maj. 1. Quia objecta non possunt imprimere falsas species. 2. Quia species illæ impressæ semper eodem modo repræsentant, & informant. 3. Quia, cùm sint causæ naturales, à primo instanti causant, quidquid possunt, & per consequens omnem cognitionem possibilem, & sic nulla poterit de novo causari per discursum, aut reflexionem. 4. Quia informatio, cùm sit ejusdem rationis, & ab eadem causa, sc. objecto in duobus oculis, vel intellectibus, æquè perfectam causabit intellectionem, & sic nihil inserviet attentiùs inspicere, vel considerare, & speculari, quia tota perfectio pendebit ab objecto, ergo, &c.

Prob. 3. Quia vivens deberet in suis operationibus aliqualiter differre, & in gradu perfectiori, à non viventibus, sed non posset assignari, in quo differret, nisi concurreret activè ad illas, ergo sic concurrit. Prob. min. Nam, in quo oculus differret à speculo in agnoscendo, & repræsentando, si æque merè passivè se haberet per puram receptionem imaginis objecti? Alias rationes videbimus, ubi de intellectu.

Objic. 1. ex S. Aug. [1] *Illa informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore, quod videtur.* Alibi dicit, quòd idem est sonatio, & auditio, & Arist. vocat potentias passivas, & dicit, quòd *intelligere est quoddam pati*, ergo vitalitas actus consistit formaliter in receptione speciei ab objecto.

Respondeo ex Scoto, Augustinum [2] loqui de visione, non prout est actus vitalis, sed prout est species objecti, quæ species est virtualiter visio. Arist. verò ideo vocat potentias passivas, & *intelligere* dicit esse *quoddam pati*, non quòd nullo modo agant, sed quia agentes immanenter recipiunt in se qualitatem ipsam, quam producunt.

Objic. 2. Objectũ per species sui receptas in potentia repræsentatur illi formaliter, & ab ea percipitur, ergo frustrà requiritur alia actio ex parte potentiæ.

Respondeo neg. ant. Per illam enim speciem obje-

[1] 2. de Trin. c. 2. [2] ibid. & q. 6. N.

ctum quidem se repræsentat formaliter, ut faceret in speculo, sed non vitaliter: & ipsa species sic recepta quasi fœcundat potentiam ad producendam ex parte sua formalem, ac vitalem repræsentationem in se, per quam sic productam fiet formaliter videns, seu percipiens objectum.

Objicies 3. Si sensus esset activus, necessariò produceret actum sensationis, v. g. visionis, quoties applicaretur objectum, sed hoc est falsum, ergo & falsum est, quòd potentiæ illæ sint activæ suarum sensationum.

Prob. min. Applicato objecto visibili, v. g. lumine ad oculum apertum dormientis, non fit visio, ergo falsum est, quòd semper fiat sensatio in potentia, dùm applicatur objectum.

Respondeo neg. maj. Quia præter potentiam, & objectum requiritur concursus spirituum vitalium, qui concursus impeditur per somnum, perinde ac si animal non viveret.

CONCLUSIO II.

Actus vitalis non est pura relatio de genere actionis, vel passionis, sed qualitas absoluta de prima, vel tertia specie.

Prob. 1. ex Scoto [1] quoad 1. p. Docet enim, quòd *in omni intellectione, & generaliter operatione quacumque est entitas aliqua absoluta*. Et quoad 2. p. [2] *sed si quæratur supponendo operationem esse per se unam, & per consequens unius generis, ad quod genus pertinebit? potest dici, quòd per se est in genere qualitatis*, & alibi loquens [3] de visione, & intellectione: *cùm ergo hujusmodi operationes sint aliquid, & probatum sit, quòd non sint substantia, nec relatio, nec actio, aut passio, neque quantitas, nec aliquid extrinsecùs adveniens, relinquitur, quòd sint in genere qualitatis. Constat, quod non sunt de tertia, vel quarta specie, quia talia sunt solùm corporalia* (sc. passio, & patibilis qualitas, forma, & figura) *nec in 2. quia illa sunt naturalis potentia, vel impotentia: sunt ergo in prima, in qua, credo, est omnis perfectio substantiæ spiritualis, quæ non est Deus, vel quæ non est de ejus substantia.*

Ha-

[1] *quodl. 13. A. n. 2.* [2] *ibid. A. A. n. 25.*
[3] *1. d. 3. q. 6. V. n. 32.*

Habes igitur ex Scoto. 1. quòd operationes illæ vitales, & maximè intellectio, & volitio non sunt puræ relationes de genere actionis, vel passionis. 2. quòd sunt quid absolutum. 3. quòd sunt de prima specie qualitatis, sc. habitus, vel dispositio, & hoc quantum ad operationes mentis, sc. volitiones, & intellectiones, sed quoad sensationes internas, & externas, non negat eas posse pertinere ad 3. speciem qualitatis, quia ratio ejus pro hac specie non valet, quia sunt corporales, seu in potentiis corporalibus.

Prob. 2. quoad 1. p. Quia, ut constat ex dictis in Logica, & Physica, actio est causalitas agentis, & relatio realis, ergo habet terminum realem. Prob. conf. Nulla datur actio, nec relatio realis sine termino reali, sicut nec causa, nec causalitas sine effectu.

Aliud est enim operatio absolutè, & aliud actio, operatio propriè includit actionem formaliter, & qualitatem illam, per quam potentia constituitur formaliter videns, sentiens, volens, intelligens, ergo, &c. actio verò præcisè est illa relatio, seu causalitas, qua potentia producit, & quasi emittit illam sensationem, vel intellectionem: quod valdè notandum, nam plerique nomine *operationis* utrumque intelligunt, & confundunt, sc. relationem, & terminum ejus.

Prob. 3. Quia vitalis operatio est ultima perfectio viventis, sed relatio pura non dicit perfectionem, sed resultat ex ente constituto in actu, ergo operatio vitalis non est pura relatio.

Prob. 2. p. ex Scoto. Nam 1. illæ operationes non sunt substantia, quia possunt adesse, & abesse à potentiis sine illarum corruptione. 2. Non sunt quantitas, quia reperiuntur in anima rationali, quæ est expers quantitatis. 3. Nec denique relationes intrinsecùs, vel extrinsecùs advenientes propter rationem allatam in 1. parte.

Prob. 3. p. ex eodem. Quia volitiones, & intellectiones, cùm sint spirituales, non sunt de 2. nec 3. nec 4. specie qualitatis, ut patet ex rationibus Scoti, sensationes verò, cùm sint materiales, possunt pertinere etiam ad 3. quæ est passio, vel patibilis qualitas.

Dixi autem, quòd illi actus, seu operationes *non sunt puræ relationes*, nec enim negari potest, quin includant relationes actionis, & passionis inter potentiam,

& terminum illum, seu qualitatem productam, & in ipsamet potentia receptam, & prætereà relationem tendentiæ, seu attingentiæ ad objectum, sed solùm negamus, quòd illæ relationes sint vel tota operatio, vel de essentia ejus, alioqui esset ens per accidens, constans essentialiter ex entibus diversorum prædicamentorum, sc. qualitate, & relationibus: nulla autem relatio potest esse de essentia absoluti.

Objic. 1. Omnis actio vitalis est in continuo fieri, & successione, sed omne tale ens est vel actio, vel passio, quæ sunt puræ relationes secundum nos, ergo actus vitalis est pura relatio actionis, aut passionis.

Resp. neg. maj. Nam, licèt species expressa, quæ est terminus actionis vitalis, pendeat ab agente tàm in principio, quàm in fine, & sit circa aliquod receptivum, & in his conveniat cum actione, tamen in hoc differt, quòd actio habet terminum productum, & ista species, seu qualitas est ipse terminus productus.

Inst. Ipse etiam actus vitalis sub hac 3. conditione producit habitum, ergo habet etiam terminum productum.

Resp. dist. ant. Producit habitum effectivè, ut causa partialis cum potentia, & objecto, con. ant. formaliter, ut actio, neg. ant. & conf. Actio est via agentis, & principium formale, *quo* agens producit effectum, non autem principium effectivum, nec instrumentale.

Inst. 2. Actus vitalis est actio immanens, ergo est de genere relationum.

Resp. dist. ant. Est actio simul cum termino producto in ipso agente, & ideò dicitur immanens, con. ant. est purè actio, & nihil productum per ipsam, neg. ant. de quo aliàs diximus.

Inst. 3. Intelligere *est quoddam pati*, ex Philosopho, ergo actus vitalis consistit in relatione passionis.

Resp. neg. conf. Philosophus non dixit, quòd intelligere sit purum pati, sed quoddam pati, quatenùs intellectus constituitur formaliter intelligens per receptionem verbi mentis, seu speciei expressæ, & sic *intelligere est pati* concomitanter, non formaliter.

CON-

CONCLUSIO III.

Non est adeò de essentia actus vitalis, ut sit activè à potentia viventis, quin possit produci à Deo solo, vel in ipsa, vel extra ipsam,

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui loquens de actu fruitionis, quo anima Beatorum fruitur Deo, & fit beata, dicit, quòd *fruitio est quoddam accidens absolutum possibile creari à primo causante immediatè sine actione voluntatis creatæ, & quòd intellectus animæ Christi potest recipere passivè visionem verbi primò, & immediatè, &c.* Certè idem est de quocumque actu vitali, ac de intellectione, & volitione. Quod alibi sæpè inculcat. De facto videtur docere sic fieri in locutione Angelorum, quasi Angelus loquens producat speciem conceptus sui in intellectu audientis. Ideò dicit, quòd, [2] *si Deus causaret intellectionem, & eam in intellectu nostro imprimeret, non minùs ea intelligeremus, sicut dixi de intelligentia actualiter.*

Prob. 2. Quia Deus potest supplere concursum causæ omnis efficientis, & se solo producere, quidquid cum illa producit, sed potentiæ vitales concurrunt effectivè ad illos actus, ergo & Deus poterit illos se solo producere. Maj. patet ex Physica, & recipitur ab omnibus. Prob. min. Nam potentia duplicem influxum habet ad illos actus, unum activum, quo illos producit partialiter, alterum passivum, quo illos in se recipit: primum potest Deus supplere, nulla enim est in hoc repugnantia, non autem 2. saltem per se, quia repugnat infinitæ ejus perfectioni, & simplicitati subjici ulli novæ formæ tàm substantiali, quàm accidentali.

Prob. 2. quoad 3. p. Nam actus illi sunt qualitates absolutæ, ergo Deus potest illas & producere, & conservare extra ipsas potentias, aut aliud subjectum, ut diximus de omnibus accidentibus absolutis, nulla enim est major repugnantia de istis, quàm de aliis. Sed constat ex conclusionibus præcedentibus, quòd isti actus sunt qualitates absolutæ, ergo, &c.

Objicies 1. Illi actus sic producti non essent vitales,

[1] *3. d. 13. q. 4. O. n. 18. & d. 14. q. 1. B. n. 3.*
[2] *1. d. 3. q. 7. T. n. 37.*

ergo ut vitales debent ab ipsis potentiis produci. Prob. ant. De ratione actus vitalis est, ut sit à principio vitaliter activo, ut patet ex prima conclusione, sed actus producti ab agente extrinseco, v. g. à Deo, non essent tales, nec à tali principio, ergo &c. prob. conf. Sicut enim vivens à non vivente distinguitur per hoc, quòd habeat in se tale principium, ita & actus vitalis à non vitali distingui debet per hoc, quòd à tali principio producatur.

Resp. neg. ant. & dist. maj. Ut sit, vel aptus sit, & de se exigat esse à tali principio, & de se talis sit naturæ, ut potentia per illam possit tendere in objectum, con. maj. & neg. min. ut sit actu, & de facto à tali principio, neg. maj. & conf. Hoc enim minimè requiritur saltem de potentia Dei absoluta.

Inst. Sequeretur, auditionem, aut visionem posse poni in lapide, sed conf. est falsum, ergo &c. Maj. patet. Quia est accidens absolutum, sicut calor, aut frigus, nec apparet implicantia. Prob. min. Quia lapis fieret videns, &c. ergo & vivens, sed hoc repugnat, ergo, &c.

Resp. neg. min. 1. argum. & maj. 2. Nam, ut aliquid sit videns, & audiens, debet etiam habere in se principium vitæ, quod mediante specie impressa, seu visione, vel auditione possit tendere vitaliter in objectum, & hoc non habet lapis, nec aliud subjectum non vivens.

Objic. 2. De ratione sensationis externæ est, ut à potentia simul, & objecto causetur, sed tunc non sic causaretur, sed à solo Deo, ergo non esset vera sensatio vitalis. Prob. maj. Quia per illas debet percipere objectum præsens, ut præsens, sed non posset illud attingere, nisi ipsammet potentiam determinet ad sui perceptionem (idem est de cognitione intuitiva, quæ est de objecto præsente, ut præsente) ergo sensatio externa produci non potest, nisi ab objecto, & potentia.

Resp. n. maj. 1. & min. 2. argum. Nam per illam sensationem, modò adesset objectum, posset illud percipere sensus externus, licèt ad illius sensationis productionem nec ipsum, nec potentia influxisset, nec video in hoc repugnantiam.

Inst. Non potest videri objectum, sicut nec intelli-

gi,

sine attentione, sed potentia non potest sine actione attendere, ergo nec videre, aut cognoscere intuitivè. Prob. min. Attentio est actio, ergo, &c.

Resp. dist. min. Non potest attendere per actionem productivam, con. min. per actionem simplicis tendentiæ, neg. min. & ad prob. dico, quòd attentio præcisè, & essentialiter non dicit, nisi simplicem actionem tendentiæ, non verò actionem productivam ullius rei, quamvis naturaliter, & ordinariè hæc non separentur.

Objicies 3. De ratione actus vitalis voluntatis est, ut sit voluntarius, & liber, sed actus amoris, vel odii productus à Deo in voluntate passivè se habente non esset voluntarius, nec liber, ergo nec vitalis.

Resp. dist. maj. De ratione volitionis ab ipsa voluntate elicitæ, con. maj. de ratione omnis actus, qui sit in voluntate, neg. maj. & cons. Fateor cum Scoto, quòd tales actus in voluntate producti à Deo solo non essent liberi: sed non minùs essent vitales, & voluntarii, idest secundum inclinationem voluntatis, non elicitam, sed innatam, & passivam. Colligis ergo; quòd in actibus vitalibus tùm sensitivis, tùm intellectivis concurrunt ipsæ potentiæ cum objectis tàm passivè, quàm activè: potentiæ determinantur ab objectis ad illos actus vel per se ipsa immediatè, vel per species sui, de quibus infrà dicemus, & istæ vocantur impressæ, quia ab ipsis objectis imprimuntur in illis, & quoad istas potentiæ sunt passivæ. Deinde potentiæ his speciebus determinatæ, & quasi gravidæ pariunt suos actus vitales, seu operationes, seu sensationes, quæ sunt species expressæ objectorum, & ad istas se habent activè. Denique has ipsas species in se recipiunt, & iterùm passivè se habent, & per hanc formaliter receptionem constituuntur percipientes, sentientes, videntes objecta sua. Ideò dicebat Arist. quòd *intelligere est quoddam pati*, quia per hanc ultimam formalitatem quasi consummatur operatio. De speciebus dicemus infrà.

DISPUTATIO IX.

De Animabus vegetativa, & sensitiva.



QUÆ omni animæ essentialia, & communia sunt, diximus, quantum satis. Ad singulas descendimus, & una hac disputatione duas examinamus, quia de *vegetativa* paucissima, aut ferè nulla restant dicenda, suppositis iis, quæ diximus de generatione viventium, deque nutritione, & augmentatione, quæ sunt tres facultates ejus.

QUÆSTIO I.

De Anima vegetativa, & potentiis ejus.

ANimam vegetantem describunt Philosophi *actum corporis organici potentia vitam habentis vegetativam*. Prior pars definitionis patet: ultima verò particula continet differentiam ejus specificam, per quam distinguitur ab aliis duabus. Vita autem vegetativa est *principium generandi, nutriendi, & augendi*: unde hæc anima, velut à posteriori, potest describi *principium nutriendi, augendi, & generandi*.

Tres igitur sunt hujus animæ facultates, *nutritiva, augmentativa, & generativa*, de quibus fusè diximus in superioribus disputationibus de generatione viventium, de nutritione, & augmentatione.

Quoad unitatem ejus certum est, illam non esse specificam, tot enim sunt species hujusmodi animarum, quot vegetantium, & plantarum, imò & genere multiplex esse potest, nam plures plantæ dici possunt genere differentes, & non sola specie atoma.

Potentiæ aliæ dicuntur *principales*, & sunt *nutritiva, augmentativa*, aliæ *ministeriales*, quæ sunt subordinatæ principalibus, & sunt 4. *attractiva, retentiva, motiva*, & *expulsiva*. 1. attrahit alimentum. 2. retinet. 3. decoquit, ut in substantiam aliti convertatur. 4. superfluum, & noxium expellit.

Circa distinctiones harum potentiarum paulò gravior est difficultas, ideò sit

CON-

CONCLUSIO.

Potentia corporalis, & organica generativa distinguitur realiter ab aliis duabus, istæ verò non sunt inter se realiter distinctæ. Loquor de illis potentiis integrè sumptis, prout comprehendunt corpus, & animam simul.

Prob. 1. *ex Scoto* [1] sic distinguente potentias. *Quæ non sunt animæ per se, sed totius conjuncti ex anima, & corpore. Et quidem illarum, quæ sunt totius conjuncti, quædam sunt magis corporeæ, quæ sc. consequuntur naturam corporis sic mixti*, quædam sunt magis *approximantes ad naturam animæ: &c.* Ergo, ex Scoto, quædam potentiæ corporeæ, & materiales magis, & minùs distinguuntur.

Prob. 2. *quoad* 1. *p.* Quia potentiæ illæ organicæ, & completæ dicunt formam illam organicam constitutam ex anima, & parte illa corporis, quæ est aut *caro*, aut *os*, aut *cartilago*, &c. Sed partes illæ distinguuntur specie, ergo & facultates generativa, & nutritiva. Certè facultas generativa duplex est alia in semine, alia in toto vivente, prima est realiter distincta à nutritiva, cùm ista sit vivens, alia minimè, & ambo habent organa distincta, quippe nutritiva est in toto vivente, semen verò est in unica parte concoctiva, & conservativa seminis, ergo, &c.

Prob. 2. Loquimur hìc de potentia generativa, non sicut de qualicumque principio productivo substantiæ; sic enim nutritiva est quædam generatio, sicut & productio ignis ex ligno per alium ignem, sed sumitur propriè, prout generatio *est viventis à vivente in similitudinem naturæ à principio conjuncto*. Sed multa sunt viventia, quæ non sic generant ex natura sua, licèt nutriantur, & augeantur, ergo potentia generativa separabilis est ab istis. Prob. min. Nam, ut notavimus, muli, & alia non generant, quædam generantur ex putri, ut vermes, Ranæ, &c. Quædam etiam plantæ possunt reperiri, quæ non generant, sicut aliæ, ergo, &c.

Prob. 2. p. Quia nutritiva, & augmentativa non sic separantur, nec ulla est ratio distinctionis realis inter illas;

[1] 4. *d.* 10. *q.* 7. *A. d.* 2.

illas, ergo non est asserenda distinctio realis inter illas, sed sufficit formalis ex natura rei.

Objicies 1.contra 1.p. Ex Philosopho *eadem potentia animæ est vegetativa, & generativa*, ergo, ex Philosopho, potentia generativa non distinguitur à vegetativa, nec per consequens ab aliis. Prob. conseq. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, sed istæ sunt idem animæ vegetanti æquè, ac generativa, ergo & illæ identificantur inter se.

Respondeo dist. ant. Est eadem genere, & Metaphysicè, con. ant. realiter, & Physicè, neg. ant. & min. prob. Nam Arist. loquitur de unitate generica, quæ stat cum distinctione specifica, & reali.

Inst. Nulla est necessitas talis distinctionis, ergo non est asserenda. Prob. ant. Eadem virtus nutritiva potest efficere ex cibo sanguinem; lac, carnem, ossa ad nutritionem, ergo & semen ad generationem.

Respondeo 1.neg.ant. Nam, sicut termini harum actionum, & virtutum differunt specie, ita & ipsæ virtutes.

Resp.2.neg.conseq. Quia semen non vivit, nec est ejusdem speciei, ac naturæ cum aliis, nec unum integ ale vivens per se constituit, sicut ossa, caro, nervi, &c.

Inst. 2. Generatio, & nutritio habent eumdem finem, ergo sunt eadem realiter potentia. Prob. ant. Utraque intendit productionem substantiæ vivæ, & quidem ejusdem rationis, v.g. eadem est caro, quæ producitur per nutritionem, & est ejusdem rationis cum ea, quæ per generationem, ergo, &c.

Resp.neg.ant.& conseq.prob. Nam, licèt caro, quæ nutritur, seu quæ per nutritionem aggeneratur, sit similis priori productæ per generationem, non sequitur esse eundem finem utriusque, aggeneratio, seu nutritio habet pro fine, & termino substantiam partialem, generatio verò substantiam totalem, & totum vivens, illa ordinatur ad reparationem substantiæ deperditæ, quæ partialis est, & illa deperditio est præter intentionem naturæ: ista verò ad productionem totius, & per se sic ordinatur, & intenditur à natura, ergo latissima est differentia, & distinctio finium.

Obji-

Objicies contra 2.p. Nutritiva, & augmentativa habent diversos fines, & terminos, ergo istæ à fortiori distinguuntur realiter. Patet ant. Quia nutritiva terminatur ad substantiam, augmentativa ad quantitatem. Prob. etiam conseq. ex responsione mox data, ubi propter diversitatem aliquam terminorum, & finis arguitur distinctio generativæ à nutritiva.

Respondeo neg. conseq. & paritatem prob. Nam potentiæ nutritiva, & generativa habent pro terminis diversas substantias, nutritiva autem, & augmentativa habent una substantiam, & alia quantitatem illi connaturalem, & naturaliter inseparabilem, eadem realiter potentia sufficit ad productionem substantiæ, & accidentium illi connaturalium. Inde igitur infertur sola distinctio formalis istarum.

Inst. Actus illarum, & effectus separantur, ergo & potentiæ. Prob. ant. ex dictis. Vivens semper nutritur, & non crescit semper, ergo nutritio, & augmentatio separantur.

Respondeo neg. ant. & dist. prob. Nutritur sine augmento quoad majoritatem, quæ est aliquod concomitans, con. ant. sine augmento, id est, acquiritur nova substantia sine quantitate proportionata; neg. ant. Nam, sicut per calorem absumitur substantia, quæ reparatur per nutritionem, ita & quantitas antiqua deperditur, & nova producitur, sed, sicut non semper acquiritur plus substantiæ, quàm deperdatur, ita nec plus quantitatis, & sic ab eo tempore vivens non crescit.

QUÆSTIO II.

An, & quid sit anima sensitiva, & quæ sint ejus potentiæ, & an sint activæ.

Sicut vegetantem descripsimus, *actum corporis organici potentia vitam habentis vegetativam*, ita dicere possumus de sensitiva à priori, mutato nomine, quod sit *actus corporis organici potentia vitam habentis sensitivam*, vel à posteriori: *principium sentiendi*, & aliarum operationum animalium. *Sensus* autem est *facultas animæ sensitivæ ordinatæ ad quodlibet sensibile percipiendum*.

Tres

Tres solent assignari huic animæ operationes ei specialiter competentes præter illas, quæ vegetantem sequuntur; sc. *sensatio*, *appetitio*, & *locomotio*, seu *progressio*, & ex tribus facultatibus procedunt. 1. est à potentia *cognoscitiva*, seu *sensitiva*, quæ res percipit. 2. ab *appetitiva*; quæ convenientia prosequitur, & nociva fugit, & 3. *loco motiva*, quæ mutat locum, prout convenit ad acquirendum bonum, aut vitandum malum. 1. dividitur in *internam*, quæ dicitur *sensus internus*, quia intra ipsum animal, v.g. intra cranium, & in cerebro exercet suas functiones, nec habet organa extrinsecùs apparentia, & *externam*, seu *sensum externum*, quia habet instrumenta suarum operationum externè apparentia, v. g. *oculos*, *aures*, &c. 2. In *concupiscibilem*, quæ appetit bonum, & *irascibilem*, quæ aversatur malum. 3. In *imperfectam*, quæ non efficit nisi imperfectum motum localem sc. dilatationis, aut constrictionis, ut limaces, & *perfectam*, quæ causat motum progressivum de loco ad locum.

De hujus animæ existentia, & causis nihil restat addendum iis, quæ diximus de generatione viventium, & de anima in communi. De potentiis ejus disputari solet, an sint activæ, an verò solùm passivæ, & de hoc jam dximus suprà, quòd ad vitalitatis actum requiritur, ut potentia concurrat ad illum activè, saltem quantum est de se, & connaturaliter. Tamen majoris lucis gratia pauca addenda sunt.

Supponendum autem ex Scoto, [1] & ex dictis, quod potentia sensitiva circa suum objectum hæc habet. 1. recipit ab eo speciem sensibilem. 2. cum illa specie, vel ipso objecto elicit sensationem, & 3. recipit in se illammet sensationem à se sic productam, & per illam tendit in objectum, & illud formaliter percipere dicitur. Sub 1. respectu est purè passiva, sub 2. est purè activa, sub 3. denique est passiva, sed non adeò purè, sicut in 1. quia sequitur ex actione. Quæritur ergo, an sensatio consistat purè in receptione speciei ab objecto in 4. illo sensu, an verò in productione sensationis, & receptione ejusdem.

CON-

[1] *L. de An. q. 12. & 1. d. 3. q. 6. & 7.*

CONCLUSIO I.

P*Otentia sensitiva est activa, & passiva; adeò ut sit productiva, & receptiva sui actus.* Est Scotistarum, & aliorum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dicendum ergo, quòd potentiæ animæ respectu suarum operationum sunt activæ, aliter nimis vilescerent. prob. 1. ex Philosopho probante, quòd anima est principium effectivum, non solùm vegetandi, sed etiam sentiendi, & idem est de actu intelligendi.* Et expresſè dicit, quòd *sentire, & intelligere* sunt actus immanentes in agente. *Certum est autem, quòd manent in sentiente, & intelligente, non autem in objecto extrinseco*, ergo objectum non est causa activa, saltem totalis, talium actuum, sed potiùs homo sentiens, aut intelligens mediantibus suis potentiis.

Prob. 2. ex iis, quæ diximus tàm ex Doctore, [2] quàm ex ratione de vitalitate actus, & præterea ex iis, quæ addit ibidem, v. g. quia agens, ut agens, est nobilius patiente, ergo, si objectum ratione speciei suæ, quæ est accidens, est unicum agens, & anima purè patiens, illud accidens erit nobilius anima; sed hoc consequens est absurdum, & falsum, ergo, &c. Item Si sentire in anima est pati, ergo sentiri in objecto erit agere, ergo inanimata, quæ non sentiunt, sed sentiuntur, erunt nobiliora, quàm animata, quæ sentiunt; sed hoc etiam absurdum, & falsum est, ergo, &c.

Prob. 3. Quia potentiæ aliarum animarum sunt activæ, ergo & istius. Conseq. est certa, hæc enim est nobilior vegetativa, quæ est activa. Prob. ant. Nam facultates generativa, & nutritiva sunt sine dubio activæ, ergo, &c.

Quoad 2. p. seu, quòd non solùm in actione, sed etiam simul in passione consistat sensatio. Sic docet Scotus; [3] *formaliter intelligimus*, inquit, *intellectu, inquantum recipit intellectionem, quia, si causet eam activè, non tamen dico intelligere intellectu, inquantum causat, sed inquantum habet intellectionem, ut formam: habere enim qualitatem est esse quale, & ita intellectum habe-*

[1] *De An. cit. n.* 8. [2] *Disp.* 8. *q.* 11. *concl.* 1.
[3] 1. *d.* 3. *q.* 7. *T. n.* 37.

habere, sive recipere intellectionem (quod idem est) est ipsum esse intelligentem, nos igitur intelligimus intellectu, inquantum recipimus intellectionem, &c. Hoc sensu dixit Philosophus, quòd intelligere est quoddam pati.

Objectiones etiam ibidem solutæ sunt, addimus istas. 1. si sensus esset activus, seipsum sentiret, & alia sine objecti concursu, sed hoc est falsum, ergo non est activus. Prob.maj. Haberet in se totum principium sensationis.

Resp. neg. seq. & ant. prob. Quia, licèt sit principium activum suæ sensationis, non est totale, sed partiale, simul cum objecto, vel specie illius.

Objicies 2. Sensatio, sicut intellectio, fit per assimilationem potentiæ cum objecto, sed potentia fit similis objecto per receptionem speciei ejus, non per actionem, ergo sentiens est, & intelligens per receptionem, non per actionem.

Resp. dist. maj. Per assimilationem formalem, & vitalem, con. maj. & neg. min. Per assimilationem virtualem, & non vitalem, neg.maj. Assimilatio, in qua consistit sensatio, est formalis, & vitalis, & talis esse non potest à solo objecto.

CONCLUSIO II.

S*ensus activus, & passivus non distinguuntur.* *Prob.1. ex Scoto cit.* [1] ibi enim clarè docet, eundem intellectum producere intellectionem, & eandem in se recipere.

Prob.2. Quia nulla est necessitas talis multiplicationis, seu distinctionis realis, ergo non est distinctio saltem realis. Prob.ant. Quia sensus dicitur *passivus*, quatenùs recipit in se species impressas ab objectis,& species à se ipso expressas, & dicitur *activus*, quia speciem istam expressam producit, sed ad hæc sufficit eadem realiter potentia, ergo nulla est necessitas distinctionis realis.

Objicies, Sicut se habet species intelligibilis ad intellectum, sic sensibilis ad sensum, sed ob speciem intelligibilem admittitur intellectus agens distinctus, ergo ob sensibilem debet admitti sensus activus.

Ref-

[1] *ibid.*

Resp. neg. absolutè maj. Quia longè aliter Philosophandum est de specie impressa sensibili, quàm de intelligibili. Ista enim non potest immediatè imprimi ab objectis externis, sicut sensibilis potest imprimi in sensibus, & propterea admittimus majorem distinctionem inter intellectum activum, & passivum, quàm inter sensum activum, & passivum, ibi tamen non admittimus, nisi formalem ex natura rei, ergo à fortiori non est admittenda realis in sensu, nec formalis quidem, de hoc infrà, ubi de intellectu.

QUÆSTIO III.

De objecto sensibili. Quid, & quotuplex sit. An circa illud possit esse deceptio in sensu, & an sensibile positum supra sensum faciat sensationem.

Sensus in particulari, & strictè est illa animæ sensitivæ potentia, quæ percipit objecta sua, & respondet potentiæ cognoscitivæ in anima rationali; sed communiter comprehendit omnes potentias animæ sensitivæ, & sic sensibile correspondens sensui in 1. acceptione est illud, quod à potentia illa particulari cognoscitiva, seu perceptiva potest attingi, in 2. verò est id omne, quod objicitur animæ sensitivæ, sive ut perceptibile, sive ut appetibile. Sensibile igitur est *Ens reale corporeum, singulare, accidentale, movens sensum per intimam cum illo conjunctionem*. Unde inferuntur quatuor conditiones in objectis sensuum.

1. Ut sit *ens reale*, & sic excluduntur entia rationis, imò & negationes, & privationes, quatenùs per se, & directè percipi non possunt à sensibus, sed tantùm indirectè, & per alienas species. Nam objectum per se sensibile movet per se potentiam, per se, inquam, immediatè, aut per speciem à se immissam, quæ est etiam ens reale.

2. Ut sit *corporeum*, & *materiale*; non spirituale, quia sensus, cùm sint ipsi materiales, non possunt ferri extra sphæram suam, & per se, saltem naturaliter, attingere objecta superioris potentiæ, quales sunt substantiæ spirituales. Dico, *saltem naturaliter*;

ter, ut præscindam à quæstione: An Res spiritualis possit videri oculo corporeo? de qua aliàs.

3. Ut sit *singulare*, quia debet esse existens, & præsens, saltem per speciem à se emissam, ergo & singulare nec existere potest, nec movere sensum, nisi sit singulare: universalia non percipiuntur, nisi ab intellectu. Igitur singulare movet, *ut quod:* natura verò in se potest movere, *ut quo*, quia objecta percipiuntur secundum naturam suam specificam, priusquam per singularem.

4. Ut sit *accidentale*, seu, quod movet, & percipitur mediis accidentibus, nam substantia per se immediatè non est sensibilis, sed mediis accidentibus, v.g. videtur paries mediis coloribus, &c.

Rursùs sensibile aliud est *per se*, aliud *per accidens*, aliud *commune*, aliud *proprium*: primum illud est, quod per suam entitatem terminat actum sensationis, & cadit sub sensum, ut calor, sonus, &c. 2. est, quod non cadit sub sensum, nisi per aliud, ut substantia sentitur ab oculo mediante colore: relationes, negationes mediantibus subjectis, & entibus positivis. 3. quod à pluribus sensibus percipi potest, ut quies, motus, figura, magnitudo, quæ visu, & tactu sunt perceptibilia. 4. quod ab uno solo percipi potest, saltem per se, ut color respectu visus, & sonus respectu auditus, odor respectu olfactus.

Denique sensibile *proprium* quintuplex est: *visibile*, sub quo reducuntur omnes colores, & lumen: *audibile*, ut omnes soni; *olfactibile*, ut omnes odores, *tangibile*, ut omnes tactibiles qualitates, & *gustabile*, ut omnes sapores.

His ita explicatis, & suppositis, quæritur, an sensationes sint adeò certæ, ut in illis numquam erret sensus, sive circa sensibile proprium, sive circa commune, & unde venire possit deceptio.

CONCLUSIO I.

E*Rror potest cadere in sensibus etiam circa sensibile proprium, non tamen semper accidit.* Est contra Epicureos, qui sustinent sensus decipi non posse, & Academicos, qui eos semper decipi arbitrantur.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto [1] contra eos, qui supponunt, quòd omnis cognitio sit vera, quia est sensitiva, & ideò vera. *Ista ratio deficit*, inquit, *quia supponit judicium sensus numquam decipi, quod falsum, nam decipitur frequenter circa objecta propria, vel propter improportionem objecti, vel propter indispositionem organi, & inde est, quòd sensus quandoque judicat de sensibili aliter, quàm sit in re.* Ecce totam conclusionem, & idem docet alibi [2] sæpè.

Prob. 2. ex eodem ab experientia, qua constat, dulcia ab infirmis sentiri amara, colores videri in iride, ut veros, cùm non sint, & sic de similibus innumeris, ergo etiam circa sensibile proprium contingunt errores in sensu:

Prob. 3. à fortiori de sensibili communi. Nam existens in navi, aut curru putat montes, terram, arboresque moveri, cernens baculum aquæ immersum secundum partem videt illum curvum, aut fractum, cùm sit rectus: aspiciens solem, fallitur in ejus magnitudine, aut etiam in maculis, &c. Denique, si decipitur sensus circa sensibile proprium, ergo multò magis circa commune.

Quòd autem id non semper accidat, prob. 1. contra Academicos ex Scriptura allegante sensationes in probationem veritatis, quod non faceret, nisi esset certitudo magna in sensibus. Ut cùm dicit, *fides ex auditu. Quia vidisti me, Thoma, credidisti... Quod vidimus oculis nostris, & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*, ergo error non semper accidit in sensibus circa sensibilia propria, vel communia.

Confir. ex S. August. [3] *Absit à nobis, ut ea, quæ per sensus corporis discimus, vera esse dubitemus.* Per eos quippe dicimus, cœlum, terram, & ea, quæ in eis sunt, nota nobis, &c.

Prob. 2. eadem pars. Nam, ut sensus non erret circa sensibile, nihil aliud requiritur, nisi 1. ut organum sit rectè dispositum; & hujus defectu infirmus putat amara esse dulcia, & è contra. 2. ut medium sit aptum, & non alteratum: hujus defectu, qui per vitrum rubrum aspicit objecta, videt omnia rubra. 3. ut

[1] *4 metaph.c.3.n.66.* [2] *1.d.3.q.4.G.n.8.*
[3] *13.de Trin.c.12.*

ut inter objectum, & potentiam sit debita distantia, & hujus defectu sol apparet minor, quàm sit. 4. ut objectum sit proportionatum potentiæ, & hujus defectu atomi non videntur ob nimiam parvitatem. Atqui sæpè concurrunt omnes istæ conditiones inter sensus, & sensibilia, ergo possunt fieri veræ, & certæ sensationes.

Objicies 1. sensus non judicant, sed error non est, nisi in actibus, quibus affirmatur, vel negatur de objecto aliter, ac est in se, ergo nec error.

Resp.dist.min.& ant.prob. Error, & falsitas composita, & formalis, con.min. simplex, neg. min. & ant. prob. Nam error, seu deceptio hic sumitur pro actu, quo res apprehenditur aliter, ac est in se, sive per judicium, & affirmationem, aut negationem, sive per simplicem apprehensionem.

Objicies 2. Philosophum [1] dicentem sensum errare circa sensibile commune, non verò circa proprium, ergo quoad hanc partem falsa est conclusio.

Resp. neg. ant. Non enim dicit absolutè, sensum non errare circa proprium sensibile, sed tantùm rariùs, quàm circa commune: ait enim: *Sensus propriorum est verus, aut quàm paucissimam habens falsitatem.*

CONCLUSIO II.

Non est semper necessaria pro omnibus distantia sensus à sensibili, benè verò pro aliquibus, v.g. id requiritur pro visu, non pro tactu, &c.

Prob.1. ex Scoto. [2] In uno sensu, sc. in visu, *est causa specialis, quare sensibile positum super sensum non faciat sensum, quia color non videtur, nisi in lumine, & requirit ad hoc, ut videatur, lumen illuminatum, si autem color poneretur super organum visus obumbraret ipsum, & ideò sequitur, quod non posset videri.*

Confir. experientia. Non enim videmus, nisi res distantes, ergo, &c.

Quoad alios sensus patet de tactu, quòd non eget ullo medio, seu distantia, & pro tota resolutione nota, quòd *duplex est immutatio sensibilis. Una naturalis,*

[1] 2.de An.63. [2] q.4.n.4.

turalis, sc. quando immutatur sensus à sensibili secundum illud tale esse, vel secundum eundem modum essendi, quale est extra, & in re, ut cùm sensus tactus calefit, vel alius sensus aliqualiter alteratur, vel movetur secundum locum. Alia est animalis, secundum quam immutatur intentionaliter, vel spiritualiter a sensibili, licèt habeat modum essendi extra realem, & materialem, v. g. per speciem. *Igitur ita est, quòd aliquis sensus immutatur spiritualiter tantùm, ut visus(* id est per species intentionales) *tactus autem utraque mutatione immutatur*, sc. per ipsummet objectum immediatè applicatum, vel per speciem intentionalem. Similiter discurrendum de aliis sensibus.

Objic. 1. Si quis comprimat pupillam oculi, etiam in tenebris percipitur aliquis fulgor in ipso, ita est de illis, qui putant se habere ob oculos telas, aut muscas volantes, ergo isti vident res indistantes.

Resp. neg. conseq. Nam, licèt ista fortè sint intra oculum, distant tamen à parte sensoria, in qua fit visio.

Objic. 2. ex Philosopho. Sensibile supra sensum positum non facit sensationem, ergo requiritur semper, & in omnibus sensibus aliqua distantia. Ant. recipitur, velut effatum commune.

Resp dist. ant. Pro aliquibus sensibus, conc. ant. pro omnibus, neg. ant. & maximè id intelligendum juxta principia Doctoris mox assignata de immutatione naturali, & intentionali, prima sufficit in tactu, secunda requiritur, & sufficit pro aliis, imò & aliquandò pro tactu, quia, cum sensatio tactus sit intima, non semper est sine speciebus intentionalibus, sed de hoc infrà.

Quoad alios sensus mihi videtur cum Poncio, quòd si odor, sapor, & sonus deferrentur immediatè, & per se ad sensoria olfactus, gustus, & auditus, nihil impedit, quominùs per se immediatè sentirentur, sed cùm id videatur difficile, ideò putarem, inter illos sensus, & sensibilia sua propria dari distantiam, & sensationem fieri per species, de quibus infrà dicemus.

Quæres, an *sensus lædatur a sensibili vehementi*. Etenim de facto experimur oculum offendi nimia luce, ut patet de aspiciente solem in meridie, tactum nimio calore, ut patet de igne, auditum ad sonum grandioris campanæ, aut Bombardæ, &c.

Resp.

Resp. in his quidem, & similibus offendi sensus, sed probabiliter id non oritur præcisè à sensibili, ut sensibile est, sed aliunde.

Prob. 1. *ex Scoto*. [1] Quia id venit ex improportione actus cum potentia. *Operatio*, inquit, *non proportionata non est delectabilis. Talis est sensatio objecti excellentis*, &c. Unde notat Scholiastes ejus, quòd *actio illa intentionalis sensibilis excellentis communiter secum habet actionem aliam Physicam læsivam organi.* v. g. in tactu, & gustu miscetur actio primarum qualitatum contrariarum organis illorum; In olfactu, exhalatio calida, in auditu vehementior aeris percussio, qua pulsatur organum, in visu emissio vaporis nocivi, & similium. Alioqui enim non læderetur sensus.

Prob. 2. Quia sensibile, qua tale, non habet aliud munus, quàm producere speciem impressam, & per illum concurrere ad sensationem, & hanc terminare; sed per nullum horum munerum potest lædere sensum, ergo, qua tale, non est præcisè læsivum. Prob. min. Quia illa terminatio est extra potentiam, illa species est intentionalis, & ad *modum recipientis recipitur*, & à fortiori ille concursus, ergo nullum horum est læsivum.

Confir. experientia 1. cæcorum, qui non minùs offenduntur ad solem radiantem, quàm si viderent, ergo non offenduntur à nimia luce, sed calore, vel alia qualitate. 2. dum lædimur ab illa luce, non displicet lux, nec visio ejus; sed alia qualitas. 3. Ex parte tactus, in quo percipimus molestiam, & quia non magis nimius calor, ut talis, deberet lædere tactum, quàm nimia albedo oculum in lacte, sed hæc formaliter ut albedo non lædit oculum in lacte, ergo nec calor in alio subjecto, &c.

Objicies 1. illas ipsas experientias, & similes, quibus probari videtur læsio sensuum à vehementibus objectis; Philosophus dicit sensum lædi ab excellenti sensibili.

Responsio patet ex dictis id non venire præcisè, & formaliter ab illis qualitatibus, sed ab aliis, & hoc sensu loquitur Philosophus.

Objicies 2. Qualitas objecti sensibilis movens sensum

[1] *4.d.44.q.3.I.n.9.ad q.10.de An.n.15.vol.6.*

sum externum debet esse temperata, ergo in excessu debet lædere sensum. Ant.patet. Debet enim esse proportio, & commensuratio quædam inter potentiam, & objectum, & in vehementiori lumine v.g. tollitur illa contemperatio, seu proportio. Prob.conf. Quia per id læditur, per quod tollitur proportio illa, sed tollitur per qualitatem sensibilem, ut sensibilis est, ergo, &c.

Respondeo dist.ant. Debet esse attemperata secundum intentionem, & remissionem, ut sentiatur, transeat ant.nec enim id certum est, aut si facit ad propositum, debet esse attemperata, ne lædat, ut talis, neg. ant. & similiter dist. probationes tàm majoris, quàm consequentiæ. Nam, dato, quòd species intentionales objectorum, seu qualitates ipsæ sensibiles debeant esse attemperatæ sensui secundum gradus intensionis, & remissionis, & non excedentes, id requiritur, ut fiat sensatio, non autem, ne lædatur potentia, saltem præcisè, & læsio aliunde venit, ut patet ex fundamento conclusionis.

Dixi autem probabiliter. Nam Scotus dicit, quòd excellens sensibile, ut excellens sensibile, natum est inferre dolorem, quia est disconveniens, inquantum tale, sc. propter improportionem, unde videtur ad quæsitum posse responderi; dolorem ex sensibili vehementi venire posse ex utraque causa, sc. ex immixtione alicujus qualitatis nocivæ, aliquandò verò ex improportione.

QUÆSTIO IV.

An sensus materialis percipere possit objectum spirituale, aut absens.

Diximus, objectum sensus debere esse materiale, ac existens, & præsens, hinc sequitur, quòd naturaliter non potest sensus materialis percipere objectum spirituale vel absens, & nisi sit præsens per se, vel per species sui. Sed quærimus, an hoc adeò sit essentiale illis sensibus, ut ne divinitùs quidem possit aliter fieri.

CONCLUSIO I.

P*Otentia materialis non potest attingere objectum spirituale, ne supernaturaliter quidem, saltem probabiliter.*

Prob. 1. ex Scoto[1] docente, quòd *sola potentia immaterialis potest per operationem suam attingere perfectum bonum*, & quod Angelus, & substantia separata non potest videri, quia *Angelus caret illis principiis, quæ requiruntur in aliquo objecto ad actum sensationis, sc. quantitate, & qualitatibus sensibilibus*, & quòd *nulla cognitio sensitiva potest esse immaterialis*. Et denique, quòd *sensus non potest esse potentia organica, vel non potest non esse organica*; & ideò non potest elevari ad immateriale apprehendendum, nec etiam visus Beati, ergo ex Scoto potentia materialis, ut sensus, non potest attingere objectum spirituale.

Prob. 2. Nulla potentia potest ferri extra objectum adæquatum, sed res spirituales sunt extra objectum adæquatum sensus materialis, ergo nullus sensus materialis potest attingere objectum spirituale. Hoc argumentum non placet nostris, neque aliis, quia minor vel incerta est, vel petit principium, nam idem est quærere, an potentia materialis possit attingere, saltem supernaturaliter, objectum spirituale, & an res spirituales sint extra objectum adæquatum sensus materialis, tàm supernaturale, quàm naturale.

Prob. ergo, quia valdè probabile est causas secundas esse limitatas in ordine ad actus aliquos, ultra quos non possint concurrere activè ne supernaturaliter quidem, sed hoc posito nulla debet magis esse sic limitata, quàm sensus materialis respectu objecti spiritualis, ergo de facto id ita est. Prob. maj. nam credi non potest lapidem elevari posse ad intelligendum, aut videndum Angelum, aut Deum; ergo dicendum, quòd non datur illa potentia activa in quolibet ad quodlibet, sed quod omnia sint limitata ad aliquos actus, ultra quos non possint elevari.

Hæc

[1] 4. d. 49. q. 4. A. n. 1. & d. 10. q. 9. A. n. 3. & D. 43. q. 2. n. 6. & d. 49. q. 11. L. n. 11.

Hæc ratio valet tàm pro potentiis materialibus, quæ de facto existunt, quàm de aliis possibilibus, nam materialitas est ubique ratio talis limitationis respectu talium objectorum.

Confir. quia oculus non potest elevari ad videndum sonum, vel odorem: ergo multò minùs ad videndum Angelum, aut Deum, ant. non videtur posse negari, prob.conseq. Nam plus distant Angelus, & color, quàm color, & sapor, vel sonus, ista enim conveniunt in genere qualitatum materialium, illa verò distant etiam generibus substantiæ, & corporeitatis, ergo si oculus non possit ne supernaturaliter quidem videre sonum, vel odorem, multò minùs Angelum, aut rem aliam spiritualem.

Objicies 1. Oculus corporeus potest elevari ad videndum Deum, sed Deus est substantia spiritualissima, ergo sensus materialis potest attingere objectum spirituale. Prob. ant. ex Scriptura referente plures sanctos, qui in hac vita Deum viderunt, ut Moyses; [1] *vidi Dominum facie ad faciem*. Isaias; [2] *vidi Dominum sedentem*. Job.[3] *nunc oculus meus videt te... & in carne mea videbo Deum*, & S. Stephanus. [4] *Video cælos apertos, & Jesum stantem à dextris Dei*. Vidit igitur & ipsum Patrem simul cum Jesu, ergo &c.

Resp.neg.ant. & probationes ejus loquendo de visione Dei in sua substantia spirituali, & per oculos corporeos. Moyses, Isaias, & similes loquuntur de visione Dei in aliqua specie corporea, ut solebat Patriarchis apparere. Job loquitur de visione Dei in judicio, & post resurrectionem, & de oculo intellectuali. Idem est de Sancto Stephano, quando *vidit gloriam Dei, & ait ecce video*, &c.

Objic. 2. quælibet creatura est in potentia obedientiali ad quoslibet effectus, ergo & quælibet potentia ad quaslibet cognitiones, ergo & potentia materialis ad actus spirituales.

Resp. neg.ant. in illa generalitate, & in causis activis per modum causarum principalium, ut diximus in Physica.

Objicies 3. Intellectus tàm est improportionatus

[1] *Exodi* 12. [2] *Isa.* 6. [3] *Job* 17.
[4] *Act.* 3.

ad videndum Deum, quàm oculus ad videndum Angelum, sed ille potest supernaturaliter videre Deum; ergo & iste Angelum; prob. maj. plus distat Deus ab intellectu humano, quàm Angelus ab oculo, ergo, &c.

Resp. neg. maj. & dist. ant. prob. plus distat entitativè, seu in ratione entis, con. ant. in ratione objecti intelligibilis, neg. ant. Deus continetur sub ente, quod est objectum adæquatum intellectus, non autem Angelus ullo modo sub objecto sensus, seu oculi. Intellectus etiam naturaliter aliqua ratione attingit Deum, saltem abstractivè, & imperfectè, non verò oculus Angelum, nec rem ullam spiritualem.

Objicies 4. Potest oculus supernaturaliter videre lumen supernaturale, quale est in cœlo Empyreo, nam sic videbitur à Beatis post resurrectionem, ergo & Angelum: Prob. conseq. Angelus est ordinis naturalis, & lumen est supernaturale, ergo si oculus potest videre lumen illud, à fortiori videre poterit Angelum.

Respondeo neg. conseq. & dist. ant. prob. lumen supernaturale quoad modum quemdam est materiale in substantia con. ant. supernaturale, & spirituale, neg. ant. quale autem sit lumen in cœlo Beatorum, non est hujus loci decidere, puto illud esse materiale pro sensibus, & supernaturale quoad modum, non verò in substantia: sed de hoc aliàs.

CONCLUSIO II.

Sensus naturaliter non percipit nisi objecta præsentia, non implicat tamen sensatio rei absentis, non tamen ut absentis. Hæc conclusio tres habet partes, 1. est de facto, & secundum naturalem sensuum facultatem; 2. est de possibili in ordine ad potentiam obedientialem creaturæ ad Deum. 3. est de formali ratione cognoscendi rem absentem, & concluditur, quòd licèt divinitùs cognosceretur res absens, sensus tamen non perciperet absentiam ejus.

Prob. 1. ex Scoto, & Philosopho. [1] Sensus quia *non cognoscit objectum suum, nisi secundum aliquam dispositionem, quam habet, dum sentitur juxta illud* 1. Me-

[1] *4. d. 45. q. 3. G. n. 15. 7. met. q. 13. n. 25.*

1. Metaph. ab entibus sensibilibus à sensu non est palam, utrum sint, an non, Et alibi, *dici potest*, inquit, *quod sensus non est alicujus, nisi præsentis secundum naturam, & in existentia actuali, quod non est nisi singulare....Intellectus ergo est universalis per abstractionem ab hic, & nunc: sensus singularis concernendo hic, & nunc*, &c. ergo, ex Scoto, sensus non percipit naturaliter nisi præsentia.

Prob. 2. quoad 1. part. quia, ut diximus, objectum concurrit per se, aut per speciem à se immissam ad sensationem sui, ergo debet existere, & esse præsens per se, vel per speciem illam. Prob. conseq. quod enim non existit, non potest agere.

Confir. Quia si sensus percipere naturaliter possent res absentes, numquam possemus certò scire illas esse præsentes, quod absurdum est. Et certè sensus externi talis sunt naturæ, ut tendant in objecta, prout sunt hic, & nunc, & secundum conditiones materiales situs, distantiæ, figuræ, & quantitatis; ergo ut præsentia, vel repræsentata, ut præsentia, & in hoc differunt i. ab intellectu, qui fertur in res tàm præsentes, quàm absentes, tàm universales, quàm singulares, & à phantasia, quæ tendit in absentes, & præsentes, sed singulares.

Prob. 2. p. Quia sensus percipit objecta, ut plurimùm, mediante specie ab objecto impressa in ipso sensu effectivè, sed Deus posset eamdem speciem se solo imprimere in sensu absque concursu objecti, & illo absente, & tunc sensus posset tale objectum sentire: ergo non implicat sensatio de objecto absente. Prob. min. quia in nullo horum apparet manifesta implicantia; Deus enim potest supplere defectum cujuscumque causæ efficientis, & de se solo efficere, quidquid efficit cum creatura, sed objectum non concurrit nisi effectivè ad productionem speciei impressæ, qua mediante potentia elicit sensationem; ergo, &c. min. admittitur ab omnibus, & magis patebit infra.

Confir. Deus potest ponere in meo oculo speciem expressam, vel impressam Petri, & oculus tali specie informatus posset videre Petrum; ergo &c. Prob. min. nulla enim est hìc repugnantia.

Prob.2.pars Nam absentia est negatio,quę non cadit sub objectum potentiæ sensitivæ, ergo non potest ab ea percipi. Prob. ant. absentia est pura negatio, non est color, nec colorata, nec sonus, nec sonora, nec odor, nec odorifera; ergo non cadit sub ullum ex sensibus, seu sub objectum ullius sensus.

Objic.1. contra 1. p. Species soni durant post sonum editum, & sic sonus non existens potest audiri, ergo potest sensitiri objectum non existens. Prob. ant. videmus enim ictum, quo sonus factus est, cessasse, antequam audiatur, ergo species soni durant, & per eas auditur sonus, postquam cessavit.

Resp. neg.ant. & conseq. prob. & ratio patebit infra, ubi de auditu, & sono.

Objicies contra 2. p. vel sensibile ut præsens est objectum adæquatum sensus, vel sensibile abstra hens à præsentia, si est præsens, ergo ne divinitùs quidem poterit sentiri absens, quia divinitùs potentia non potest ferri extra objectum adæquatum, si abstrahit, ergo id fiet naturaliter, sicut ob eam rationem intellectus naturaliter cognoscit tàm absens, quàm præsens.

Respondeo ad dilemma,objectum adæquatum naturalis attingentiæ sensus externi esse præsens,ut præsens, attingentiæ verò supernaturalis esse objectum præsens, aut absens, non tamen ut absens. Vel absolutè neg.objectum ut præsens esse adæquatum objectum sensus externi, prout objectum adæquatum comprehendit naturalem, & supernaturalem attingentiam.

Inst. Mel absens non potest gustari,nec cibus absens nutrire etiam divinitùs, nec cymbalum non existens audiri, &c.ergo implicat objectum non existens sentiri.

Resp. dist.ant. Mel non existens, &c. in se, vel in specie; con.ant. in se realiter, neg. ant. idem est de aliis sensibilibus, sed non ita est de nutritione, quia illa fit per realem conversionem substantiæ alimenti in substantiam aliti, quæ non potest fieri per vicariam speciem, nec in imagine, ut sensationes: ex Scoto probabile est damnatos torqueri speciebus ignis, non verò actione reali ejus.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De speciebus sensibilibus, an, & quid sint, & qui earum effectus, & causæ.

NOmine specierum hic intelliguntur minimæ quædam entitates, per quas velut per imagines repræsentantur objecta, & per quas ipsa objecta concurrunt effectivè, & formaliter ad sensationes, vel intellectiones sui.

Dicuntur *intentionales*, vel quia per eas potentiæ intendunt in objecta, & illa respiciunt, vel quia sunt entitates adeò tenues, ut sint quasi immateriales, seu spirituales, in se vix percipiuntur, licèt per eas, ut dixi, percipiantur omnia. Dico, *quasi spirituales*, seu *immateriales*; nam illæ, quæ recipiuntur in sensibus, sunt absolutè materiales, & extensæ, quæ verò sunt in intellectu humano, sunt spirituales, ut dicetur.

Aliæ sunt *impressæ*, quæ ab objectis emittuntur, & imprimuntur potentiis, & cum illis concurrunt ad sensationes, vel cognitiones eliciendas; Aliæ *expressæ*, quæ ab ipsis sensibus efformantur mediantibus impressis, suntque ipsæmet formales sensationes, vel cognitiones, per quas potentiæ constituuntur formaliter sentientes, & cognoscentes. Unde sensus se habent merè passivè respectu speciei *impressæ*, respectu verò *expressæ* se habent activè, simul & passivè, quia illam producunt in se ipsis

Rursus species *impressa* alia est *externa*, quæ ab extra venit, sc. ab objectis immediatè, & r cipitur in sensibus externis; v. g. in oculo, aure, naso, ore, &c. & pendet omninò ab illis tàm in fieri, quàm in conservari, quippe objectis recedentibus illæ quoque recedunt. Alia *Interna*, quæ non venit ab objecto, saltem immediatè, sed vel ab ipsa specie, quia recipitur in sensu interno, & non venit immediatè ab objecto ut externo, sed vel ab ipsa specie expressa, vel ab ipso sensu interno, & agente producitur, de quo infra.

Interna species alia dicitur *sensata*, non quod per se sentiatur, sed quia repræsentat internè objectum tale, quale repræsentatum fuit in sensu externo; v.g.

[1] 1.*d* 3.q.6.1.*n*.14.*&* 18.

v. g. Lupus repræsentatur in phantasia secundum suam magnitudinem, formam, figuram, situm, &c. Alia *Insensata*, quæ repræsentat aliquid in re, quod non facit repræsentatum per sensationem externam, ut cum ovis apprehendit lupum ut inimicum, hæc enim inimicitia non cadit sub sensus externos. Alia *composita*, ut cum plures species sensatæ uniuntur in phantasia, & apprehenduntur ut quid unum, ut cum somnias montem aureum.

Denique species alia est *sensibilis*, & *materialis*, alia *intelligibilis*, & *spiritualis*, illa est in sensibus tàm externis, quàm internis, ista est in intellectu.

Agimus autem hìc præcipuè de speciebus *sensibilibus*, & *impressis*, & quærimus, an necessariæ sint ad omnes sensationes, tum naturam illarum pressiùs investigamus.

CONCLUSIO I.

Species sensibiles dantur, & necessariæ sunt pluribus sensibus etiam externis; non tamen omnibus. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] dicente, quod *species in sensu non repræsentat objectum sub ratione universalis;* & supponit totaliter produci ab objecto. Cur autem sit necessaria, non ideo; inquit, quia potentia est organica, sed *quia est cognoscitiva, & natura dedit sibi, ut possit habere objectum prius naturaliter sibi præsens...& illud est sufficienter præsens, quando species est in illa parte corporis;* ergo species est necessaria potentiæ organicæ, seu sensibus, ut objectum fiat illis sufficienter præsens in ordine ad causandam in illis, & cum illis sui cognitionem; ergo in illis sensibus necessaria est species, quibus aliter objectum nequit esse sufficienter præsens ad sui cognitionem, unde si dentur aliqui sensus, quibus objectum possit esse per se ipsum præsens sine vicaria specie, tunc ista non erit illi necessaria, & sic habes totam conclusionem ex Scoto.

Prob. 2. de sensibus internis. Nam objecta non sunt illis immediatè, & per se præsentia, & experientia patet

[1] *1. d. 3. q. 6. n. 15. & 18.*

patet; quòd etiam ab his sensibus percipiuntur etiam longè absentia, & præterita, ut in somniis, ergo in his dantur, & necessariæ sunt species.

Prob. 3. de sensibus externis, species sunt necessariæ visui, & auditui, & odoratui, ergo pluribus sensibus, Prob. ant. de *visu*, 1. quia certum est oculum debere determinari per aliquid ad videndum unum præ alio, nempe per ipsum objectum immediatè, aut per aliquid aliud loco ejus, sed hoc non potest fieri per ipsummet objectum; ergo per speciem ejus vicariam. Prob. min. ipsummet objectum non applicatum supra oculum in sua substantia impediret visionem: ideo debet aliqualiter distare ab illo; ergo debet illi esse præsens per speciem.

Confir. experientia de ipso oculo, qui videt se ipsum in alio oculo, vel in speculo, ergo dantur hujusmodi species, & necessariæ sunt ad videnda hujusmodi objecta.

Prob. 2. idem ant. de auditu, & odoratu, nam auditur sonus, & sentitur odor in magna distantia corporis sonori, & odoriferi; ergo ad id necessariæ sunt, & concurrunt species soni, & odoris.

Prob. 2. pars. Quod sc. non sint necessariæ omnibus sensibus, quia illæ rationes non valent pro tactu, & gustu, quibus objecta immediatè, & per se applicantur, ut potentias determinent ad sui sensationem.

Objicies 1. ex Aristotele, [1] negante species esse ab actibus sensationum distinctas, additque eumdem esse actum rei sensibilis, & sensus; ergo non dantur species istæ saltem pro sensibus externis.

Respondeo, nego consequentiam, nam Aristoteles in 1. loco non loquitur de speciebus impressis, sed de expressis, quæ non distinguuntur à sensationibus, ut patet ex prænotatis.

Objicies 2. Si darentur tales species, deberent priùs videri ab ipso oculo v. g. quàm facere, ut videat colorem, sed non sic videntur, ergo non dantur. Prob. maj. Ignotum non potest cognosci per ignotum, sed species essent ignotæ, nisi priùs viderentur; ergo deberent priùs videri. Prob. maj. experientia de imagine, quæ priùs videtur in se, quàm faciat cognosci rem per illam repræsentatam.

P 5 Resp.

[1] *L. de sensu. c. 2. & 2. de An. t. 141.*

Respondeo, neg.1. maj. & dist. 2. per ignotum tanquam per medium *quod*, conc.maj. tanquam per medium *quo*, neg. maj. & conseq. prob. Nam imago est medium *quod* cognitionis Cæsaris, & ideo debet priùs in se cognosci, quàm faciat cognoscere Cæsarem; idem est de speculo, sed medium *quo* est pura formalitas, & ratio cognoscendi aliquid, & istud non debet priùs cognosci, alioqui daretur processus in infinitum; species autem sunt medium *quo*.

Objicies 3. species tàm essent necessariæ tactui, & gustui, quàm aliis sensibus, ergo vel nullis sunt necessariæ, vel sunt omnibus. Prob. ant. Ideo sunt necessariæ, ut determinent potentias ad perceptionem unius objecti præ alio, & propterea objecta illa debent intimè uniri potentiis per se, vel per species, sed objecta per se non possunt intimè, & sufficienter uniri sensibus tactus, & gustus magis, quàm aliis: ergo species sunt æquè illis necessariæ. Prob.min. Objecta in se sunt minùs materialia pro sensibus, & sensationibus, quæ sunt subtiliores, & magis depuratæ, ergo, &c.

Resp.neg.ant.1.& min.2. & ant.3. argumenti; nam objectum non debet intimiùs uniri his sensibus, quàm per contiguitatem, & materialitas non impedit istam unionem, quantùm sufficit ad causandum cum sensibus proprias sensationes, ut patet experientia, non ita est de aliis, maximè de visu.

CONCLUSIO II.

Species non sunt corpuscula substantialia, nec entitates ejusdem rationis, & naturæ cum objectis, sed puræ qualitates de prima, vel tertia specie.

*Prob.*1. *ex Scoto*, [1] qui de lumine, quod est species visibilis lucis, sic discurrit: *Dico, quòd lumen non est substantia completa, hoc est per se subsistens, nec etiam est forma substantialis, nec aliquid pertinens ad genus substantiæ, nec est verissimile, quod ad aliud genus pertineat, præterquam ad genus qualitatis, & si non esset intentio, tunc positum supra sensum prohiberet sensum.* Alibi dicit, quòd *species sensibilis non est ejusdem* (naturæ) *cum objecto ipso*, ergo ex Scoto vera est tota conclusio.

Prob.

[1] 2.d.13.q.*un*.B.n.3.

Prob. 2.1.*p.* [1] quod non sint de genere substantiæ, quia essent simul plura corpora compenetrata naturaliter in eodem loco, sed conseq. est absurdum; ergo & ant. prob.maj. in eadem parte aeris medii possunt esse plures species, v. g. nigredinis, albedinis, & aliorum objectorum; ergo si species essent corpuscula, vel aliæ substantiæ corporeæ, possent esse plura corpora compenetrata in eodem loco simul, & naturaliter. Quod maximè verum est de sensibus internis, in quibus conservantur plurimæ species diversorum objectorum.

Prob. 2 *p.* eadem ratione, quia contraria in summo non possunt esse simul in eodem subjecto, sed id contingeret, si species essent ejusdem naturæ cum objectis, à quibus emittuntur, aut quæ repræsentant; ergo non sunt ejusdem naturæ. Prob. min. species summi caloris, & summi frigoris, & summæ albedinis, & summæ nigredinis possunt esse in eadem parte aeris, aut in eodem sensu, saltem interno, ergo si species essent ejusdem naturæ cum objectis, plura contraria in summo possent esse simul naturaliter.

Prob. 2. quia si species nigredinis esset nigredo, quamdiu illa esset in oculo, omnia apparerent nigra, sed conseq. est falsum, & contra experientiam: ergo & ant. prob.maj. Si oculus inficiatur aliquo reali humore, videt omnia ejusdem coloris, ergo si species unius coloris esset color, v.g. nigredo, omnia viderentur nigra.

Prob. 3. Sic color produceret colorem, & nigrum prope album illud nigraret, & vicissim albaretur ab illo, & sic contraria juxta se posita non magis elucescerent, imò minùs apparerent, quod est contra experientiam, ergo color non causat colorem verum in oculo, sed speciem coloris.

Prob. 3.*pars*. Si non sint de genere substantiæ, non sunt etiam de genere quantitatis, quia hæc non separatur à substantia naturaliter. Præterea videntur esse quasi penetrativè tàm in medio, quàm in sensu; ergo restat, quod sint qualitates, & quidem de 1. specie, quæ *est habitus*, & *dispositio*, aut de 3. quæ est *passio*, & *patibilis qualitas*.

Objicies; species repræsentant objecta, & sunt

 illo-

[1] 4.*d*.44.*q*.3.*A*.*n*.2.

illorum imagines, & simulacra: sed imago, & imaginatum sunt ejusdem naturæ; ergo & species, & objecta; prob. min. imaginatum, & imago sunt similia, sed similitudo non est inter diversa, ergo imago, & objectum non sunt diversæ naturæ.

Respondeo dist. min. & maj. prob. sunt ejusdem naturæ intentionaliter, & repræsentativè; conc. Physicè, & in entitate, ac natura, neg. est igitur inter objectum, & speciem similitudo non Physica, & entitativa, sed intentionalis, & repræsentativa, & adæquata secundum proportionem repræsentantis ad repræsentatum, ut loquitur Doctor. [1]

Objicies 2. Lumen objecti, & medii sunt ejusdem rationis, sed lumen medii est species luminis objecti; ergo species, & objectum sunt ejusdem rationis.

Resp. neg. maj. Nam lumen est species lucis, non autem objecti, nec corporis luminosi, ut dicemus infra.

CONCLUSIO III.

Species impressa non facit unum per se, nec idem cum potentia, in qua imprimitur.

Prob. 1. ex Scoto mox citato: ibi enim docet species non esse de genere substantiæ, sed qualitatis, nam substantia, & accidens non faciunt unum per se, nec possunt identificari, sed potentia est realiter, & identicè substantia, & species sunt accidentia de genere qualitatis, ergo non faciunt unum per se, nec identificantur cum potentia. Prob. min. ex dictis de identitate potentiarum cum anima.

Dices, eas non facere unum, nec identificari, prout sunt qualitates, & accidentia, sed pro ut sunt repræsentativæ, quia sic faciunt cum potentia unum per se principium sensationis.

Contra. sub illa ratione repræsentativi non cessant esse accidentia, id facit solum, ut sint talia accidentia, ergo sub illa ratione non faciunt unum per se, nec idem cum potentia; prob. ant. ut repræsentativæ, & ut principium *quo* sensationis, pendent à potentia, ut à subjecto inhæsionis, ergo secundum omnem rationem sunt accidentia.

Objicies ad rationem speciei, seu repræsentativi, & principii *quo* sensationum, nihil refert, quod sit sub-

[1] *2.d.3.q.9.1.n.12.*

substantia, vel accidens, quod inhæreat, vel informet potentiam, vel ipsi uniatur per modum sustentantis, aut subjecti, aut formæ: ergo ut talis debet sic uniri potentiæ, ut cum illa faciat unum per se principium sensationis. prob. ant. species intelligibilis in Deo, & in Angelis est substantia, est ipse Deus, qui non est capax accidentis: ergo de ratione speciei non est esse accidens, vel substantia. Prob. ant. Deus, & Angelus intelligunt se per seipsos, ergo, quod in illis habet rationem speciei impressæ, est substantia.

Resp. 1. neg. ant. & conf. prob. Nam essentiale est speciei, ut talis, quod sit accidens, & falsò supponitur Deum, & Angelos habere rationem specierum intelligibilium in cognitione sui, habent enim solùm rationem objecti determinantis intellectum. Hoc ad Theologos.

Resp. 2. gratis dato ant. neg. conf. nam quæ semel distinguuntur, numquam possunt identificari.

Inst. Species non potest determinare per modum speciei, nisi inhæreat, aut informet, aut identificetur potentiæ: ergo si species non inhæreat, nec informet, debet identificari.

Resp. neg. ant. Si enim non potest inhærere, ut fortè potest, nec informare, quod non potest, quia non est forma substantialis non sequitur, quod debeat identificari, quia nec id potest, sufficit, quod possit determinare per modum speciei, & id potest sine informatione, & identificatione, & fortè absque inhæsione.

CONCLUSIO IV.

Omnis species non est formalis similitudo objecti, sed tantùm virtualis, seu imago repræsentativa efficiens, & concurrens effectivè cum potentia ad productionem similitudinis formalis expressæ. Est communior contra Thomistas.

Per *similitudinem formalem* intelligitur ipsa sensatio, vel cognitio intellectualis, seu species expressa objecti, per quam potentia constituitur actualiter cognoscens: per *virtualem* verò intelligitur illa similitudo, per quam potentia non redditur formaliter, & in actu secundo cognoscens, aut sentiens, sed tan-

tùm in actu primo, quatenùs illa mediante velut principio *quo* potest elicere cognitionem, seu sensationem, producendo similitudinem illam expressam. Etenim species impressa potest quidem dici *formalis*, quatenus est ratio, seu medium *quo* elicitur sensatio, ad differentiam medii *quod*, & in hoc sensu ipsamet actio productiva speciei expressę dici etiam posset *medium formale*, & *quo*, respectu potentiæ: species verò impressa venit ex parte objecti, sed respectu talis actus hæc dici debet similitudo *virtualis* potiùs quàm *formalis*, quia est comprincipium ejus activum, & per sui receptionem in potentia constituit illam in actu primo cognoscitivam, & objectum cognoscibile, cognitio verò, seu *species expressa* pertinet ad actum secundum. Alia est etiam similitudo, quæ dicitur *objectiva*, estque imago alicujus rei, quæ priùs in se visa, & cognita ducit in cognitionem prototypi, ut imago Ducis in tabella. Hæc non convenit speciei impressæ, quia non est.

Prob. 1. conclusio ex Scoto, [1] cui cùm objiceretur, quod ratio intelligendi est similitudo intelligibilis, respondet *non est similitudo formalis, sed vel illa, vel aliud simile antonomasticè*, ergo ex Scoto non omnis species impressa est formalis similitudo, sed sufficit virtualis, & alibi docet, [2] quòd,

Aliquid esse medium cognoscendi potest intelligi dupliciter, uno modo, quod sit medium cognitum, sic quod per ipsum cognitum cognoscatur aliud, sicut cognoscitur conclusio per principium, alio modo, quod non sit medium cognitum, sed tantum ratio cognoscendi, sicut species sensibilis in sensu est ratio sentiendi, ergo cùm species ut cognita, aut visa in se faciat cognosci objectum, tunc dici potest *similitudo formalis*, quia habet in se cognoscibilitatem, seu similitudinem formalem objecti, secundum quam istud cognoscitur per illam: cùm verò ipsa species in se non debeat videri, non est *similitudo formalis*, sed solùm *virtualis*, quatenus concurrit, non per sui exhibitionem, sed per concursum activum ad productionem speciei expressæ, quæ est *similitudo formalis*, per quam potentia informatur, & fit similis objecto. Item clarè docet, quòd,

[1] *1. d. 35. fin.*
[2] *quodl. 14. HH. n. 26.*

[1] quòd, *imago uno modo accipitur pro similitudine præcisè imitante, seu repræsentante, quia non repræsentat ut cognita, sed præcisè ut ratio cognoscendi: alio modo imago accipitur pro imitante aliquid aliud à se, & repræsentat ut cognitum*, 1. *modo species albi in oculo est imago*. 2. *modo statua Herculis est imago ejus*. ergo species non debet prius videri in se, ut videatur objectum, & sic non habet necessariò rationem similitudinis *formalis*, sed *effectivæ*, seu *virtualis*.

Prob. 2. ad rationem speciei impressæ requiritur, & sufficit, quòd imprimatur in potentia, & illam determinet ad visionem objecti, sed ad hoc sufficit, quod sit similitudo ejus *virtualis*, ergo omnis species impressa non est repræsentatio *formalis*. Prob. min. sufficit, quod possit concurrere Physicè, & effectivè cum potentia visiva ad visionem. Sed ut possit sic concurrere sufficit similitudo virtualis, ergo, &c.

Dixi autem, *non omnis species*, &c. quia non nego, imò existimo, plures esse species, quæ sint formaliter similes, ut patet de coloribus, qui reflexè videntur in pariete, vel in aqua, non quidem ut reales, sed ut intentionales: ut docet Doctor, [2] *species sunt visibiles, quando terminantur ad opaca*, ut patet de radio transeunte per vitrum coloratum, apparet color in pariete, ubi terminatur radius ille, & videtur coloratus sicut vitrum. Certè videntur species colorum, & apparent similes coloribus: ergo habent similitudinem formalem cum objectis.

Objicies 1. Arist. [3] speciem impressam comparat figuræ sigilli impressæ in cera per anulum, ubi videtur effigies sigilli, non verò ipsum sigillum, ergo ex Phil. species in se videntur, & sunt formales similitudines objectorum.

Resp. neg. conf. Nam Aristotelis comparatio consistit in similitudine quoad repræsentationem, non quoad esse, & concludit de aliquibus, non de omnibus.

Objicies 2. quod est per se 1. institutum ad repræsentandum, repræsentat formaliter, sed tales sunt species, ergo repræsentant formaliter objecta, maj. prob. Primum prædicatum, quod convenit alicui, debet illi inesse formaliter, sed id, ad quod aliquid est primo

[1] 2. d. 3. q. 9. N. n. 15. [2] *ibid. d.* 13. *n.* 5.
[3] 2. *de An.* 121.

primo institutum est primum prædicatum ejus, ergo, &c.

Respondeo dist. min. esse repræsentativum *virtualiter*, est primum prædicatum speciei, conc. min. esse repræsentativum *formaliter* neg. min. & conf. Species primo destinatur ad repræsentandum virtualiter objectum, & ideo tale prædicatum convenit illi formaliter, non autem destinatur primariò ad repræsentandum formaliter, & sic istud prædicatum non competit illi formaliter.

Inst. In creatis productio verbi, quod est species expressa, est quædam generatio vitalis secundum quid, & in esse intentionali, cujus principium est potentia simul cum specie impressa, sed in omni generatione vitali genitum, & principium ejus sunt ejusdem naturæ, ergo species expressa, & impressa sunt ejusdem naturæ in esse intentionali, sed species expressa est formaliter repræsentativa objecti, ergo & impressa. Prob. maj. Nam generatio viventium *est viventis à vivente in similitudinem naturæ*, & ideò Verbum Divinum est verè filius, & ejus productio vera generatio.

Resp. dist. maj. Principium partiale vicarium, & minùs principale, & velut semen, est species, conc. maj. & neg. min. Principium principale, neg. maj. quoad illam partem, & conf. Principale principium verbi creati est potentia cum objecto, quod est principale determinativum, ideo illud verbum debet esse, & est de facto simile intentionaliter, repræsentativè, & formaliter objecto, species verò impressa se habet in ea generatione, ut semen ab objecto emissum, quod gerit ejus vices. Filius autem non dicitur similis semini, sed patri, qui est principale agens. *Species se habet instar seminis; & verbum ad instar prolis.* Inquit S. Augustinus. [1]

Objicies 3. Similitudo fundatur in unitate naturæ, sed objectum, & species sunt similia, ergo sunt unius naturæ. Prob. maj. *illa sunt similia, quorum substantia est una*, inquit Phil.

Resp. dist. maj Similitudo in natura, conc. maj. & neg. min. similitudo in repræsentando, neg. maj. & conf. & idem dico ad prob. Objectum, & species non hi-

[1] 1. de Trinit. 2

habent aliam similitudinem, quam repræsentationis, quatenus illud se exhibet, & repræsentat per istam. Non negamus, quin plures species possint repræsentare formaliter objecta, sed id non est de ratione speciei impressæ, sed sufficit, ut cum potentia concurrat effectivè ad cognitionem objecti, ut mox patebit.

CONCLUSIO V.

Species impressæ concurrunt activè cum potentia.

Prob.1. ex Scoto, [1] & S. Augustino, [2] tenendum est, *quòd omnis res, quam cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui, ab utroque enim pariter notitia, à cognoscente scilicet, & cognito*, ergo S. Augustinus *intendit tribuere aliquam causalitatem objecto*, inquit Scotus, quod probat, quia si intellectus esset totalis causa suæ intellectionis, sine concursu objecti, *cùm sit causa naturalis, semper esset in eo actualis cognitio, cujus ipse est causa de se*, &c. Sed objectum per se ipsum non potest efficere cognitionem in intellectu, nec visionem in oculo, cùm sit distans, ergo agit per speciem sui vicariam, & repræsentativam, & ad id facit, quod dicebamus ex eodem, quòd *species sit velut semen*, nam semen est activum.

Prob.2. ratione Scoti. Nuda potentia non est principium sufficiens ad productionem visionis. (Idem est de intellectu respectu actus intellectionis,) requiritur concursus objecti, sed objectum per se immediatè non potest concurrere ad illos actus, quia sæpe est distans, aut absens, maximè respectu phantasiæ, & intellectus, ergo agit per suas species, ergo species activè concurrunt ad actus sensationis, & intellectionis, vice objecti.

Prob.3. Omnis forma agentis, cui per se assimilatur effectus, concurrit activè ad illum, ut principium ejus, sed species expressa assimilatur speciei impressæ, ergo hæc concurrit ad illam activè.

Prob.4. pro sensibus externis 1. ex eodem Augustino, [3] *visionis, quæ fit in sensu cernentis, quasi parens est species corporis*, &c. Sed parens concurrit activè ad generationem prolis, ergo & species ad sensationem. 2. si objectū per se solum, non verò per speciem causaret visio-

[1] *1.d.3.q.7.A.n.4.* [2] *9. de Trin.c.ult.*
[3] *De Trin.c.5.*

visionem, id faceret vel per vacuum inane, vel per medium opacum, sed cons. est falsum, ergo & ant. Prob. maj. Causa, quæ agit in distans non producendo idem in medio, non impeditur à medio, quin effectum producat in distans: v. g. sol, qui agit in aere, illuminans illum, & in visceribus terræ generans metalla, non impeditur ab illuminatione aeris, ne generet metalla, sed objectum causaret visionem in oculo per suam immediatam actionem, quam non causaret in medio, ergo non impediretur à medio vacuo, vel opaco ab ista causalitate. 3. visio intenditur, & fit perfectior, si species intendantur, ergo visio pendet effective à specie, non à solo objecto immediatè, quia illud non intenditur, nec remittitur, ergo, &c.

Objicies 1. ex Scoto, [1] *Receptum in medio*, scilicet species producta à colore, *nō est causa recepti in termino*, idest, *species sensibilis* in medio non est causa visionis receptæ in organo: ergo ex Scoto species impressæ non causant activè sensationem.

Resp. neg. ant. Nam verum est, quòd species coloris producta in aere non causat visionem in oculo, in quo non est, sed id facit objectum per speciem, quam producit in oculo per propagationem, nam objectum est natum gignere & speciem, & visionem, *sicut duos effectus ordinatos, unde species visibilis, & visio sunt effectus ordinati ejusdem objecti, ita quòd species priùs est nata gigni, quàm visio, sicut actus primus, quàm secundus*, ergo ex Scoto species impressa se habet ad expressam, ut actus primus ad secundum, ergo per aliquā efficientiam, quod si considerassent Lichetus, & Mastrius, non dubitassent ex hoc loco de mente Doctoris. Præterea, licèt ibi videretur Scotus inclinare in partem contrariam, tamen pro nobis stat in multis aliis, ut iste fatetur.

Objic. 2. [2] Cognitio sensuum externorum est intuitiva, ergo immediatè producitur ab objecto, ut præsenti, non autem per speciem. Nam cognitio per speciem est abstractiva, ergo cognitio intuitiva pendet à solo objecto.

Resp. neg. cons. & dist. ant. prob. Cognitio per speciem relictam ab objecto absente, aut non conservante illam per suam realem præsentiam, conc. ant. per

[1] 2.d.9.q.2.C.n.17. [2] Hic Disp.4.n.107.

per speciem productam, & conservatam ab objecto, ut præsente, neg. ant. Alioqui visio numquam esset intuitiva, quia color numquam illam causat sine concursu speciei, aut species esset superflua.

CONCLUSIO VI.

Causa materialis, seu subjectum proprium, in quo recipiuntur species, & ex quo educuntur, non est materia prima, nec anima sola, vel Spiritus animales soli, sed ipsa potentia, per quam eliciuntur operationes.

Prob. 1. ex Scoto, [1] dicente, quòd *sensus habet objectum præsens in illa parte corporis, quæ dicitur organum illius sensus, sed intellectus* (qui non est potentia organica) *tàm illam præsentiam priorem actu, quàm ipsum actum habet ratione ipsius receptivi*, &c. ergo ex Scoto, species sensibiles recipiuntur in organis sensuum, & intelligibiles in potentia intellectiva, non autem in materia prima sola, vel in anima, aut solis spiritibus.

Prob. 2. Ibi debent recipi species, ubi debent operari, sed debent operari sensationes in organo sensus, non autem in sola materia, nec in sola anima, nec in solis spiritibus, ergo debent recipi in potentia organica. Prob. min. Concurrunt cum sensibus partialiter, & effectivè ad sensationes, sed ad hoc nec sola materia, nec sola anima, nec soli spiritus, sed totum organum concurrit indivisim, ergo species ibi debent recipi.

Dixi, *in materia sola, nec in anima sola, nec in solis spiritibus*, nec enim dubium est, quin recipiantur in illis sensibus, ut materialibus, & animatis, & in spiritibus, per quos deferuntur ab externis sensibus ad internos, sed hi spiritus sunt quidem immediata subjecta, non tamen ultimata, quia sensationes non manant ab ipsis, sed à sensibus, & ideo species debent esse ultimatè in sensibus, cum quibus debent operari.

Non negamus etiam, quin species recipiantur in mediis proportionatis: Nam experientia docet, quòd species visibiles recipiuntur in aere, in aqua, in speculo, & ita est de speciebus soni, & odorum, sed conclusio procedit de subjectis specierum, in quibus debent operari sensationes.

QUÆ-

[1] *1. d. 3. q. 6. M. n. 18.*

QUÆSTIO VI.

De Causis efficientibus specierum.

AD sensationes igitur concurrunt sensus, & obje-cta, & hæc per se, aut per species, quæritur, an istę producantur ab ipso sensu, qui dicitur agens, sicut species intelligibiles dicuntur produci ab intellectu agente, qui, dum convertitur ad phantasmata, efformat sibi illorum imagines, per quas deinde elicit suas intellectiones? Unde sensus, sicut & intellectus, dici potest agens, & patiens sub duplici respectu. 1. respectu speciei expressæ, seu sensationis suæ, quam elicit, & producit in se, nam quatenùs oculus producit visionem, dicitur *agens*, & quatenus eandem in se recipit dicitur *patiens*. 2. respectu speciei impressæ; nam, pro ut hæc illi imprimitur, dicitur *patiens*; si verè non imprimatur illi ab objecto, sed si eam ipsemet formet sibi, & eruat ab objecto, sub hoc respectu dicitur sensus *agens*, sicut sub tali respectu intellectus dicitur *agens*; Quæritur, an ita sit de sensibus externis.

CONCLUSIO I.

Species impressæ producuntur immediatè à solo objecto, non autem ab ullo sensu agente.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet objectum gignere species. *Visibile*, inquit, *est natum gignere speciem, & visionem, sicut duos effectus ordinatos*, &c. Et numquam tribuit illius productionem sensibus, vel organis, sed solam ejus receptionem. *Species*, [2] inquit, *quæ dicitur communiter species, recipitur in parte organi, quæ est corpus*, & lumen, [3] quod est species visibilis lucis, *immediatè gignitur ab ipsa luce, & etiam immediatè est species sensibilis ipsius lucis.*

Prob. 2. Objectum per se solum aptum est producere illas species, ergo ita producit, quia non sunt multiplicandæ causæ sine necessitate, & quod potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura. Prob. ant. Objectum

[1] 2.d.9.q.2.C.n.17. [2] 1.d.3.q.7.O.n.22.
[3] 2.d.13.E.n.6.

jectum se solo producit species sui in medio, v.g. in aere, in speculo, &c. ergo & in sensu, non enim major est ratio de medio, quàm de sensu.

Prob.3. Si necessarius esset concursus sensus agentis, maximè propter perfectionem speciei, quæ est altioris ordinis, quàm objecta, sed hæc ratio nulla est pro sensibus, & speciebus eorum, ergo nulla est. Prob. min. Nam species sensuum externorum sunt materiales æquè, ac objecta, ergo non sunt perfectiores.

Objic. Species est immaterialis, & subtilior objecto, & quasi spiritualis, & ideo perfectior, sed perfectius non potest produci ab imperfectiori, ergo nec species ab objecto.

Resp. neg. ant. de immaterialitate, quæ reddat species perfectiores.

Inst. Sunt instrumenta operationum vitalium, ergo perfectioris, & altioris ordinis, quàm objecta, quæ sunt absolutè non viventia.

Resp. neg. cons. Illa enim vitalitas est illis prorsus extrinseca, & ipsa objecta, quæ per se sentiuntur sine speciebus, hanc prærogativam participant.

CONCLUSIO II.

S*ensibilia omnia propria causant proprias species, quoad communia verò probabilius est, ea non sentiri primariò per species sibi proprias, quatenùs sunt communia, sed per species sensibilium propriorum*. Est communior inter Scotistas.

Repete, quæ diximus ab initio disputationis de sensibili proprio, & communi, illud scilicet descripsimus, *Quod ab unico sensu est perceptibile*, istud verò, *quod à pluribus*, & tales sunt, *motus*, *quies*, *numerus*, *figura*, & *magnitudo*, quibus adde alia particularia, ut sunt *distantia*, *situs*, *discretio*, *asperitas*, *lenitas*, *curvitas*, *rectitudo*, &c. de illis quinque communioribus procedit resolutio.

Porrò de sensibilibus propriis singulorum sensuum non est difficultas, singula enim per se sentiuntur à singulis sensibus, quorum sunt objecta, ergo singula causant suas species. Tota controversia est de communibus.

Prob. 1. 2. pars, ex Scoto. [1] Licèt judicetur à Scotistis

[1] *4.d.12.q.3.CC.n.37.*

tistis problematicus dicit enim, quod *quantitas sine qualitate non sentiretur, quia, vel nullam actionem habet in sensum secundum aliquos imprimendo speciem propriam, sed sola sensibilia propria hoc faciunt, sensibilia verò communia solùm faciunt ad modum immutandi sensum, vel si cum sensibili proprio sensibile commune causet propriam speciem* (alioqui quomodo propriè sentiretur) *non tamen potest istam causare sine sensibili proprio concomitante, & non priùs agendo in sensum. Et sic in quantum hujusmodi non est separabile à sensibili proprio, & forte ratio est, quia sensus est primo potentia receptiva sui proprii objecti*, & ideo à nullo alio potest *recipere actum alium, nisi prius naturaliter sit in isto actu*, scilicet, circa proprium sensibile, ergo, licèt non loquatur resolutivè, tamen propendet in nostram sententiam. Et alibi dicit, [1] quòd, *Sensibile commune non facit propriam speciem in sensu, per quam facit ad substantiam immutationis, sicut sensibile proprium, sed tantùm facit ad differentiam immutationis, & ideò non sentitur numerus, nec ejus unitas, nisi mediantibus qualitatibus sensibilibus*, &c. Hìc loquitur magis positivè.

Prob. 2. ratione. Nam numerus, motus, quies, figura, magnitudo non possunt causare speciem propriam secundum id, quod important formaliter, ergo sensibile commune, ut tale, non causat propriam speciem. Prob. ant. 1. de numero, qui formaliter nihil addit supra sensibilia propria, nisi discretionem, seu negationem continuitatis, sed negationes non causant per se species, ergo numerus secundum id, quod formaliter importat, non causat per se speciem. Idem est de motu. Nam, ut talis, non importat supra sensibile proprium, seu supra subjectum, nisi relationem, sed relatio non est per se sensibilis, nec causativa speciei, ergo motus secundum id, quod importat formaliter, non causat per se propriam speciem. Idem est de quiete. Nam hæc importat formaliter aut privationem motus, aut permanentiam in loco, si primum, consistit in negativo, si 2. consistit in relatione, & neutra est per se sensibilis. Idem est de figura, quæ non dicit supra partes nisi ordinem talem illarum inter se, aut ad locum, & per conse-

quens

[1] *De An. q. 22. n. 7. §. ad 1.*

quens relationes puras. Quod autem relationes per se non causent species, patet, quia species sunt entia positiva, & absoluta, ergo non possunt causari à relationibus.

Prob. de magnitudine. Si hæc causat proprias species in omnibus sensibus, per quos percipitur, vel sunt eædem, & communes omnibus, vel particulares singulis: v. g. unam pro visu differentem ab ea, quam causat pro tactu, sed neutrum dici potest, ergo non causat ullam. Prob. 1. non eandem, quia singuli sensus debent moveri per proprias species, visus enim non movetur per species soni, nec auditus per species coloris, vel lucis, ergo non sufficit, quòd magnitudo causet unam speciem communem pro omnibus sensibus. 2. nec etiam causat plures proprias singulis, quia quodlibet sensibile habet determinatam entitatem, ergo & speciem.

Prob. denique. Quia nulla est necessitas asserendi illas species communes, ut patebit solutione objectionum.

Objic. 1. Nostra opinio non salvat, quomodo propria species, v. g. visus poterit repræsentare sensibile commune: v. g. magnitudinem, & figuram; erit enim simul communis, & propria, si enim per eam repræsentatur figura, & magnitudo, æquè immutabit tactum, ac visum, ergo debet admitti species communis præter propriam.

Resp. neg. ant. Nam species sensibilis propria per se repræsentat suum objectum secundum omnes affectiones suas perceptibiles, tàm proprias, quàm communes, quæ illud comitantur: v. g. pomum, tàm secundum colorem, quàm secundum rotunditatem, longitudinem, & magnitudinem, quæ ab illo sensu percipi possunt, & per illam, quam immittit in oculum, non posset percipi à tactu.

Objic. 2. Sensibile commune est per se sensibile, ergo habet causas in se, ut sentiatur, sed illæ causæ sunt propriæ species, ergo habet proprias species.

Resp. dist. ant. Est per se sensibile secundariò, & cum alio, conc. ant. primariò, & sine alio, neg. ant. & ult. conseq. Nam est quidem per se sensibile secundario, & simul cum sensibili proprio, quod solum per se, & se solo, est causativum speciei, sed non aliter.

Inst.

Inst. Omnis species nata est repræsentare objectum, à quo est, & non aliud, ergò si solus color pomi causat speciem, ille solus repræsentatur, & videtur, non verò quantitas, seu figura, aut magnitudo.

Resp. dist. ant. Objectum cum suis affectionibus, & comitantibus naturalibus, conc. ant. Objectum præcisè, & solitariè, neg. ant. & cons. Color pomi emittit speciem, quæ primariò, & per se repræsentat colorem, v. g. albedinem, aut ruborem, & concomitanter alias affectiones sensibiles, v. g. figuram, & magnitudinem.

Inst. 2. Species propria coloris pomi non repræsentat odorem ejus, nec dulcedinem, ergo nec figuram, aut quantitatem. Ant. patet experientia. Visus enim non percipit odores, & sapores. Prob. cons. Plus differt quantitas à colore, quàm odor, vel sapor, quantitas enim, & color sunt res diversorum prædicamentorum, ergo, si species unius qualitatis non repræsentat aliam, multò minùs repræsentabit quantitatem, v. g. magnitudinem.

Resp. neg. cons. & dist. ant. prob. Plus differt in entitate, & in esse rei, conc. ant. in sensibilitate, neg. ant. Nam odor, & color diversissimam habent sensibilitatem, diversos respiciunt sensus, non ita est de quantitate, & colore, ut docet experientia.

Inst. Sensibile commune differt à sensibili per accidens, quia istud non habet proprias species, per quas sentiatur, ergo commune debet habere proprias species, non enim potest afferri alia eorum differentia.

Resp. neg. cons. & rationem ejus. Nam commune potest sentiri per se, mediante specie sensibilis proprii, per quam repræsentantur affectiones ejus communes, quæ illud concomitantur, v. g. in pomo, species propria coloris repræsentat concomitanter affectiones alias communes.

Objic. 3. Species sensibilis communis potest movere sine propria, & sensibile commune videri non viso proprio, ergo commune habet propriam speciem. Prob. ant. Pomum à longè videri potest secundum magnitudinem, & figuram, non viso colore ejus; Idem est, si pomum esset calidum in gradu æquali cum manu tua, non percipis calorem ejus, donec fiat inæqualis cum calore manus, & tamen percipies quan-

quantitatem, & figuram, quæ sunt sensibilia communia. Ita est de corpore in obscuritate, cujus vides magnitudinem, non colores, & sic de aliis multis experientiis, ergo tunc illa sensibilia non emittunt, nisi species communis sensibilitatis.

Resp. neg. utrumque ant. Nam licèt in illis casibus non videantur colores, nec percipiatur color distinctè propter distantiam, vel defectum luminis, vel propter æqualitatem qualitatis tangibilis, percipiuntur tamen confusè, & imperfectè, perciperetur etiam per tactum durities, aut mollities, quæ sunt sensibilia propria, & per concomitantiam perciperentur alia communia.

CONCLUSIO III.

Species impressa sensuum internorum, qua percipiuntur objecta externa, causatur immediatè per sensationes sensuum externorum.

Prob.1. ex Scoto docente, speciem, quæ est in memoria sensitiva causari quidem mediatè, & remotè ab objecto, sed immediatè, & proximè ab actu humano, qui est objectum proximum, *cùm oporteat potentiam recordativam habere speciem, & non possit ista species imprimi ab objecto, quando non est in se præsens, necesse est, eam imprimi ab objecto, quando est actu præsens*, illud autem objectum *proximum est actus humanus præteritus, ergo dum ille* (actus) *fuit, imprimebatur species necessaria.*

Prob.2. Quia non potest assignari alia causa verior, quàm illi actus, ergo sunt vera causa talium specierum. Prob. ant. Si posset assignari alia causa, vel essent objecta externa, vel potentiæ externæ, vel species earum impressæ, vel ipsa potentia interna, vel omnia illa simul, sed nullum horum dici potest, ergo nulla verior causa potest assignari præter actus illos. Prob. min. 1. de objecto, quia illud potest non existere, quando percipitur à sensu interno, & sæpe de facto non existit, ergo species ejus non producitur ab ipso immediatè. 2. de potentia externa, & interna, quia utraque est indifferens de se ad quascumque species: v. g. visus est de se indifferens ad species leonis, bovis, lapidis, &c. ergo visus de se non est causa

[1] 4.d 45.q.3.C.a.4.

speciei, quia sensus internus percipit leonem potius, quàm equum, præterea species impressa debet repræsentare illud, à quo producitur adæquatè, sed species impressa interna non repræsentat potentiam externam, ergo ab ista non producitur.

Prob. de specie ipsa externa impressa; Quia hæc potest esse in sensu externo, sive interno: v. g. species lucis, aut parietis potest imprimi in oculo aperto dormientis, sicut in speculo, & sensus tactus, qui non eget specie externa, causat speciem internam, ergo species interna non causatur ab externa impressa, alioqui neutra posset esse sine alia, quia causa est necessaria, & naturaliter agens.

Prob. de omnibus simul, quia omnia illa possunt esse absque specie impressa interna, ergo neque omnia simul illam causant, alioqui semper causarēt, quandiù adsunt simul, ergo causa immediata specierum internarum, quibus percipiuntur objecta externa, sunt ipsi actus sensuum externorum.

Objic. 1. Species impressa non debet repręsentare, nisi causam, à qua producitur, sed species impressa interna plus repræsentat, quàm ipsum actum sensationis externæ, ergo hìc non est sola ejus causa. Prob. min. Nam repræsentat etiam objectum.

Resp. neg. maj. Debet enim etiam repræsentare necessariò connexa, sine quibus non posset repræsentare causam suam, & tale est objectum, nam ipsa sensatio externa est repræsentatio expressa objecti.

Objic. 2. Potest haberi sensatio externa sine specie in sensu interno, ergo illa non est causa istius. Prob. ant. Potest enim esse distractus, vel impeditus sensus internus, quando externus elicit sensationem, ergo potest esse sensatio externa sine specie interna.

Resp. neg. conf. 1. Quia idem accidere potest respectu objecti, vel speciei, vel potentiæ externæ, quibus aliqui tribuunt hanc causalitatem. 2. quia in casu impedimenti ex parte potentiæ internæ non deesset propterea virtus in causa illa ad talem effectum, supposita capacitate subjecti. 3. negarem ant. quia in casu distractionis phantasiæ, illa non perciperet quidem actum, sed tamen reciperet impressionem speciei, eamque servaret, & perciperet suo tempore, & in alia occasione.

Objic.

Objicies 3. Species interna impressa non pendet in conservari à sensatione externa, quia hæc transit, illa permanet, ergo nec dependet ab ea in fieri; nam causa productiva est etiam conservativa.

Resp. neg. cons. & rationem ejus. Multa enim pendent in fieri à causis, à quibus non conservantur, & id fatebuntur illi, qui hanc causalitatem tribuũt objecto, & patet de speciebus intelligibilibus, quas non conservant phantasmata, quamvis hæc causent illas partialiter.

Objicies 4. Sensatio pedis non potest causare speciem internam, ergo saltem ista non pendet à sensatione externa. Prob. ant. sensus internus residet in cerebro, & sic est remotissimus à pede.

Resp. dist. ant. Non potest esse causa immediatè, transeat ant. mediatè neg. ant. Nam imprimit illam speciem immediatè in spiritibus vitalibus, per quos successivè pervenit ad sensum internum in cerebro.

QUÆSTIO VII.

De Divisibilitate, Intentione, Conservatione, & corruptione specierum sensibilium.

Species sensibiles producuntur ab objectis extensis, & recipiuntur in potentiis etiam extensis, & divisibilitate *entitativa*, quæ consistit in multitudine partium entitatis, quæ separari possunt, vel *objectiva*, seu *repræsentativa*, quę consistit in hoc, quòd una pars speciei partem objecti repræsentet, alia aliam; & omnes simul repræsentent totum: & huic divisibilitati opponitur indivisibilitas pariter *objectiva*, quæ consistit in hoc, quòd tota species, & singulæ partes ejus repræsentent totum objectum, sic, quòd totum objectum reluceat in totali specie, & totum in qualibet parte ejus, vel divisibilitate *intensiva*, quæ consistit in perfectione graduali, quæ recipit magis, & minùs.

Certum etiam est, quòd aliquæ species citò transeunt, aliæ diu conservantur, & quæritur, à quo conserventur, aut corrumpantur.

CONCLUSIO I.

SPecies sensibiles sunt divisibiles entitativè, objectivè, & intensivè: Citatur Scotus [1] pro hac sententia, sed non inveni, quòd ibi, vel alibi satis clarè mentem suam aperiat.

Prob.1. quoad 1. partem. Quia species in entitate sunt materiales, sicut alia accidentia, & subjectum earum materiale, scilicet, organum, quod informant, ergo & indivisibiles entitativè.

Prob.2. p.1. Quia objectum heterogeneum, v. g. diversicolor non potest ab eadem indivisibili specie repræsentari, ergo illæ species in repræsentando sunt divisibiles. Prob. maj. plùs differunt albedo, & nigredo in pica, in qua uniuntur, quàm duo alba distincta, sed hæc repræsentantur in unica visione per speciem divisibilem, ergo & albedo, & nigredo ejusdem entis. Idem est de figura, licèt homogenea, species enim repræsentans caput in suo situ distinguitur ab ea, quæ repræsentat pedes, & eodem modo, & ejusdem rationis sunt in unica totali repræsentatione, ac si repræsentarentur separatim, per unam caput, per aliam pedes, ut fieri potest, nec enim pes amittit speciem repræsentantem caput, nec caput speciem exhibentem pedes, sive unica, sive in pluribus visionibus. Idem est, cùm aliquod quantum repræsentatur successivè, v.g. baculus, aut linea detegitur secundum unum palmum, & deinde quoad 2. & postea quoad 3. Species primi non disparet, nec desinit, nec mutatur per adventum speciei secundi, vel tertii palmi, nec ista repræsentat alios palmos, ergo species illa totalis objecti divisibilis, tàm homogenei, quam heterogenei est in se divisibilis, & partialiter multiplex, etiam in repræsentando.

Confir. Quia oculus non videt ęqualiter partem objecti, v. g. lineæ remotam, & propinquam, ergo illa species non est indivisibiliter eadem, alioquin totam lineam eodem modo, & in eadem distantia exhiberet, & denique species producuntur ab objectis, ergo quælibet pars objecti producit suam speciem, & quælibet species nata est repræsentare partem illam, & non aliam, alioqui caput emitteret speciem repræsen-

[1] 2.d.13.q.un.K.n.9.

sentativam totius corporis.

Prob. 3. pars 1. Quia albedo, ut duo, causat speciem similiter repræsentantem, ut duo, & albedo, ut tria, speciem proportionatam: alioqui oculus non perciperet inæqualitatem albedinis intensioris, & remissioris. 2. albedo à longè eadem imperfectiùs videtur, quàm è propinquo, ergo species albedinis admittunt divisibilitatem gradualem.

Porrò pro solutione objectionum, & faciliori intelligentia hujus materiæ, nota, quòd, cùm quælibet pars objecti sit agens naturale, independenter ab alia emittit species sui per modum pyramidis, cujus basis est in superficie rei visæ, & conus in quolibet puncto medii, & idem de luminoso, quod in quolibet puncto spatii terminat suam pyramidem. Unde quo res sunt majores, eò efficaciores species emittunt, & remotiùs videntur. Hinc etiam fit, ut in quolibet puncto medii totum objectum, & singulæ partes ejus, à quibus sine obstaculo possunt duci lineæ rectæ ad illud ipsum punctum, repræsententur. Quia ibi est conus illius pyramidis, hoc autem fieri non posset, nisi totum objectum, & singulæ partes ejus producerent species sui in qualibet parte medii; quia, inquit Scotus, *omne activum naturale agit in medium circumstans sphericè, si sit ex omni parte æquè dispositum*, ideo ex qualibet parte medii sic dispositi videtur tota superficies objecti, & singulæ partes secundum situm, calorem, & extensionem, quam habent, modò, ut dicebam, à singulis partibus ad illud punctum duci possit linea recta, alioqui videbuntur illæ tantùm partes, à quibus duci poterit, quia illæ solæ illuc possunt mittere species.

Objicies 1. contra 2. p. Si species objecti esset divisibilis objectivè, non repræsentaretur, nec videretur objectum in qualibet parte medii, sed cons. est contra experientiam, & falsum, ergo & ant. Prob. maj. Non posset videri, nisi ut, & ubi repræsentaretur, sed repræsentarentur partes, quarum una esset in una parte medii, & alia in alia, ergo non posset totum videri in qualibet parte medii.

Respondeo neg. maj. 1. argumenti, & min. 2. Nam species omnes singularum partium objecti sunt in qualibet parte medii, ut dicebamus.

Inst. Per quamlibet partem speciei, quæ producitur in toto medio à toto objecto, videtur totum objectum, ergo per quamlibet partem speciei repræsentatur totum objectum, & ab eo toto causatur indivisibiliter.

Resp. dist. ant. per quamlibet partem, si partialitas attendatur penes partes spatii, conc. ant. si attendatur penes ipsas species, pro ut sunt ab objecto, & ut illud repræsentant, neg. ant. & cons. Nam respectu spatii singulæ, & omnes partes specierum sunt in qualibet parte ejus modo supradicto, & sub hoc respectu sunt in se una totalis species aggregata ex singulis partialibus repræsentantibus singulas partes totius objecti, sed respectivè ad objectum, à quo emittuntur, & quod repræsentant sunt partiales, licèt compenetratæ, & singulæ exhibent partem objecti, à quo sunt emissæ.

Inst. Ergo quo majus esset objectum, eo species esset intensior, vel extensior, sed neutrum dici potest, ergo non sunt plures partes. Prob. min. 1. Quia non sunt extra se invicem, ergo non faciunt extensionem. 2. Quia per illas omnes visio non est intensivè perfectior, quàm si unam tantùm partem videret, sed tantùm extensivè, & terminativè, quatenùs per illas videntur plures partes objecti.

Resp. dist. seq. Extensior intrinsecè, & repræsentativè, conc. seq. & neg. min. extrinsecè, & in ordine ad positionem earum extra se, & in ordine ad locum, neg. seq. sunt revera plures repræsentativè, & entitativè, quia repræsentant plura, & à pluribus causantur, & per eas potentia attingit plura, sed cùm sint compenetratæ, non sunt extensivè perfectiores extensione intrinseca, & locali.

Objicies 2. Lumen est species lucis, ex Scoto, [1] sed lumen producitur indivisibiliter, etiam ex Scoto, ita ut dependeat totum à tota luce, & totum à qualibet parte lucis, ergo species sunt indivisibiles. Min. patet. Nam *totus radius gignitur à tota luce, & non pars radii à parte*. Idem est de calore, qui sic producitur ab igne, ut dependeat à toto, & totus à qualibet parte ignis indivisibiliter, ergo lumen producitur indivisibiliter, sicut calor à toto igne.

Respondeo neg. min. Nec id docet Scotus ibi, sed vult

[1] *Ibid.*

vult tantùm, quod totum lumen producatur à luce immediatè, & non una pars radii à luce, & alia ab ipso lumine, ut patet ex ipso textu, & id patet de candela, cui si applices ad medietatem vitrum coloratum, specierum pars erit colorata, non verò alia, quæ non transibit per vitrum. Ad instantiam de calore neg. parit. Nam totus calor continetur virtualiter in toto igne, & in qualibet parte, & tota hæc dependentia caloris est in essendo, dependentia verò luminis, & speciei ab objecto est in essendo, & repræsentando, & quia una pars v. g. caput non potest repræsentari per imaginem pedis, ideo species ejus est distincta à specie pedis. Una pars non emittit speciem repræsentativam alterius.

Objicies 3. Si species essent indivisibiles deberent educi de potentia materiæ, sed hoc est falsum, ergo non sunt divisibiles. Prob. min. Nam, si sic educerentur, subjectum deberet alterari, & sic fierent successivè, non verò in instanti, sed subjectum non alteratur, & non fiunt successivè, ergo nec educuntur.

Resp. neg. min. Nam producuntur sine alteratione, & in instanti, carent enim contrarietate in subjecto.

CONCLUSIO II.

Species aliquæ pendent in conservari ab objecto, sed non omnes, nec est de ratione essentiali speciei sic conservari. Non corrumpuntur per contrarias, sed vel per læsionem organi, vel alterationem ejus.

Prob. 1. pars. Experientia, qua constat, species tactus, gustus, & visus statim perire amotis objectis, ergo istæ pendent in conservari ab objectis.

Prob. 2. pars eadem experientia de speciebus soni, & odorum, quæ aliquandiu durant in sensibus sublatis objectis, ergo non omnes ita pendent in conservari ab objectis, quin aliæ plùs, aliæ minùs durent sine illis.

Prob. 3. pars Nam species internæ, & istæ posteriores externæ sunt veræ species, sed conservantur sine objectis, ergo non est de essentia specierum, ut sic, quòd conserventur ab objectis. Min. patet experientia, nam memoria retinet species suas.

Prob. 4. p. ex Scoto [1] dicente, quòd species intelligi-

 biles

[1] 1. d. 3. q. 6. N. n. 19.

biles non videntur deferri, sicut species sensibiles, quia *species sensibilis est in organo, quod potest corrumpi per contrarium formaliter, vel per dispositionem in susceptivo disconvenientem tali potentiæ, sicut patet per Philosophum,* [1] *senes, & pueri sunt malè reminiscitivi propter abundantiam humorum nimiam, & etiam propter indispositionem, & læsionem organi.* Vides ex Scoto, [2] species corrumpi per læsionem, vel per alterationem organorum, per qualitatem aliquam contrariam non speciei, sed dispositioni organi, vel qualitati conservativæ speciei.

Prob.2. species nigredinis, & albedinis sunt simul in eodem oculo, & visione. Ita est de aliis omnibus qualitatibus contrariis in memoria, & intellectu per læsionem organi, vel per alias qualitates, quibus corrumpuntur conservativæ specierum, aut alterantur organa. Deperduntur species tàm externæ, quàm internæ. Plura occurrent, cùm de singulis agemus.

QUÆSTIO VIII.

De speciebus insensatis, an dentur.

JAm diximus species insensatas eas dici, quæ ita sunt in sensibus internis, ut non fuerint in ullo ex sensibus externis. Nam licèt fuerint aliquo modo sensatæ exterius, non tamen sub illis conditionibus, sub quibus causant sensationes internas: v. g. quando ovis videns lupum horret, & fugit, hoc facit ex apprehensione quadam mali sibi impendentis, & inimicitiæ ejus, quòd malum, & inimicitia non cadunt sub sensus externos, quippe ovis non videt, nisi figuram, & colorem illius feræ, in qua non relucent illæ qualitates nocivæ, magis quàm in figura, & coloribus canum, & aliorum animalium. Quæritur ergo, an illa fuga, ille horror ovis, (idem est de cæteris) veniat per aliquas species impressas directè, & immediatè sensui interno oviculæ, qua mediante cognoscit lupum, ut inimicum, & nocivum, & à quo imprimantur, si sint admittendæ?

Non negamus, quin sensus interni multa percipiant, quæ externi non percipiunt. Nam agnoscunt ipsos

[1] *de memoria c.1.* [2] *Disp.4.n.97.*

ipsos actus sensuum externorum, & affectiones doloris, & delectationis, & hęc per species quasdam, quæ aliquo modo dici possent insensatæ, quatenus non emittuntur ab objectis extrinsecis per ullas qualitates à quinque sensibus externis perceptibiles, sed quæstio est de illis qualitatibus occultis, quæ non cadunt ullo modo sub ullos sensus, & tamen videntur sentiri per internos, & ideo species illarum vocantur *insensatæ*, & quæritur, an dentur de facto, seu, an ovis per potentiam æstimativam, vel phantasiam agnoscat in lupo qualitatem aliquam nocivam.

CONCLUSIO.

N*On dantur illæ species insensatæ.*

Prob.1. ex Scoto, [1] qui docet agnum moveri ad fugiendum lupum non ex cognitione aliqua inimicitiæ, vel alterius qualitatis internæ, sed ex sola apparitione apparentiarum externarum. *Quia, si maneret ovis in propria natura, & in eodem affectu naturali ad agnum, mutaretur tamen ovis, & per miraculum fieret similis lupo in omnibus accidentibus sensibilibus in colore, figura, sono, motu, & hujusmodi. Agnus fugeret ovem sic mutatam, sicut fugeret lupum, & tamen in ove sic mutata non esset intensio* (species) *nocivi, sed proficui, & convenientis*, ergo ex Scoto [2] non dantur illæ species insensatæ, docet etiam, quòd illæ passiones doloris, fugæ in animalibus veniunt non à speciebus insensatis: sed ab ipsis objectis realibus, *sed magis est ad hoc, quòd illa objecta sensibilia, quæ relucent in phantasmatibus, sive ipsa phantasmata virtute objectorum causent tales passiones*, &c.

Prob.2. Quia nulla est necessitas asserendi species illas insensatas distinctas ab aliis. Ut certè intellectus ipse nihil insensatum percipit in objectis, nisi mediante discursu, sed sensus internus brutorum non discurrit, ergo nihil percipit insensatum. Prob. min. tùm ex consensu adversariorum, qui non admittunt in phantasiâ vim discursivam, tum quia experientia patet, quod quoties hi motus occurrunt, phantasia non habet locum, nec tempus discurrendi. Denique non

[1] *1.d.3.q.2.n.18.* [2] *3.d.15.q.un.q.7.A.*

potest assignari causa talium specierum, ergo non dantur. Prob. ant. Non causantur ab objecto, quia illud non percipitur, nisi secundum species sensatas, nec ab ipsa potentia, quia de se est indifferens ad has, vel illas, nec ovis aliter videt lupum, quàm homo, vel aliter lupus.

Confir. Quia ovis percipit lupum, quando horret illum per modum inimici offendentis actualiter, vel aptitudinaliter, seu potentis offendere, sed neutrum dici potest, ergo non percipit illam inimicitiam. Prob. min. de actuali offensione, quia actu non offendit, nisi per speciem externam, aut per aliquam qualitatem realem, quam immittit cùm specie externa, & sic non est species insensata. 2. non de aptitudinali inimicitia, quia, quod actu non est, non causat actu sensationem, nec placentiam, nec displicentiam, ergo non causat fugam ullo modo per speciem insensatam.

Objic. 1. Ovis videns lupum horret, & fugit, ergo apprehendit in illo aliquid nocivum, sed illud nocivum non apparet in sensibus externis, ergo est quid insensatum. Min. patet, non enim fugeret potius lupum, quàm canem, nisi internè perciperet in illo malignitatem, aut inimicitiam. Prob. min. Sensus externi non percipiunt aliud, quàm colorem, figuram, sonum, odorem, & alia, quæ per se non differunt ab aliorum animalium qualitatibus, ergo fugit propter inimicitiam, quæ est prorsus insensata.

Resp. neg. 1. cons. Nam fugit ex instinctu innato, qui dici potest antipathia, seu propter qualitatem aliquam Physicam, & nocivam, quæ actu lædit. Unde, si naturalistis credimus, si tympanum ex pelle ovina sit prope aliud ex lupina, illud non sonat, sed rumpitur, pellis autem illa mortua non admittit species sensatas, nec insensatas.

Inst. Illa qualitas non nocet, nec lædit alios lupos, vel alia animalia, ergo gratis asseritur.

Resp. neg. cons. Nocet enim ovibus, & non aliis, propter contrarietatem Physicam complexionum cum ovibus, quæ non talis est in aliis.

Inst. 2. Si hic horror ovis (ita est de aliis) veniret à qualitate læsiva, non posset assuefieri cum lupo, sed hoc est contra experientiam, qua visum est oves, & lu-

lupos simul educatos vixisse amicè, ergo horror non venit ab ulla qualitate læsiva, sed à specie insensata inimicitiæ.

Resp. neg. maj. Quia ab assuetis non fit passio, sic assuefimus odoribus, herbis, cibis, & aliis rebus, quæ alioqui horrescèremus. Deinde id facit contra adversarios, nam per quamcumque familiaritatem non mutarentur species illæ insensatæ inimicitiæ naturalis, ergo, si darentur, non posset contrahi familiaritas illa.

Objic. 2. Sensus internus percipit concordiam vocum, quam non percipit auditus externus, ita est de proportione colorum, de qua non judicat oculus, ergo dantur species concordiæ, discordiæ, proportionis, convenientiæ, & disconvenientiæ.

Resp. dist. ant. percipit concordiam materialiter, seu fundamentaliter, conc. ant. formaliter sub ratione concordiæ, aut dissonantiæ, &c. neg. ant. Percipit quidem voces, & colores, quæ habent qualitates, seu relationes consonantiæ, & proportionis, sed non ipsas formaliter relationes, & quoad hoc idem est de externis, ac de internis.

Objicies 3. Bruta agunt propter finem, ergo percipiunt internè conducentiam medii cum fine, sed hæc conducentia non cadit sub sensus externos, ergo dantur species insensatæ.

Resp. dist. ant. propter finem materialiter, & imperfectè, conc. ant. formaliter, & in ratione mediorum, ac finis, neg. ant. & conf. de quo patet ex Physica. Applicant quidem ea, quæ sunt media, & sic consequuntur finem, sed non cognoscunt alterutrà in ratione mediorum, aut finis, alioqui discurrerent formaliter, quod adversarii non admittent. Hæc, & alia faciunt ex instinctu cęco naturæ.

DISPUTATIO X.

De singulis sensibus in particulari, & primò de externis.

POST disputationem satis prolixam de anima sensitiva, & sensibus in genere, & de actibus, ac speciebus, per quas exercent suas sensationes, descendimus ad singulos sensus in particulari, & incipimus ab externis.

Sensus *externi* sunt facultates animæ sensitivæ externis organis affixæ, quibus percipit objecta sua, & suas elicit sensationes, sicut *interni* dicuntur potentiæ illius, qui intra cranium, & in cerebro suas habent sedes, & ibi suas exercent functiones. Illorum existentiam nemo negat, qui non sit insensatus cæcus esset, qui negaret *visum*, putridus, qui *olfactum*, insipidus, qui *gustum*, surdus, qui *auditum*, stolidus, seu lapideus, qui *tactum*. Visu anima colores, & lucem percipit, gustu sapores, olfactu odores, auditu sonos, tactu calorem, & frigus mollitiem, & duritiem, aliasque passiones. Priorum quatuor organa sunt in capite, quintus per totum corpus animalis extenditur. Hos quinque sensus, & non plures admittunt omnes tàm Theologi, quàm Philosophi, videlicet *visum*, *auditum*, *odoratum*, *gustum*, *& tactum*, ut colligitur ex quinque generibus illis sensibilium, & quintuplici organo, quod in animalibus cernitur. Etenim horum sensuum organa in omnibus animalibus perfectis reperiuntur, si forte Talpas, & Balenas excipias, quæ dicuntur carere oculis, & visu. In imperfectis verò plures desunt.

Inter hos sensus quidam præferunt tactum cæteris, atque gustum, quia sunt communiores, & magis necessarii ad conservationem animalis, alii visum ob nobilius objectum, & universalius, ut sunt *colores*, & *lux*, & ob nobiliorem organi structuram, & subtilitatem medii, & præstantissimum, atque mirabilem, ac penè inscrutabilem operandi modum, Celeritas tanta est (inquit Lessius) ut in puncto temporis plusquam 80. milliones milliarium conficiat, tantum enim, & amplius distant stellæ à ter-

terra secundum astronomos, tanta verò capacitas, ut totam cęli medietatem comprehendat, imo si non terra obstaret, posset intra se condere totum mundum, tam verò est arcana ejus operatio, ut hactenùs nemo mortalium assequi potuerit. Igitur certum est, quòd ordine dignitatis præcedit *visus*, sequitur *auditus*. 3. *Olfactus*. 4. *Gustus*. 5. *Tactus*, sed ordine necessitatis præcedit *Tactus*. 2. *Gustus*, 3. *Odoratus*. 4. *Auditus*, *denique visus*. Id melius constabit ex dicendis de singulis.

QUÆSTIO I.

De visu, de structura oculi, de organo, de modo, media, & objecto ejus.

SEquimur ordinem dignitatis, & incipimus à *visu*, qui est facultas residens in oculo, per quam anima percipit omne coloratum, aut illuminatum. Illius organum est *oculus*, cujus fabrica mirabilis est: figura sphærica, ut faciliùs in omnem partem moveri possit: in suprema corporis parte, tanquam in specula collocatus, ex qua bona prosequenda, & mala vitanda prospiciat, & quidem duplex est, ut, cùm summæ sit utilitatis, uno deficiente, suppleat alter.

Ad Oculi fabricam concurrunt tres humores; 1. est in ejus centro, qui dicitur *Crystallinus*, quia Crystallo similis est, luce, ac pelluciditate, non duritie. Dicitur etiam *pupilla*, & tunica etiam perlucida, & subtilissima obvolvitur, quæ dicitur *Aranea* ob subtilitatem, & *specularis* ob nitorem, & ex illo humore, & tunica formatur globulus, qu *pupilla* vocatur 2. sequitur humor crassior, & non omninò fluidus, vitro liquefacto similis, & ideo *vitreus* dicitur, & in isto immergitur, & quasi innatat *pupilla*, sic ut aliqua sui parte illi supereminеat. Hunc humorem obvolvit tunica dicta *Reticularis*, quia venulis est contexta, velut rete quoddam; *pupillam* tamen ea parte, qua eminet supra vitreum, non operit. Idem præstat 3. tunica, quæ *uvea* dicitur, quia *uvæ* folliculo similis. Hęc enim *reticularem* ambit to-

tam

tam relicto foramine detecto pro pupilla. Dicitur *nigrum oculi*, quia in nigredinem tendit, ut sua opacitate species in pupilla receptas reflectat, ut contingit in speculo. 3. humor est *aqueus*, *albugineus*. quasi album ovi, qui sua humiditate humectat, & refrigerat pupillam, quam similiter non obtegit totam, sicut nec *uvea*. Sequitur 4. tunica, quae est *cornea*, quia dura est, & perfluida, & transparens, velut subtilissima lamina cornea, quae totum prorsus oculum operit. 5. denique *pellicula*, quae dicitur *alba*, seu *adnata*, & *adhaerens*, totum rursus oculum involvit, & firmat. Dicitur etiam *pericranium*, quia oritur à tunica ejusdem nominis, quae *calvariam* ambit.

Concurrunt ad eandem structuram extrinsecam sex, aut septem musculi, qui velut ligamina quaedam movent oculos in omnem partem, 1. sursùm, 2. Deorsum, 3. in dexteram, 4. in sinistram, & 5. & 6. incircumferentiam, & 7. sustentatur. Denique *Spiritus animales* à cerebro in oculos dimanant per duos nervos *visorios*, seu *opticos* ab eadem in ipsos derivantes, & per easdem species ab oculis in cerebrum deferuntur, quarum impressione formantur phantasmata in sensu communi, & ab hoc in intellectu, ut intelligat. Hi nervi paulò post discessum à cerebro coeunt in unum, tùm dividuntur, ut ad geminos oculus pertingant, & duabus tunicis induuntur; interna tenui, à qua provenit tunica *uvea*, & duriori externa, à qua manat tunica *cornea*.

Temperamentum oculi quidam volunt Igneum, ut platonici; Aristoteles aqueum; & meliùs, id enim constat experientia ipsa, humor enim Crystallinus est prorsus aqueus, licet dicantur Ignei, & ardentes propter ingentem copiam spirituum, qui multum de igne participant, unde videntur oculi scintillare.

His suppositis de structura potentiae visivae, quaeritur 1. in qua parte oculi fiat visio. 2. quomodo fiat visio, 1. an per emissionem radiorum ob oculis, 2. an per receptionem specierum ab objectis. 3. de objecto. 4. de medio ejusdem.

CON-

CONCLUSIO I.

V*Isio fit proximè, & præcipuè in pupilla, seu humore Crystallino.* Est Scotistarum, & aliorum magis communiter.

Prob. 1. ex Aristotele. [1] In ea parte efficitur visio, quæ tota nitida est, & splendida, ut ab omni colore, & luce moveri possit, sed talis est in oculo solus humor *Crystallinus*; ergo ibi fit proximè, & præcipuè visio. Prob. maj. Nam recipiens debet esse de se vacuum ab illis, quæ debet recipere, & quasi indifferens ad diversa; unde si organum visus esset de se coloratum, non admitteret alios colores, si esset opacum, non reciperet intimè species, nec illas transmitteret.

Dices. Illa ipsa perspicuitas est ratio, cur in illa parte non fiat visio, quia est potiùs medium, per quod transmittitur species ad sensorium, quàm ipsum sensorium, in quo asserventur, & concurrant ad visionem, quæ fit in ea parte, in qua species terminantur, non per quam transeunt.

Contra. Nam de facto species terminantur in Crystalloide, mediante *Aranea*, seu *speculari*; atque etiam *retiulari*, & *tunica*, quæ sunt opaciores, & à tergo ejus, ut accidit in speculo, in cujus glacie retinentur species per opacitatem plumbi à tergo applicati, ut reflectat species, & de facto in *pupilla* videmus objecta repræsentari, sicut in speculo, ergo ibi terminantur sufficienter.

Confir. ex eodem. Quia *pupilla* est præcipua oculi pars; est in centro ejus; hanc tutantur, & illi inserviunt cæteræ partes, & illa læsa, cessat visus, charissima est ea pars, oramus *custodi me, ut pupillam oculi*, & *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*; quibus significatur visionem in ea fieri præcipuè.

Prob. 2. Quia non potest salvari, quòd fiat in alia parte. 1. non in nexu nervorum *opticorum*, ut volunt multi, quia non sunt diaphani, nec apparentes, nec nitidi, sed terrestres, & subfulci, nec sic necessariò connectuntur, aut coeunt, ut experti sunt anatomi-

[1] *L. 1. de Gener. animal. c. 5.*

tomistæ, & id patet in cancris, & aliis animalibus, in quibus illi nervi non coeunt, sed divisi à cerebro ad oculos tendunt, præterea, cùm sint homogenei, non est ratio, cur potiùs in ea parte nexus fiat visio, quàm in aliis.

2. Non in *Retina*, aut alia ex tunicis, ut volunt alii, quia tunicæ sunt potiùs propter humores, maximè propter Crystallinum, quàm humores propter illas, & certè, ut videamus objecta, movenda est *pupilla*, & dirigenda versus objecta, quæ non respicit *Retina*; & id non esset necessarium, si in illa, aut alia tunica, vel humore fieret visio, quia tunicæ illæ, & humores non obvolvunt pupillam ex ea parte, qua respicit objecta.

3. Non in toto oculo, ut placet aliis, alioqui non deberent moveri oculi ad objecta, nec in partem ullam, ut viderentur.

Objic. 1. *Scotum*, qui docet, quòd organum visus est in concursu nervorum *opticorum*, & ideo *visorii* dicuntur, quia in illis fit visio; ergo, ex Scoto, & ratione, visio fit in nervis, & nexu eorum.

Resp. revera Scotum sic loqui ibi, sed ex aliorum sententia potiùs, quàm ex sua, ut discipuli ejus communiter putant. Columbus illum ipsum citat locum, ut doceat, visionem non fieri ibi, nescio qua mente, alibi verò docet visionem fieri in oculo, & in eo recipi species visibiles. *Quæcumque albi species etiam in oculo cæcutiente, licèt non ita perfectè repræsentet album, sicut esset repræsentabile, species albi est in oculo, velut ratio cognoscendi*; nervi autem non sunt in oculo, nec in oculis conjunguntur, sed potiùs dividuntur. Id etiam apertè docet, ut probet, quòd lumen est propriè intentio, sive species sensibilis lucis, quia, si non esset intentio, tunc positum supra sensum prohiberet sensum, & ita lumen supra positum oculo impediret ipsum videre. Non hoc diceret Scotus, si putaret visionem fieri in conjunctione nervorum, quia nec lux, nec lumen eò pertingunt, ergo putat visionem fieri in oculo, non in nervis opticis.

Objic. 2. Potentia visiva, & visio est una, sicut unus gustus pro omnibus saporibus, unus odoratus pro omnibus odoribus, &c. ergo & unum subjectum visionis, sed non potest in visu assignari aliud unum sub-

subjectum,in quo fiat visio præter nervos in ea parte, in qua coeunt, ergo in ea parte fit visio.

Resp. neg. ant. Est enim duplex oculus, & sic duplex potentia, ut deficiente una non desit altera. Cur autem Deus non duplicarit alios sensus v. g. gustum, & odoratum, non defuerunt rationes auctori naturæ, *cujus providentia non fallitur*. Certè unitas potentiæ non salvatur in sententia de nervis, quia illa conjunctio non est in omnibus, ut notant anatomici, & inde corruit fundamentum adversariorum.

Inst. si essent duæ potentiæ, essent duo accidentia ejusdem speciei, & solo numero distincta in eadem anima; sed hoc est absurdum; ergo non sunt duæ potentiæ.

Respondeo neg. maj. Potentia visiva, sicut & aliæ, non est accidens; sed proprietas animæ, & duo oculi sunt duæ potentiæ partiales, materiales, seu duo organa unius integræ potentiæ animalis, quæ in illis subjectatur.

Inst. 2. læsis nervis opticis amittitur visus, ergo illi sunt principia, & organa visus.

Resp. neg. conseq. 1. Quia sunt canales, per quos spiritus vitales deferuntur ad oculum, & si per læsionem intercipiantur, non mirum si cesset visio. 2. quia etiam læsa pupilla amittitur visus; imò & ex aliis partibus, in quibus adversarii non ponunt organum visus.

Inst. ergo objecta deberent videri geminata; quod est contra experientiam.

Resp. neg. conseq. Si enim ex hoc præcisè geminaretur visio, idem esset de auditione, quod adversarii non admittunt. Cur autem neutra geminetur, videbimus suo loco.

Objic. 3. Humor Crystallinus est coloratus,quia est corpus constans primis qualitatibus,quas sequitur color; sed organum visus per nos non debet esse coloratum, ergo ille humor non est organum visus.

Resp. neg.maj.& rationem ejus. Nam crystallus, quòd est corpus mixtum,non est colorata; ad hoc enim requiritur opacitas, & densitas in tali corpore.

Inst. 3. Pupilla apparet nigra, ergo & colorata.

Resp. neg. conseq. Sic enim apparet ob profunditatem,& copiam humoris, quem lux,nec visus non

pene-

penetrat, sicut accidit in aquis profundioribus, & copiosioribus, quæ nigræ apparent, licèt alioqui limpidissimæ.

Objicies 4. Organum visus debet esse animatum, & vitale, sed ille humor non vivit, ergo ille humor non est organum visus. Prob. min. per nos humores alii non vivunt; ergo nec iste.

Resp. neg. min. & conseq. prob. Iste enim differt ab aliis, non est omninò fluidus, sicut alii, est aliqualiter condensatus, & ideo potest continuari cum reliquis partibus solidis, & maximè per nervos opticos, & tunicas.

Dixi *proximè*, *& præcipuè*; nec enim inficior, quin ad visionem concurrant aliæ partes oculi in suo ordine, & modo, sed volumus solùm, quòd formaliter, & directè, ac principaliter fiat in pupilla.

CONCLUSIO II.

V*isio non fit per emissionem spirituum ab oculo in objecta, sed per immissionem, & receptionem specierum in oculo ab objectis.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui supponit ubique, quòd in oculo *fit impressio speciei, qualis nata est fieri ab objecto, præcisa causa, cuicumque potentiæ habendi speciem præsentem, & quia est cognitiva*: & idem ubique supponit.

Prob. 2. Visio est actio vitalis, sed omnis actio vitalis est actio immanens, quæ non exit, sed recipitur in ipsa potentia, ergo visio non fit per emissionem, sed per receptionem. Quod confirmatur ex dictis de speciebus impressis. Idem est de aliis sensationibus, quæ sunt immanentes in ipsis sensibus, unde visio non fit in aere medio, nec in objecto, in quo reciperentur illi spiritus emissi, nec extra oculum, sed in ipso oculo, ergo non fit per emissionem radiorum, sed per receptionem speciei.

Dices Illam emissionem non impedire, ne visio fiat in oculo, quia cito emissi radii redeunt ad oculum, quem informant ad visionem.

Contra 1. Quia incredibile est in instanti radios ab ocu-

[1] 1.*d*.3.*q*.4. *G.n*.10.*&* *q*.6. *M.n*. 18.*&* 2.*d*.3. *q*.9. *N*. *& d*.13*G*.

oculo ad astra ascendere, & eodem momento reverti per motum localem. 2. quia non possunt redire illi spiritus, nisi per reflexionem, atqui objecta non sunt semper corpora reflectentia, sæpe sunt dura, & aspera, & inæqualia, reflexio verò exigit corpus reflectens esse politum. 3. quia non apparet, quomodo tàm exigua pupilla posset tantam copiam spirituum, & cum tanto impetu emittere, ut possint tàm celeriter à terra ad cęlum, vel à cęlo in terram ire, & redire. 4. non videtur, cui usui sit illa emissio spirituum; non enim videtur, quòd illi sint efformatores speciei, seu imaginis objecti, quo informetur oculus ad eliciendam visionem objecti; ergo, quia, si fieret per emissionem, & reditum spirituum, oculus fatigaretur, & satiaretur visu, quod falsum est; ergo non ita fit, sed per receptionem specierum, quibus juvatur.

Prob.4.experientiis. Si fieret per illam emissionem, quando transirent per aerem agitatum, turbaretur visio. 2. quando videretur objectum in profundo fontis frigidissimi, spiritus illi vel extinguerentur, vel concrescerent, quomodo Spiritus illi penetrarent succinum, vel vitrum, aut Crystallum ut in illis, aut per illa irent ad festucas, muscas, lapillos, quos ibi videmus? 4. cur per vitrum viride videretur objectum viride? an illi Spiritus contrahunt colores medii, potius quàm alias qualitates? 5. cur spiritus non penetrant obscuritates, & tenebras, ut in illis videamus? &c. sed hæc omnia sunt contra experientiam, ergo contra experientiam est asserere illam emissionem.

Objicies 3. experientias 1. de *Antipheronte*, qui videbat continuò sui imaginem, quod Aristoteles tribuit debilitati radiorum. 2. idem docet, quod oculi parvi, & reconditi acutiùs vident, quàm magni, & prominentes. 3. contractis palpebris melius, quàm dilatatis, quia radii magis colliguntur, & uniuntur. 3. feles radios emittunt ex oculis, ita & fęminæ, quæ maculant specula, & vetulæ fascinant pueros, & lupi causant raucedinem, & Basiliscus enecat hominem, ergo ex oculis emittuntur spiritus.

Resp. n. cōs. hæc enim aliunde veniūt, non negamus per oculos emitti spiritus luminosos, & venenosos,

sed

sed qui nihil conferunt ad visionem. *Antipheron* sic videbat ex læsione phantasiæ, & imaginationis, ut accidit in phræneticis. Oculi parvi, & infossi, seu reconditi, & palpebris contractis melius vident, quia species sensibiles meliùs in illis cum potentia uniuntur, ut etiam accidit in perspicillis, & tubis.

Objic. 2. Si visio fieret per receptionem specierum ab objecto, non perciperetur majus, aut minus, nec distinctè magis proximum, quàm remotum, sed hoc est contra experientiam; ergo visio non fit per receptionem specierum. Prob. maj. species veniens ab objecto tàm remoto, quàm proximo semper est eadem; objectum semper illud eodem modo producit, & distantia, nec status non sunt per se sensibilia per speciem, ergo semper eodem modo repræsentaret, & videre faceret.

Resp. 1. Idem argumentum à fortiori urgere sententiam de emissione radiorum, nam radii extra oculum emissi non magis hæc possunt repræsentare. 2. neg. maj. & conseq. prob. nam licet objectum de se semper eandem speciem emittat, hæc non semper eodem modo movet oculum propter distantiam, aut alterationem, qualitatis aut medii, ideo quò longiùs distat, eò imperfectius movet, & *distantia*, *ubi*, *situs*, & similia petinent ad sensibilia communia, quæ simul cum propriis sentiuntur.

Objic. 3. sensibile positum supra sensum non facit sensationem: ergo si species sensibiles reciperentur in oculo, impedirent potiùs, quàm facerent visionem.

Resp. dist. ant. sensibile *ut quod*, & reale, conc. ant. sensibile *ut quo*, & intentionale, neg. ant. species autem sunt sensibiles *ut quo*, idest sunt rationes formales, quibus mediantibus fit sensatio, sunt quidem reales, sed intentionales, & quasi spiritualizatæ.

CONCLUSIO III.

L*umen requiritur ad visionem ex parte potentiæ, medii, & objecti.* Tres habet partes, in quibus aliqui dissentiunt.

Prob.

Prob. 1. *tota concl.* ex Scoto [1] dicente quod *necesse est lumen proprium in oculo esse ad hoc, ut recipiat species colorum, & videat*: & quod *sicut lux, ut visibile est prius naturaliter colore, ita & species ejus est naturaliter prior specie coloris, &* quod *medium non illuminatum non sit capax ad percipiendum colores*, quod *organum non illuminatum non sit visivum proximè*; ergo lumen requiritur in medio, & organo, & objecto: ideo enim dicit, quod lux, ut visibile, est naturaliter prior colore, quia lux sine colore videri potest, non color sine luce.

Prob. 2. *quoad potentiam*. Visio non fit sine specie impressa objecti, per quam immutatur, & determinatur potentia, sed non potest esse species sine lumine, ergo oculus requirit lumen, ut videat. Prob. min. 1. quia lux ipsa potest videri, ergo per speciem, seu lumen, quod sit in oculo; 2. quia colores ipsi non possunt videri sine lumine, ergo nec emittere speciem in oculum sine ipso.

Prob. de medio 1. quia species non transit de objecto in oculum, nisi per medium, sed species est aut lumen ipsum, si objectum est sola lux, vel cum lumine, si objectum est color; ergo lumen requiritur in medio. Prob. min. ex Philosopho, [2] color est *qualitas, quæ movet perspicuum actu*; id est per productionem specierum impressarum movet diaphanum, & transparens, quod actu est perspicuum, seu luminosum, vel lucidum. 2. quia color videri non potest sine lumine ex parte objecti, ut fatentur adversarii: ergo nec emittere species sui sine lumine, quod est species lucis, ut dicemus, sed species tam coloris, quàm lucis non possunt ire ab objecto ad oculum, nisi per medium; ergo non potest esse visio, quin lumen sit in medio.

Prob. de objecto, & maximè de colore; 1. experientia docet, quod de facto non videntur colores absque lumine; benè verò lux sine colore; ergo color debet esse illuminatus. 2. eadem experientia docet, quod clarior, vel obscurior visio non venit à majori, vel minori illuminatione medii, sed objecti: unde oculus ex loco obscuro videt colorem positum in loco illuminato, ergo lumen præcipuè requiritur ex

[1] 2.q.13.n.4. [2] 2.de An.c.7.t.67.

ex parte objecti: *Ad hoc ut color agat in visum requiritur alia causa concurrens ad agendum, scilicet lumen, ideo tunc solùm color est visibilis in potentia propinqua, quando est illuminatus* inquit Doctor: ergo objectum debet esse illuminatum.

Objicies 1. contra 1. & 2. partem, ex obscurissimo loco videtur lux, & color illuminatus: ergo lumen non requiritur ex parte oculi nec medii ad visionem, nam in obscuro loco aer, nec oculus illuminantur, sed potius obvolvuntur tenebris. Ant. patet experientia.

Resp. neg. consеq. & rationem ejus, nam semper est aliquid luminis tàm in medio, quàm in oculo, licèt sit exiguum.

Inst. si esset lumen aliquod in medio, viderentur colores intermedii, sed non videntur, ut patet experientia, ergo nullum est lumen in medio. Prob. maj. colores medii videntur de die, & quando aer est illuminatus, sed tunc esset etiam illuminatus, ergo & tunc viderentur.

Resp. neg. maj. & dist. min. prob. esset illuminatus parùm; adeo ut non sufficeret ad visionem colorum conc. min. sufficienter, sicut de die ad visionem neg. min. colores objecti ideo videntur tunc, quia est valde illuminatum, non autem medii, quia parum illuminantur, semper autem plus luminis requiritur ex parte objecti, quàm medii, vel potentiæ, ut patet ex illa experientia.

Objicies 2. quædam splendida videntur in tenebris, ut oculi felium, capita quorumdam piscium, muscæ lucidæ: ergo ad has visiones non requiritur lumen in medio.

Resp. dist. ant. in tenebris ita ut ibi sit valdè parum luminis in medio, conc. ant. ita ut nihil prorsus sit luminis in medio, nec in oculo, neg. ant. Tam parum luminis habet medium, ut non possint videri colores aliorum objectorum, sed tamen est sufficiens ad videnda illa lucida.

Inst. Illud lumen medii esset ab illis lucidis; sed hoc est contra Philosophum dicentem, quod hæc lucida, licèt fulgeant, non faciunt lumen, ergo nullum est ibi lumen.

Respondeo neg. min. nam Philosophus negat tantum

num ea facere lumen sufficiens ad videnda alia.

*Inst.*2. Quò medium est obscurius, eò meliùs ea videntur; ergo lumen in medio potiùs officeret, quàm juvaret, unde de die illa non apparent lucida.

Resp. dist. ant. obscurius per negationem luminis sufficientis ad videndos alios colores per medium diffusos, conc. ant. per negationem omnis prorsus luminis neg.ant. si lumen æquale, aut majus esset in medio, ut videri possent alii colores, distraheretur oculus in illorum visionem, & offuscaretur lux ipsorum lucidorum. Ratio horum est, quia non potest species lucis, & illuminati ab objectis ad oculum deferri nisi per medium.

Objicies contra 3. partem. Color ex natura sua est per se visibilis; estque ejus proprietas; ergo non eget lumine, ut videatur. Prob. conseq. proprietates conveniunt rei ab intrinseco; ergo visibilitas coloris non eget externo lumine.

Resp.neg.1.conseq.& dist.2.non eget, ut sit visibilis aptitudine radicali; conc.conseq. proximè, & ut actu videatur neg. conseq. nam, ut actu videatur, requirit concursum luminis.

Inst. Quædam animalia noctu vident, sed tunc objecta non sunt illuminata; ergo.

Resp. neg. conseq. illa enim animalia emittunt ex oculis quoddam lumen, quod illuminat objecta.

Duplex autem est medium visionis, *internum*, quod mediat inter pupillam, & tunicam ultimam, quæ *cornea* dicitur, ut sunt humores aqueus, & vitreus, & *externum*, quod est omne aliud corpus extra substantiam oculi, quod mediat inter ipsum objectum visionis, Medium *internum* sufficit, ut videantur stellulæ, fulgores, muscæ, & alia lucida, quæ quandoque videntur, aut videri videntur quasi volitantia compressis, atque clausis oculis propter humorem quemdam, lucem, aut igneos spiritus, qui restant in tunicis intermediis, & dicuntur objecta *interna*, & objecta purè *externa* videri non possunt nisi in aliqua distantia, & sine aliquo corpore diaphano, & perspicuo intermedio, quia sensibile supra sensum visus non facit, sed impedit sensationem.

CON-

CONCLUSIO IV.

Objectum formale totale & adæquatum visus non est solus color, nec sola lux, sed utrumque simul; & principalius est lux.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *utrumque est per se visibile, sed neutrum istorum est primum objectum adæquatum; sed est aliquid indifferens ad hoc, & ad illud, & est innominatum*; & infra addit, quod *lux habet primam rationem visibilis objecti, non quia sit objectum formaliter adæquatum: sed quia virtute ejus, omnia, quæ non sunt formaliter talia, videntur*, & ratio illius prioritatis est, quia *lux potest videri sine colore, non autem color sine luce*, dependet enim in visibilitate à luce, quia ad videndum colorem *necessarium est coagere lucem intrinsecam, vel extrinsecam, si cadat in compositione coloris*. Habes in hoc textu totam conclusionem.

Prob. 2. 1. pars. Omne, quod cadit sub visum, est lux, vel color, & non est sola lux, nec solus color, ergo nec sola lux, nec solus color est objectum formale adæquatum, sed utrumque simul.

Prob. 2. pars. Nam ex objectis partialibus illud est prius, & principale, quod videri potest sine alio, non istud sine illo; sed talis est lux respectu coloris, ut patet ex præcedenti concl. & experientia, ergo lux est principalius objectum visionis. Confir. ex Scoto dicente, quod *color quodammodo continet lucem; est enim lux in corpore terminato*, ergo color dependet à lumine.

Objicies 1. objectum unius potentiæ debet esse unum, sed potentia visiva est una, & color, & lux sunt diversissimæ qualitates; ergo non sunt objectum unum formale illius potentiæ.

Respondeo 1. neg. maj. nam, ex Scoto, quò nobilior est potentia, eò ad plura se extendit. 2. neg. min. nam licet color, & lux differant in entitate, conveniunt tamen in ratione visibilitatis, & objecti visus, & hæc ratio explicari potest, vel sub nomine *visibilis*, ut volunt aliqui, vel *luminosi*, ut volunt alii, vel *coloris*, aut *colorati*, ut alii, latè sumpto nomine coloris, pro ut

[1] *Report. 2. d. 14. n. 3.*

ut significat omnem actum diaphanum,& ut dicebamus ex Scoto color continet lumen. Denique est aliquid unum indifferens, seu commune ad utrumque, quod est innominatum.

QUÆSTIO II.

De lumine, & colore.

Quia dicimus lumen, & colorem esse objectum formale adæquatum visus, debemus paulò accuratiùs explicare naturam illorum, quæ tantò abstrusior est menti, quantò illa sunt sensibiliora oculis. Nihil aliud videmus, quàm lucem, & colorem, & nihil minùs intelligimus, & quæ oculos corporis recreant,& occupant; oculos mentis fugiunt, & fatigant.

Lux non est forma substantialis, ut voluerunt aliqui, sed accidentalis de genere qualitatis. Est igitur qualitas inhærens corpori luminoso, per quam redditur formaliter perspicuum, & clarum. Atomistæ volunt lumen; *nihil aliud esse, quàm scintillularum ignearum copiam per aerem, aliaque corpora pellucida diffusam, jugiterque à corpore lucido emanatam*, ita tamen ut illæ scintillulæ subtilissimæ sint, omnemque sensum effugiant, licèt totum aerem immeent, sicut guttulæ vini pervadentes ingentem aquæ copiam tingunt rubore quodam. Addunt *mundum plenum talibus corpusculis flammeis*. Cartesius lumen dicit *esse modum quemdam, seu actionem promptam, quæ per aerem, & alia corpora pellucida interjecta versus oculum pergit; ideo colores nihil sunt præter diversos modos, quibus objectum coloratum illos modos recipit, & remittit in oculos.*

Id certum, quòd lux inhæret corpori lucido, lumen verò non, sed est qualitas mobilis sparsa à corpore lucido per corpus diaphanum, qua colores actu illustrantur, & fiunt actu visibiles, & per hoc jam vides differentiam aliquam inter lucem, & lumen, illa enim est in lucido, ut in proprio, ac naturali subjecto, quod illam postulat, aut emanat, & producit in se, ut sol, ignis, &c. lumen verò est à corpore lucido, & in alieno subjecto v. g. in aere, in oculo, &c. Distinguuntur ergo hæc tria; *lux* quæ illu-

mustrat corpus, in quo est, & se ipsam, & cætera illa manifestat, nam *omnia, quæ arguuntur à lumine, manifestantur, & omne, quod manifestatur, lumen est*; 2. *lumen*, quod est species lucis, & 3. *luminosum*, quod informatur lumine. Item corpus *luminosum* tria hæc emanat, *Radium*. *splendorem*, & *fulgorem*. *Radius* est illuminatio, seu diffusio luminis secundum directam lineam oppositam corpori lucido, v. g. solis *splendor* est *radius* repercussus in corpore opaco. *Fulgor* est lumen tenebris admixtum.

Rursus. Radius [1] alius est *rectus*, qui diffunditur à luminoso per medium ejusdem diaphaneitatis, & alius *Reflexus*, qui occurrente corpore opaco multiplicat se in oppositum illius. *Refractus*, qui occurrente medio alterius diaphaneitatis, non tamen omninò opaco, multiplicatur in illo medio, sed non secundum lineam rectam, sed incidit ibi Angulus.

Doctor [2] distinguit *qualitatem sensibilem*, seu realem ab *intentionali*, quæ est species impressa ejus. 1. est ipsa entitas absoluta qualitatis, v. g. lucis in se considerata. 2. verò est formalis imago, quam objectum immittit in potentiam, & per quam potentia determinatur formaliter ad perceptionem ejusdem objecti, & vocatur *species intentionalis*, non quod sit ens rationis, & quasi non existat verè, & realiter, & independenter ab omni opere intellectus, sed quia est qualitas, per quam potentia tendit in objectum, & determinatur formaliter ad illud percipiendum, & in hoc sensu quæritur, an lumen sit qualitas realis, sicut lux, an verò intentionalis, seu *species*, quam lux emittit per medium in oculum, lumen aliud *primarium*, quod causatur directè à corpore luminoso, vel reflectitur à corpore terso, & polito, ut sunt speculum, argentum, aurum, &c. aliud *secundarium*, quod causatur à primario reflexu à corpore non terso, nec polito, sed aspero, & commiscetur tenebris, & facit umbram: uno verbo *lumen primarium est species lucis gignentis immediata*; lumen *secundarium est species luminis primarii*. Umbra differt à tenebra, quod hæc prorsus excludit utrumque lumen, illa verò excludit *primarium*, non *secundarium*.

Lu-

[1] 1.*d*.23.*q*.*un*.*n*.4. [2] *ibid*.*n*.2.

Lumen solet definiri à Philosopho *actus perspicui, ut perspicuum est*. Porro *perspicuum* est corpus transparens non coloratum ex se, sed aptum recipiendis coloribus, duplex est; *interminatum*, quod est transparens, seu diaphanum, seu pellucidum, quia visus, nec lumen in illius extremitate, vel parte subsistit, sed totum pervadit, & pertransit, ut aer, aqua, vitrum, &c. & *terminatum*, quod in extima tantùm superficie lumen suscipit, ac visum terminat ob opacitatem, & densitatem, ut speculum prius dicitur in potentia, quandiu lumine non illustratur. Sensus ergo definitionis est, quòd lumen est actus, seu forma corporis transparentis, ut transparens est. Quædam sunt *perspicua*, & *lucida* simul, ut ignis, quædam sunt *perspicua*, sed *lucida ab extrinseco*, & per accidens, ut vitrum, & aer. Quædam etiam sunt *se totis perlucida*, & *interminata*, ut aer, quædam magna ex parte *perlucida*, & secundum aliquam *opaca*, ut specula.

Color est *qualitas secunda consequens complexionem corporis colorati veniens ex varia commixtione primarum qualitatum realiter inhærens corpori terminato, & à qua illud dicitur coloratum*. Brevius [1] describitur, *motivum perspicui in actu*; vel *terminus, seu extremitas perspicui in corpore terminato*. Alius est *apparens*, qui non permanet diu in subjecto, nec semper, nec undique apparet idem, ut sunt colores iridis, & colli collumbæ. Alius verus, qui permanet in subjecto, & undique, & ubique apparet idem. Quæstio est, an veri colores distinguantur à lumine.

CONCLUSIO. I.

LUx *formaliter non est corpus, nec forma substantialis, sed qualitas; lumen verò est qualitas intentionalis realis; seu species visibilis lucis*; Est communis quoad 1. & 2. & 3. partem, & Scotistarum quoad 4.

Prob. 1. pars ex Scoto: [2] *lux*, inquit, *non potest poni substantia, quia est per se sensibilis, non sic substantia*, ergo, &c.

Prob. 2. ex eodem. Lux in igne est accidens, idem est

[1] *L. de sensu. & sens. c. 3.* [2] *2. d. 13. A. n. 2.*

est à fortiori de aere, & aqua; ergo in nullo est substantia, *quod enim verè est per se existens, nulli accidit;* ex Phil. seu *quod de se est semel aptum inhærere, est de se accidens,* ut patet ex definitione receptissima accidentis. Prob. ant. si lux in igne esset forma substantialis, esset forma specifica, & constitutiva ejus vel aliqua alia inferior, sed neutrum dici potest; ergo non est forma substantialis ignis. Prob. min. 1. si esset forma specifica ignis, omnes ignes essent lucidi, & omnia lucida essent ignes, & ejusdem speciei, quia constarent eadem forma specifica scilicet luce, sed utrumque falsum est, ergo lux non est forma specifica ignis. 2. si lux esset forma substantialis imperfectior, quàm forma ejus specifica (præterquam quod hoc gratis diceretur, quia sola viventia habere dicuntur plures formas substantiales) corpora cęlestia haberent formam aliquam substantialem imperfectiorem corporibus terrestribus, nempe, formam lucis, quod etiam absurdum est.

Prob. 2. pars ex eodem. [1] probabile est, *aliquam qualitatem activam sequi ad formas substantiales corporum cęlestium, sicut ad formas corporum sublunarium:* sed nulla talis qualitas potest meliùs assignari, quàm lux, ergo lux est qualitas.

Prob. 2. quia non est substantia, ut probatum est, nec quantitas, ergo est qualitas. Prob. ant. nam quantitas est impenetrabilis, & habet partes extra partes, & nec substantia, nec quantitas suscipiunt magis & minus, intendi verò, & remitti sunt proprietates qualitatis, sed hæ proprietates conveniunt luci, ergo lux est qualitas.

Prob. 3. [2] *de lumine;* lumen, inquit Scotus, *non est substantia completa, hoc est per se subsistens, quia nec spiritualis; cùm sit extensibilis; nec corporalis; quia tunc duo corpora essent simul*, naturaliter, *est enim lumen cum toto aere: nec oportet aerem moveri localiter adveniente lumine, & non moveri recedente, vel non adveniente lumine. Nec etiam lumen est forma substantialis, quia illud, cui advenit, manet perfectum in specie sua illo recedente, & patet de aere quandoque illuminato, & quandoque tenebroso; Denique nec est materia, ut patet, nec aliquid pertinens ad genus substantiæ,*

[1] *Ibid.* [2] *Ibid. B. n. 3.*

tiæ, nec est verisimile, quòd pertineat ad aliud genus, præterquam ad genus qualitatis; ergo lumen non est substantia, sed pura qualitas.

Prob. 4. pars ex eodem. [1] Dico inquit, *quod lumen propriè est intentio* (quatenus id dicitur intentio, quod est ratio tendendi in alterum, cujus est propria similitudo) *sive species sensibilis lucis*, quod prob. 1. quia si non esset intentio, tunc positum supra sensum prohiberet sensum, quia, quod est tantum sensibile, & non ratio sentiendi, si ponatur supra sensum, impedit sensationem, quia sensibile positum supra sensum non sentitur; ergo lumen positum supra oculum impediret visionem, sed hoc est falsum, & contra experientiam; ergo lumen est qualitas intentionalis, seu species lucis, patet ex quæst. præcedenti, quòd lumen debeat esse in oculo, ut videat, & recipiat species colorum.

Prob. 2. quia lumen habet omnes conditiones veræ speciei impressæ à luce, ergo est vera species lucis. Prob. ant. 1. dependet in esse, & fieri à luce, ut patet. 2. caret contrario. 3. producitur instantaneè. 4. deservit, & necessariò concurrit ad visionem lucis, ergo habet omnes conditiones speciei.

Prob. 3. vulgari axiomate, quia nulla est necessitas multiplicandi qualitates reales, & tribuendi alias species intentionales lucis præter lumen, ergo cum in lumine sint omnes conditiones speciei, ita dicendum est. Ant. patebit solutione objectionum.

Prob. specialiter contra Atomistas. 1. quia si *atomi*, seu *effluxiones substantiales* non sunt per se sensibiles per lumen, ergo lumen est qualitas aliqua distincta à corpusculis illis substantialibus. Ant. patet, si enim essent per se sensibiles, semper viderentur, aut sentirentur, non videntur autem semper, imò ut substantiales non videntur. Prob. conf. quod de se est indeterminatum ad aliquam actionem, debet determinari per aliquid ab extra, sed *atomi*, seu *corpuscula substantialia* sunt de se, & secundum præcisam rationem substantiæ indeterminatæ ad causandam visionem; ergo debent determinari ad hoc per aliquid ab extra, ergo per lumen, quod est quid extra substantiam, & accidens superadditum. Prob. min. nam illa corpuscula sa-

[1] *Ibid. c. n. 4.*

se non causant visionem, sed vel aliquam aliam sensationem, vel nullam.

Confir. quia sunt ejusdem rationis cum substantia à qua effluunt v.g. cum substantia ignis, vel sydreris; ergo si substantia illa per se non causat visionem, gustum, tactum; &c. neque illa corpuscula secundum rationem suam substantiæ illam non causabunt.

Prob.2. quia, si per illa corpuscula fieret visio, non perciperetur distantia, neque situs, & ubicatio objecti visi, sed visus percipit distantiam, & ubicationem, & situm objecti; ergo aliunde venit visio. Prob. maj. odoratus non percipit distantiam, nec situm objecti, quia odor infertur per tales effluxiones, & sic odoratum sentitur semper ut præsens, non ut absens.

Prob.3. quia incredibile est, quod ab objecto undique, & continuò tot particulæ, & corpuscula effluant, ut undique, & ab innumeris videri possint, ergo imaginaria est illa opinio de natura luminis.

Objic.1.contra 1.& 4.partem, sine atomorum influxu non potest explicari, quid sit illa qualitas distincta à substantia, neque quomodo tam longè à subjecto proprio trajici possit, ergo non debet dici esse qualitas, sed substantia subtilissima ex corpusculis imperceptibilibus coalescens.

Resp.neg. ant. imò explicari non potest, quomodo corpuscula, & atomi impalpabiles possint conflare corpus perceptibile, nec quomodo tanta copia, & tam cito, imò in instanti, possint emitti à sole, quin ipse exhauriatur. Idem est de aliis lucidis cum proportione.

Objic.2. plura tribuuntur luci, & lumini, quæ convenire non possunt nisi corporibus; ergo lux est corpus substantiale. Prob. ant. 1. tribuitur luci *reflexio, refractio, addensatio*, &c. 2. lux in ore camini impedit transitum fumi. 3. intenti fervido lumini retinent imaginem rei visæ, postquam disparuit. 4. solis umbra videtur tremere ex corpusculorum motu. 5. in vitreo vase ad solem posito, & benè obturato volitant minuta corpuscula, quæ radiis per vas immissis agitantur, sed hæc omnia non conveniunt nisi corporali substantiæ; ergo lux est substantia corporea.

Respondeo quidquid sit de ant. & illis experientiis,

neg.

neg. min. nam 1. *reflexio*, & *refractio* conveniunt aliis qualitatibus, imo etiam difficillima est in sententia adversariorum, quomodo enim atomi, & corpuscula resilire possunt, quandiu nova semper, & nova immittantur directè à luminoso, nisi cum illis penetrentur resilientes. 2. nego, fumum impediri à lumine in ore camini, sed ab aliquo vento, quem radii excitant per spiritus igneos. 3. diximus etiam non videri propriè objectum absens. 4. Tremor umbræ venit à motu subjectorum luminis refracti, quæ sic agitantur cum obscuris. 5. motus verò corpusculorum in vase venit ex calore rarefaciente aerem internum, & attrahente illa.

Objic. 3. lumen collectum, & addensatum in vitro, vel speculo concavo generat ignem, ergo est substantia corporea, nam accidens non generat substantiam.

Resp. neg. ant. non enim generatur à lumine, sed à particulis ignis aerem penetrantibus, & cum lumine collectis, & intensiori lumine simul cum calore, & sic intenditur quoque activitas earum.

Objic. 1. contra 4. part. lumen habet effectus reales; ergo est qualitas realis, non verò intentionalis, prob. ant. quia lumen videtur, denominat medium luminosum, producit calorem; lædit oculum, sed hi omnes effectus sunt reales; ergo lumen habet effectus reales.

Resp. neg. conseq. neque enim repugnant qualitati intentionali quicumque effectus reales, cùm & ipsa sit quoque realis, ut diximus, visio est effectus realis, & species impressæ objecti, & luminis verè influunt cum oculo in visionem. Lumen etiam denominat subjectum omne, in quo est luminosum. Quære, nonne species soni alterant auditum? quare species lucis intensiores non lædent oculum? quantum autem ad calorem, nego illum esse præcisè à lumine, sed est à corpore lucido, quod etiam est virtualiter calidum, & causat calorem, ac immittit illum simul cum lumine.

Inst. species non videntur, sed faciunt videre, & sunt ratio videndi, sed lumen ipsum videtur, ergo non est species, sed qualitas realis.

Resp. dist. maj. species ipsæ, quæ sunt in oculo, conc

maj. & neg.min. species, quæ sunt in alio subjecto, v. g. lumen in aere, aut speculo, neg. maj.& conseq. species, quæ relucet in speculo, videtur, ita & lumen.

Inst. Lumen esset in duplici ordine, esset in ordine naturali, & intentionali, sed hoc est naturaliter impossibile; ergo lumen, si esset species, non posset videri, nec habere effectus reales. Prob.min. si res eadem posset pertinere ad diversos ordines, species saporis posset videri, & species visiva posset gustari, quod est absurdum, & impossibile.

Resp. dist.maj. Esset in duplici ordine sub duplici formalitate; conc. maj. & neg. min. sub eadem neg. maj.& conseq. esset in ordine naturali, & reali sub formalitate qualitatis veræ, & in intentionali, pro ut est ratio videndi, sicut v. g. eadem hedera, idem fumus est in ordine naturali, & Physico [1] ut planta, & in ordine intentionali, & morali, ut signum vini vendibilis.

Objic.2. Si lumen esset species solis, videretur sol ab oculo ex omni parte medii illuminati, & in omni situ suo, nam oculus habens speciem objecti etiam à tergo existentis illud videt, ut patet in speculo, in quo videtur paries à tergo videntis existens, sed conseq. est falsum, & contra experientiam, ergo & falsum est lumen esse speciem solis.

Resp. neg. maj. & dist. rationem ejus, si objectum ipsum causet speciē reflexam in oculū conc. maj. Si aliunde causetur n.maj.paries causat directè speciē sui, quæ reflectitur à speculo in oculum videntis: sol autem non semper sic causat lumen, unde major est vera de lumine primario, quod directè causatur à sole, non verò de lumine secundario, quod non sic causatur, & ideo in isto non potest videri sol.

CONCLUSIO II.

Color verus, & realis, & fixus est qualitas distincta à luce, & lumine.

Prob. 1. *ex Scoto* [2] docente, quod natura *absoluta coloris manet eadem in tenebris, tamen non est ibi visibilis proximè, sed remotè sine luce, qua debet concurrere cum illo ad visionem;* & ubique distinguit species colorum à speciebus lucis, nam species lucis est naturali-

[1] *Scotus cit.* [2] *quodl. 15. R. n. 19.*

raliter prior specie coloris, *& eandem habet conditionem lumen, quam habent aliæ species colorum principales, quantum ad videri.* [1]

Prob. 2. experientiis multis, quibus constat oculum discernere lucem à colore, & lucem remitti, variari, & extingui remanente semper colore, & colores pati inter se contrarietatem, albedo enim opponitur nigredini, & unus color alterum alterat, & immutat, quod non facit lumen, denique color positus supra oculum immediatè impedit visum, lumen verò juvat, ergo lumen, & color penitùs differunt.

Dices, has differentias venire à materia, non à forma lucis.

Contra, videmus duo corpora ejusdem densitatis, & opacitatis, ac temperamenti, quæ diversos habēt colores, ergo diversitas colorū nō venit præcisè à materia.

Objic. 1. ex Philosopho [2] color est, *quod actu moves perspicuum, quod est extremitas perspicui in corpore terminato; lumen quodammodo facit, ut qui sunt potentiâ colores, sint actu colores*, &c. & Scotus ipse videtur dubius, *si una qualitas est sensibilis in tali corpore, & in ipsa virtualiter continet duo repræsentativa; color enim quodammodo continet lucem; cùm sit lux in corpore terminato, & ideo in alio, & alio lumine causat diversa repræsentativa*; ergo ex Philosopho, & Scoto color, & lux sunt una realiter qualitas.

Resp. neg. conseq. nam nec Arist. nec Scotus id docent, ille vult tantùm, quod color alterat perspicuum potentia, lumen verò actu, quia color non est proximè visibilis sine luce, & cùm dicit colorem esse extremitatem perspicui, loquitur de colore apparente, nos autem de colore vero, reali, ac permanente. Idem est de Scoto, imò ibidem expresſè docet colorem, & lucem esse duas qualitates, *vel duæ sunt qualitates in eodem corpore, ut lux, & color*, &c. non dicit, quod color sit lux, sed quod *quodammodo continet lucem*.

Objic. 2. colores in iride, in collo columbæ, in cauda pavonum, nihil aliud sunt, quàm lumen diversimodè terminatum, & reflexum in illis, ergo idem est de omnibus aliis coloribus.

R 5 Resp.

[1] 2.d.3.C.n 4.& 8.& 10. [2] 2.de An.67.& 3.de An.38.& de sen,& sens.1.3.q.d.n.6.B.n.7.

Resp. neg. conf. quia illi colores sunt tantùm apparentes, & aliter videntur variato situ luminis, aut videntis, aut subjecti, non ita est de veris, & fixis, de quibus loquimur. Negari etiam posset ant. nam licèt magis dependeant à luce, quàm fixi, tamen ab illa distinguuntur, & nisi haberent aliquid distinctum ex se, ubique in illis rebus apparerent iidem.

Objicies 3 absente luce omnis color abscedit, ergo idem est de omnibus. prob. ant. ex illo poetæ prophani [1] *rebus nox abstulit atra colorem*, & sacri, dicentis [2] *rebusque jam color redit vultu nitentis syderis*.

Resp. dist. ant. color abscedit quoad apparitionem, & visionem conc. ant. color in potentia, & formaliter. neg. ant. & illud volunt poetæ illi, non istud.

Objicies 3. color albus non differt à luce, ideo enim visum debilitat, quia plus habet lucis, ergo idem est de aliis.

Resp. 1. neg. ant. color enim albus, seu candor persimilior est luci, sed non est lux. 2. hinc sequeretur nigredinem, quæ est verus color, & opponitur albo, distingui à luce, quod sufficeret nobis.

Dixi autem maximè color verus, & fixus, quia de isto minor est ratio dubitandi, nec enim video, cur alii etiam colores, qui dicuntur apparentes, & vagi, non habeant etiam aliquod reale, & distinctum à luce: id patet de colore transeunte, qui potest undique idem videri, ut color rubeus, aut alius, qui causatur in pariete, dum lux transit per vitrum rubrum, aut viride, sic enim colores tàm sunt reales, & veri, quàm alii quicumque, saltem intentionaliter, sunt species veri coloris. Alii etiam participant rationem, saltem genericam, coloris, quia tam vividi apparent, quàm alii, easdem oppositiones, & proprietates habent cum aliis, similes visions, & species causant cum fixis, sensus eos non distinguit à fixis, &c. ergo tam distinguuntur à lumine, quamvis ab illo plus dependeant.

Plura de visu, lumine, & colore possent hìc adverti, quæ ad opticos, & perspectivos remittimus, brevitati justæ, quam nobis proposuimus, consulentes. Plures quæstiunculas curiosas de visu, & coloribus habet Mastrius, [3].

QUÆ-

[1] *Virgil.* [2] *Eccl.* [3] *Disp. 5. n. 218.*

QUÆSTIO III.

De Auditu, & sono, & voce.

POst visum sequitur *auditus*, qui dicitur sensus disciplinæ, *est enim facultas percipiendi sonum*, & per consequens *verba disciplinæ*. Examinamus hic sensorium, seu organum ejus, & objectum, supponentes ejus existentiam, de qua surdi soli dubitare possunt.

Sedes auditus agnoscitur in capite, & quidem in auribus, quæ sunt duo ejus organa externa. *Auris* autem structura est ex cartilagine striata, & concava, non nimis dura, ne frangatur, nec molli, ne facilè confundatur, prominet aliquantulum extra caput, velut interioris sensorii defensorium, variis anfractibus munita, per quos sonus variè fractus ad auditus organum transmittitur, & in his paululum retardatur, ne inopina, & vehementior illius actio lædat istud, & per advenientem turbetur receptus, antequam species ejus ad cerebrum pervenerint ad sensationem. Anfractus terminantur ad cavitatem effossam in *osse arido*, & duro, quod *petrosum* dicitur, & in illa concavitate continetur *aer implantatus*, seu substantia quædam viscosa, & humida, quæ ob similitudinem quandam aeris dicitur *aer innatus*, seu *vitalis*, seu *implantatus*, tympano, seu *Miringa* obvolutus. Quidam ibidem volunt esse aliam partem elementari aere plenam, quæ, dum intro comprimitur, sonum edit ad modum bombi. Ad foramen *ossis petrosi* protenditur membrana instar *tympani* dura, & sicca, & in oscitatione præter naturam tenditur, adeo ut si tangatur, fiat læsio, & cùm tangitur, vicinæ partes dissiliunt, ideò cadit humor tussim excitans. Tenuis est, ut aer resonare possit, sicca verò, ut ex incudis, & mallei percussione resonet, & non rumpatur, qui eam à nativitate habent crassiorem, difficulter audiunt, & idem est, si quid crassioris humoris adhæreat. Vocatur *Tympanum*, seu *miringa*, & sustentatur tribus ossiculis, quorum 1. dicitur *Malleus*. 2. *Incus*. 3. *Stapes*, & in cavitate *tympani* degunt, sequitur *labyrinthus*, scilicet os

plurimis foraminibus variè inter se occurrentibus, & multis obliquitatibus constans instar labyrinthi. Et tandem alia cavitas dicta, *coclea*; quia quibusdam spiris, ac gyris instar cocleæ prædita, & in medio ejus à cerebro mittitur *nervus auditorius*, per quem ab illo veniunt in auditum spiritus animales, & ab auditu deferuntur in cerebrum species soni.

Quæritur quænam ex his partibus sit proprium organum auditus, & quodnam sit ejus objectum.

CONCLUSIO I.

A *Uditio fit principaliter in aere vitali; qui in tympano recluditur*. Est communior.

Prob. quia illa videtur aptior excipiendis speciebus soni, ergo ibi fit auditio. prob. ant. quia sonus fit in substantia fluida, quæ facilè moveatur; sed talis est aer ille, ergo ille est aptior. Sicut diximus de organo visus in crystalloide, qui est humor huic similis.

Prob. 2. quia in nulla alia parte potest meliùs poni sensorium visus, quàm in ista. 1. non in ossiculis, ut volunt aliqui; quia illa non continuantur inter se immediatè. 2. Nec in nervis ob eandem rationem, & propter eas, quæ dedimus de nervis opticis, destinantur siquidem deferendis spiritibus, & speciebus. Nec 3. in spiritibus, quia non sunt stabiles. Non 4. in membrana, hæc enim continendis humoribus nata est, sicut diximus de membranis oculi.

Objic. organum sensus debet esse pars animata, sed ille aer non est animatus, ergo non est organum visus. Prob. min. ille aer est elementaris, aut alterius naturæ. Sed neutrum vivit; ergo ille aer non vivit.

Resp. neg. min. & ad prob. dico illum esse humorem dictum aerem ob quandam analogiam, & similitudinem cum aere, & eadem est ratio, ac de humore Crystallino oculi. nutritur autem à spiritibus, qui veniunt à cerebro per nervos.

Dixi *principaliter*, quia juvant etiam reliquæ omnes partes, nec enim ulla est inutilis, sed omnes sunt famulantes, & adjutrices.

CON-

CONCLUSIO II.

Sonus est qualitas sensibilis per auditum, ideoque recte ponitur objectum adaequatum formale auditus.

Prob. 1. ex Scoto, [1] & Philosopho, qui prima objecta potentiarum assignarunt *aliqua absoluta*, *puta*, *visus*, *colorem*, *auditus*, *sonum*, &c.

Prob. 1. pars, quia non potest melius explicari natura soni, quantùm à nobis debet cognosci, & distingui ab aliis qualitatibus. 1. *qualitas sensibilis* ponitur loco generis, sic enim convenit cum aliis: 2. per *auditum* ponitur ut differentia formalis, & constitutiva soni.

Prob. 2. pars, quia omnis sonus percipitur per auditum, & nulla alia qualitas percipitur hoc sensu, ergo sonus est objectum ejus formale proprium, & adæquatum.

Objic. 1. contra 1. partem, ex Philosopho sonus est motus resilientis medii, sed motus non est qualitas, ergo nec sonus.

Resp. dist. maj. est motus causaliter, conc. maj. formaliter, neg. maj. est causaliter motus, quia causatur à motu, non quidem directè, & per se, sed velut à conditione applicante causam, nam sonantia applicantur per motum.

Objic. 2. Sonus non denominat subjectum suum, ergo non est qualitas: omnis enim qualitas denominat subjectum suum.

Resp. neg. ant. Nam denominat suo modo, & secundum quod Philosophi instituerunt voces ad significandum affectiones soni: negari etiam potest conseq. non enim omnis qualitas denominat subjectum, species v. g. non denominant medium, nec subjectum, in quo sunt, & idem est generaliter de qualitatibus intentionalibus, ut sunt species colorum, odorum, gustuum, &c.

CON-

[1] *2.d.3.q.3.E.n.6.*

CONCLUSIO III.

Causa efficiens soni sunt corpora percutientia, subjectiva, seu materialis est medium, & præcipue aer, & defertur ad organum aliquando realiter, sæpius intentionaliter tantùm, & per species.

Prob. 1. ex Scoto [1] saltem quoad 3. partem. *Aliquando sensus immutatur tantùm intentionaliter, aliquando cum hoc naturaliter, si 1. modo est visus, si 2. modo, aut est transmutatio naturalis ex parte objecti, & fit mediante motu locali, & sic est auditus, qui immutatur à sono se multiplicante in aere usque ad auditum mediante motu locali.* Habes 1. sonum causari mediante motu. 2. sonum recipi in aere, in quo se multiplicat, & 3. sonum immutare organum aliquando realiter, & per suam entitatem realem, aliquando intentionaliter, & per speciem, nam immutationem per entitatem realem objecti vocat *naturalem*, per species autem vocat *intentionalem*.

Prob. 1. pars ex communi descriptione soni per causam. Dicitur enim *qualitas sensibilis resultans ex percussione duorum corporum, & medii resilientia*, unde conveniunt omnes quod ad sonum, concurrunt tria corpora realiter distincta, licet non semper discontinua, nempe duo collisa, seu compercussa, & medium, in quo recipitur sonus, illa duo debent esse dura, medium verò molle, & flexibile, ut aer, aut aqua, aut ignis, quod constat etiam experientia, non enim videmus aliter excitari sonum.

Dico *tria corpora distincta, sed non semper discontinuata*, nam quando percutitur aer, aut aqua, excitatur sonus, & corpus percussum non est discontinuatum à medio, seu à vehiculo, & subjecto soni, idem est, quando rumpitur lignum, aut laceratur pannus, vel carta, fit quidem fragor, & sonus inter partes, quæ sic dividuntur, & erant continuæ, quando verò colliduntur duo saxa, concurrunt tria discontinuata, nempe illa duo saxa, & aer medius, in quo recipitur sonus.

Quò duriora sunt percutientia, & magis polita, eò perfectior fit sonus, quia sic faciliùs extrahitur aer: si ve-

[1] *De An. q. 6. n. 3.*

si verò sunt mollia, aspera, & inæqualia, hæret, & retinetur in cavitatibus, nec benè totus extruditur; item si sint concava, perfectior cietur sonus, quia aer ibi inclusus sæpius repercutitur ad latera corporis percussi, ut patet de organis, tympanis, & campanis.

Prob. 2. pars; nam medium seu subjectum, in quo recipitur sonus, debet esse molle, divisu facile, & quod possit pelli violenter, & resilire, sed talis est præ cæteris aer, ergo est medium maximè aptum sono excipiendo. Dico *maximè*, nec enim video negari posse, quin etiam sonus recipiatur in aqua, & igne, nam pisces audiunt, auditur sonus lapidum sub aquis, atque etiam in igne, sed imperfectior est illo, qui auditur in aere.

Prob. 3. pars. Nam, quando sonus excitatur prope organum, nihil prohibet, quin ipsemet secundum esse suum reale audiatur, & immutet illud: v. g. cum quis loquitur alteri ad aurem, sed quando sonus excitatur à longe, id dici non potest, nec probabile est entitatem soni realiter multiplicari, sicut à mille personis audiri possit, ergo ordinariè sonus defertur per species.

Prob. 2. Quod non semper deferatur nisi per species, quia ille sonus, qui defertur ad aures, est ille, qui primò producitur ex collisione corporum, vel aliis, sed neutrum dici potest, ergo non defertur secundum esse reale: prob. min. 1. non est ille primò productus, qui non potest deferri, nisi cum aere, in quo fuit productus, aliqui migraret de subjecto in subjectum, sed non sic defertur, ergo non defertur primo productus. Prob. min. aer medius, in quo sonus productus est, non est tantus, ut possit deferri per totam circumviciniam, v. g. aer exiens ab ore concionatoris per totum templum ad omnium circumstantium aures. Præterea, si aer ipse sic deferretur, non posset percipi sonus distans, sed semper, ut immediatè præsens, quod est contra experientiam. Prob. prima illa min: quoad 2. partem, nam si sonus, qui realiter defertur, esset alter productus, deberet assignari causa productiva, & numquam audiretur primus sonus, sed utrumque est falsum, ergo non fit sic auditio, sed per species intentionales.

Objic.

Objic. 1. Arist. & Scotum, [1] ille definit *sonativum esse motum unius continuationis usque ad auditum*, & docet 1. quod sonus prius movet medium, quàm sensum, & id dici non potest de motu intentionali, qui fit in instanti, non autem successivè, & 2. quod plures intra sphæram soni non audiunt eundem numero sonum, quia alius sonus movet aurem unius, & alius aurem alterius: denique Scotus [2] docet sonum se multiplicare in aere usque ad auditum mediante motu locali, sed hæc omnia non conveniunt speciebus intentionalibus, ergo sonus non auditur per species.

Resp. neg. min. & cons. prob. nam Philosophus loquitur de motu intentionali, qui causatur à motu reali sonativorum continuè usque ad auditum mediante motu locali, à quo dependent, nec auditur idem numero à pluribus respectivè, non ad sonum ipsum realem, qui primo producitur, sed ad species, seu sonos intentionales, qui plurificantur intentionaliter ad audientes. Scotus vult solùm, quod species soni propagantur motu locali.

Inst. Species objecti visibilis producuntur, & multiplicantur in instanti, ergo idem esset de speciebus soni, si auditio fieret per species, sicut visio.

Resp. neg. cons. nam & Philosophus, [3] & Scotus ipse dicit, quod non est ita de multiplicatione soni, sicut in lumine, quia multiplicatio soni, quæ fit cum motu locali, necessariò est successiva, non sic illa multiplicatio luminis. Ratio differentiæ petenda est ex natura specifica soni, & lucis, quæ sicut sunt differentes, ita & modus concurrendi ad sensationes proprias.

Objicies 2. Si auditio fieret per species soni immediatè, & non per realem ejus entitatem, ventus non promoveret, aut retardaret auditionem, & multitudo sonorum non impediret auditionem, sed consequens est contra experientiam, nam si ventus deferat ad nos aerem venientem à loquente, vel à sonativo, citiùs, & perfectiùs audimus, quàm si flet in contrariam partem, & cum plures loquuntur simul, non au-

[1] 2. *de An.* 82. & *l.* 2. *de sensu. c.* 7.
[2] *Ubi sup.*
[3] 2. *d.* 2. *q.* 12. *G. n.* 4.

audimus perfectè, & distinctè, ergo & auditio non fit per species soni, sed per ipsum realiter sonum. Prob. maj. nam species non contrariantur, species visus non retardantur, nec promoventur à vento, nec species albi impedit visionem nigri simul.

Resp. neg. maj. & prob. ejus, & disparitas est, & ratio specialis de speciebus soni, quia, ut dicebamus, id eis est particulare, quod dependeant à motu locali in sui propagatione, quod non est verum de speciebus visus, ideo aer, & ventus impediunt, aut promovent motum. Inde etiam est, ut visus præveniat auditum, adeo ut videamus ictum, antequam audiamus sonum. Præterea falsò supponitur multitudinem specierum visus non impedire distinctam visionem singulorum objectorum, quod non venit ex contrarietate specierum, sed ex limitatione potentiæ, scilicet, *pluribus intentus minor est ad singula sensus*.

Quæres de *sono interno*, quomodo fiat? Certum enim est sonum aliquem fieri in ipso sensorio, cujus nulla apparet causa externa, & dicitur sonus internus, seu *tinnitus aurium*, aliquem verò ab externis causis, & sonativis, & dicitur *sonus externus*.

Respondeo hunc sonum oriri vel ab humore noxio, verbi gratia humiditate nimia ex frigiditate cerebri, quæ descendit abundantiùs in aures, & ibi causat *tinnitum*, & velut *sibilum* quendam, vel ex proprio motu aeris innati in suis cavitatibus, & cocleis, & labyrinthis ex concursu spirituum, unde causatur tenuis quidam *susurrus*, aut sonus, aut si comprimatur, vel obturetur auris, nam tunc præcluditur via sonis externis, ne intrent, & spiritibus internis, ne effluant, & inde moventur intus; primi soni causa mala, & signum malæ dispositionis, non verò secundi.

Quæres 2. unde veniat multiplicatio soni in *Echo*, in quibus audiuntur voces repetitæ bis, aut pluries?

Resp. id venire ex reflexione soni, quia sonus impingit in aliquod corpus concavum, solidum, & politum, ideo resilit pila, & auditur denuò, vel bis, aut pluries, secundū quod illi occurrunt talia corpora. Dico 1.

in

in corpus *concavum*, quia si esset undique planum, sonus dissiparetur, nec resiliret, saltem directè, satis ut posset audiri. 2. *Politum*, quia corpus asperum, & inæquale retineret sonum, ne resiliret. 3. *Durum*, quia corpus molle cederet ictui, & non replicaret sonum. Debet etiam esse rationabilis distantia inter primum sonativum, & corpus reflectens, seu *Echo*, & certa positio, qua sonus emissus directè tendat in reflectens, quia si nimium distent, non erit amplius vis in impulsu ad reflexionem, & si fiat sonus à tergo, vel à latere, non ingredietur directè ad cavitatem, ut reflectat, sicut in diversis speculis diversimodè dispositis, & situatis pluries reflectuntur species, & repræsentatur idem objectum. Debet autem in omnibus servari certa distantia, & aspectus speculorum inter se.

Cur autem audiantur plures, aut pauciores voces, & ultimæ, non primæ sillabæ, id venit, quia primariæ, & directivæ voces ex parte loquentis fortiùs movent auditum, quàm reflexæ, unde illæ impediunt, ne istæ audiantur, & qui propius sunt, pauciores audiūt, quàm remotiores, quia ultimæ sillabæ vocis directæ, ut sunt propiores corpori reflectenti, minùs spatium relinquunt reflexis.

Sonus dividitur 1. in *acutum*, & *gravem*, prior fit, cum parum aeris agitatur, sic enim celeriter movetur, alter è contra fit, cum copiosus aer colliditur, & ideo segniùs movetur, ut patet in organis, 2. in *sonum*, *vocem*, & *sermonem*, quæ divisio est generis in species subalternas. *Sonus* est superius genus, deinde *vox*, & denique *sermo*, *sonus* provenit ex qualibet collisione corporum, & sic convenit etiam inanimatis: *vox* est sonus ab animalibus factus, ut animalia sunt, ex imaginatione aliquid significandi, ut latratus canum: *sermo* denique, seu *loquutio* est vox magis articulata, & manifestativa conceptus mentis, & describitur ab Aristotele, *percussio respirati aeris ab anima, quæ est in partibus ad vocatam arteriam cum imaginatione aliqua*. Dicitur 1. *percussio*, quia per illam causatur, nam est sonus causatus percussione aeris. 2. *ab anima*, quæ est in his partibus, scilicet à pulmonibus, & aliis instrumentis, & per hoc distinguitur vox à reliquis sonis etiam animalium. 3. *Cum imaginatione aliqua* ad pleniorem differentiam vocis ab aliis sonis,

quæ

quæ etiam à pulmonibus exeunt, sed sine imaginatione significandi, ideo tussis non est vera vox, licèt à pulmonibus veniat.

Igitur vox solis animalibus convenit, & comprehendit locutionem, & loquelam, quæ est vox articulata, id est aliquot dictionibus intercepta, & modificata, nam vox præcisè est sonus continuus, sermo verò est vox in articulos per litteras, sillabas, & dictiones divisa, & homini propriè convenit, qui sermone proprios animi sensus, & affectus exprimit, & per eum humana societas fovetur.

Dico, *soli homini propriè convenit sermo*, nam etiam animalia suam habent loquelam sive articulatam, ut picæ, & psittaci, sive alio flexu, & tono emissam, quibus diversos affectus exprimunt, alio enim modo efformant vocem, cùm timent, alio cùm irascuntur, alio, cùm blandiuntur. &c. Venator ex latratus diversitate scit, canes modò quærere prædam, modò invenisse, & cepisse, modò temerè vagari, denique canis latratum suum modis, ululatibus, & concisis quasi articulationibus distinguit, unde colligimus diversas ejus affectiones. Uno verbo animalia suo modo loquuntur æquè, ac homines, & utrique. 1. quia per articulationem loquelam efformant, sed illorum articulatio est simplicior, istorum magis composita, scilicet litteris, sillabis, dictionibus, & oratione constat, perficitur, ac politur, ut patet de infantibus, qui ab initio vagiunt, tùm balbutiunt, postea loquuntur distinctè. 2. Belluæ efformant voces, non labiis, & lingua, ut homines, sed in faucibus: illarum loquutio est naturalis, & naturaliter significat, ideo belluæ unius speciei ubique eodem modo loquuntur, & se se naturaliter audiunt, non sic homines, qui diversissimis idiomatibus utuntur, & voces ad placitum significant. At, ut jam monui, propria locutio est hominis, brutorum verò minùs perfecta est, vox in *laringe* formatur, loquela verò in *ore*, *palato*, *lingua*, *& labiis*, aliaque instrumenta adhibentur, tum interna, ut pulmones, musculi intercostales, aspera arteria, larinx, epiglottis, columella, tum exteriora, ut lingua, dentes, & labia, de quibus vide apud Anatomistas.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De olfactu.

Olfactus, seu odoratus tertium locum obtinet inter sensus externos, estque illa viventis facultas, per quam percipit odores, & maximè residet in *naso*, cujus fabricam sic describunt anatomistæ. *Nasus* instrumentum odoratus, faciei ornatus, ingenii, judiciique index mediam faciei partem constituit, ejusque venustatem complet, nam eo deficiente informis est. *Nasus externus* ex ossibus, cartilaginibus, musculis, venis, arteriis nervis, membrana, & cute coalescit: ossa tria, duo lateralia, & medium dividens utrumque narem: reliquum totum est cartilagineum.

Non est totus osseus, ne ictu frangeretur, sed basis est ossea, ut efformentur cavitates: extremitas cartilaginea, ut possint emungi nares, & faciliùs comprimantur, aut dilatentur ad respirationem, & inspirationem ad excipiendos bonos odores, & malos arcendos. *Cartilagines* quinque tribus ossibus respondent, scilicet *Media*, quæ ad *septum*, seu *medium* tendit, duæ superiores laterales dicuntur *adnatæ*, duę inferiores etiam laterales vocantur *alæ*, seu *spinæ*, quæ voluntario motu agitantur exiguorum opera *musculorum*, qui sunt quatuor, duo ad dilatationem, & duo ad contractionem servientes. Venas suscipit à *jugularibus*, arterias à *carotidibus*, quæ sunt in jugulo, & nervos à *tertia conjugatione* cerebri. Duabus cingitur membranis, exteriori, quæ adipe caret, ne crassior evadat nasus, & interiori, quæ crassior est, ut pateant nares, neve caro increscens eas angustet, & ut lubricæ sint in muscosæ alluviei delapsu. Intùs pili nascuntur, qui *vibricæ* vocantur.

Nasus verò interior conflatur 1. osse, quod à multitudine foraminum dicitur *cribrosum*, ab ea parte, qua communicat cum ore, est magis spongiosum, à superiori, qua communicat cum cerebro, est durius, in medio cernitur appendix, quæ dicitur *crista*. Foramina autem deserviunt ad deferendum aerem, & odores in cerebrum, tum ad cerebri expurgationem: Sunt autem exigua valde, ac obliqua, ne corpus ul-

lum

lum ab extra, nec aer impurus facile subeat. Altera vero pars ossis est rara, laxa, fungosa, instar spongiæ, aut pumicis, & ideò dicitur etiam *os spongiosum*. Adsunt in summitate nasi duo parva tubercula ob mamillarum similitudinem dicta *processus mamillares*, vel *papillares*, quibus instat pellicula, seu tunica exanguis, & continuata cum ea, quæ ad palatum, guttur, & linguam extenditur. Adsunt denique duo nervi è cerebro descendentes ad dictas carunculas, per quas veniunt spiritus vitales, & ascendunt species odorum. Quæritur ergo in qua ex tot partibus fiat præcisè sensatio ista? Unde sequitur nasum triplex obire munus, 1. ad respirationem aeris, quem ad cerebrum, & ad cor attrahit, 2. ad excrementa cerebri purganda, ideo apertus, & proclivis est, 3. ad odorandum.

CONCLUSIO I.

Probabilius est sensationem odoratus fieri in processibus mamillaribus.

Prob.1. ex Scoto. Nam *si immutatio, & conformatio, in qua consistit sensatio, fit ex parte objecti mediante motu alterationis; sic est odoratus, qui sentit odorem procedentem ab odorabili, secundum quod est alteratum per calefactionem*: unde organum odoratus debet esse sensitivum, seu capax alterationis ab objecto odorifero: sed nulla ex illis partibus est capacior talis alterationis, quàm *carunculæ mamillares*, ergo ibi fit sensatio. Prob. min. Odor est qualitas, in qua prædominatur calidum, & siccum: illæ carunculæ sunt aliquantulùm humidæ, ac frigidæ, ergo sunt maximè alterabiles ab odore: organum siquidem sensationis debet carere qualitate, per quam alteratur (ut jam diximus) & esse in potentia ad illam, & tales non sunt aliæ partes nasi, ut istæ, unde odorabile ipsum, ut melius possit emittere odorem, debet alterari per calefactionem (inquit Scotus) ideò in hyeme vix sentitur odorabile, maximè si sit congelatum.

Prob.2. Quia nulla aptior pars assignari potest, in qua fiat. Non enim 1. in cerebrum, tum quia illud est commune omnibus sensibus: debet autem isti sensui

par-

particulari assignari organum particulare, sicut cæteris, tum quia in cerebro non sentitur delectatio, nec dolor: tum quia sic sensus iste esset potiùs internus, quàm externus. Non 2. in osse Cribro, tum quia cùm ossa sint sicca, & terrea, & insensibilia, non alterantur à qualitate sicca, ut est odor, tum quia ossa non sunt tactiva, ergo multò minus passiva. Non 3. in nervis, aliter sentiremus odores in extremitate nasi, ad quam illi nervi pertingunt. 4. idem est de membrana per nares extensa. Certum enim est odores sentiri in abditiori parte, quandoquidem necesse est respiremus, ut odoremus, quandiu enim anhelitum cohibemus, nihil sentimus, quamvis nasus sit plenus rebus odoriferis.

Objic. Carunculæ illæ ex cerebro derivantur, & cerebrum recreatur odoribus, ergo, si cerebrum non est capax illius sensationis, ita nec istæ partes.

Resp. neg. conf. Nam licet descendant ex cerebro, non sunt tamen ejusdem cum illo temperamenti, illud siquidem non est animatum, nec sensitivum, sicut istæ partes, & licèt cerebrum odoribus recreetur, non tamen propriè sentit, id fit per impressionem spirituum ad cerebrum per nervos sensorios delatorum.

Inst. Cerebrum est etiam frigidum, & humidum, ergo non differt temperamento à carunculis, ergo nulla solutio.

Resp. conc. ant. Imò est longè frigidius, & ideo ineptum ad sensationem, & præterea non vivit.

CONCLUSIO II.

Odor est totale objectum formale olfactus, estque qualitas sensibilis resultans ex commixtione primarum, prædominante calido, & sicco, deferturque aliquando realiter, aliquando intentionaliter, & per species, idque per aerem, aut aquam.

Prob. 1. ex Scoto citato, nam odoratus *sentit odorem procedentem ab odorabili, secundum quod est alteratum per calefactionem*. Hinc enim sequitur 1. pars de objecto olfactus, & 2. de qualitate, nam substantia non est alterans, & 3. de natura illius qualitatis, in qua prædominatur calor, & per consequens siccitas, & quidem de objecto conveniunt omnes.

Prob.

Prob.2. pars, nam ut diximus, substantia per se non est sensibilis. Quod autem in ea prædominetur siccitas,& calor,patet ex eo,quod nec purè sicca,ut terra, nec purè humida, aut frigida, ut aer, & aqua, & facies emittunt ullum odorem: ergo necesse est,ut in qualitate ista prædominentur quidem calor, & siccitas,non tamen sit purè sicca, nec purè frigida, & humida, sed ex aliqua hujusmodi qualitatum commixtione coalescat.

Prob.3. pars. Quia non videtur negari posse, quin exhalationes odoriferæ exeant à corporibus, pomis, floribus & vino, &c. & deferantur per medium ad organum ipsum olfactus, & ipsum moveant: ergo aliquando realiter odores alterant, & movent sensum, & maximè quando applicantur prope nasum, unde si corpus odorabile contegatur sic, ut non possit evaporare fumum, & vapores, non fit sensatio, ergo signum est,tunc sensationem odoris fieri per realem contactum odoris, quod confir. ex eo, quod sæpe in medio remaneat, & sentiatur odor sublato corpore odorifero, sed hoc non solent facere species intentionales, ergo tunc defertur odor realiter.

Dixi *aliquando*, nam sæpè etiam defertur intentionaliter, ut quando subjectum longiùs distat, tunc enim non potest evaporare tantum fumum, saltem totaliter, ut percipiatur, ergo tunc defertur odor intentionaliter, & per species. Prob. ant. experientia de corvis, & vulturibus, qui ex distantissimis locis percipiunt cadavera. Legitur eos post Bellum Trojanum à 500. milliaribus convenisse ad cadavera, incredibile siquidem est, halitus tam longum tractum replevisse. Item exhalatio sicci, & calidi non fit per aquam ob frigiditatem, & humiditatem, ergo ibi propagatur odor per species tantùm.

Prob. denique 4. pars de medio, nam odores non solùm per aerem, sed etiam per aquas deferuntur, ut patet de piscibus, qui certis odoribus trahuntur.

Objic.1. contra 2. partem, odor nutrit, & conservat animal, ergo non est qualitas, sed substantia. Prob. ant. experientia eorum, qui sustentantur fumo tabaci, aut aliis odoribus, & maximè id dicitur de cerebro.

Resp. dist. ant. & prob. ejus, odor nutrit dispositivè, & ma-

& materialiter, quatenus aliquid substantiæ attrahitur cum vaporibus substantialibus, conc. ant. formaliter, & præcisè per se, neg. ant.

Objic. 2. Liquores plurimi, & flores, ut rosæ, licèt humidi, & frigidi, habent odorem, ergo ibi non prædominantur calor, & siccitas.

Resp. neg. cons. Quia in illis liquoribus, & floribus immiscentur spiritus, & partes calidiores, & sicciores, & secundum illas fragrant.

Objic. 3. Ex Arist. odor est vapor, ergo est substantia.

Resp. dist. ant. est vapor materialiter, & subjectivè, conc. ant. formaliter, neg. ant. nam qualitas illa defertur cum substantia vaporis, sed ipsa non est vapor.

Objic. contra 4 p. Si odor nō semper deferretur realiter, sed per species, ventus non averteret, aut retardaret eorum motum: sed experientia constat, quod flante vento in contrarium, non perveniunt ad sensum, ergo defertur realiter, & non per species.

Resp. neg. maj. Nam ventus aufert sensibile extra sphęram, & sic impedit, ne effundat species, imò hinc arguitur fieri per species, quia ventus impediret totaliter vaporis accessum, & odoris sensum, quod falsum est; nam semper sentitur aliquid odoris, ergo id fit per species.

Objic. 2. Si odor sentiretur per species, perciperetur ejus distantia, ut fit de objecto visus, sed hoc est falsum, & contra experientiam, quia semper percipitur, ut præsens, ergo semper sentitur per seipsum realiter, non per species.

Resp. neg. min. Nam licèt distantia odoris non tam perfectè percipiatur, quia vapores odoris per aliquod spatium deferunt illum realiter, tamen aliquo modo percipitur, saltem quatenus remissus sentitur à longè.

Objic. 3. Species contrariorum sese compatiuntur in eodem organo, ut patet de speciebus nigredinis, & albedinis in eodem oculo: sed duo odores contrarii non sese compatiuntur simul in eodem naso, ergo non sentiuntur per species, sed per se realiter. Prob. min. quia, si duo odorifera contraria adsint, sentitur potiùs odor quidam ex utroque mixtus, & medius; quàm duo distincti.

Resp.

Resp. dist. maj. Si objecta ipsa distinctas emittant species, conc. maj. si non emittant species distinctas, neg. maj. & cons. & disparitas de coloratis, & de odoriferis est, quia colorata non exhalant, nec fumant, & sic species seorsim, & distinctas emittunt, odorifera verò exhalant vapores, qui in medio commiscentur inter se, & sic species ex illis non sunt distinctæ, sed mixtæ sic, ut unus fiat vapor medius, & una species media ex utrisque.

Objic. ex Phil. & Scoto, sensibile positum supra sensum non facit sensationem, sed impedit, ergo odor non defertur realiter ad sensum, sed intentionaliter tantùm.

Resp. ex eodem Scoto, &, ut diximus de auditu, dist. ant. supra sensum visus, conc. ant. quia color non videtur nisi mediante lumine, nam requiritur medium inter oculum, & colorem, & quidem illuminatum, alioqui color, cum sit in opaco, obumbraret oculum, non ita est de aliis sensibus.

CONCLUSIO III.

Odor non multiplicatur in medio per productionem similium odorum, sed per evaporationem, & per species, ita Scotistæ, & alii.

Prob. 1. pars. Quia secundæ qualitates non sunt univocè activæ, seu non producunt sibi similes, ut docetur communiter, sed odor est de secundis qualitatibus, ut patet ex præcedenti, ergo non se multiplicat per talem productionem.

Prob. 2. Odor est qualitas pendens à temperamento subjecti secundum primas qualitates, sed medium odoris non est capax talis temperamenti, quod necessarium est in odorifero, repugnat enim illis calor, & siccitas, ergo in illis non potest produci verus odor. Prob. medium odoris sunt aer, & aqua, sed utrique repugnat, saltem siccitas, quæ prædominatur in odore, ergo non potest odor illis inhærere, & si produceretur simile temperamentum, ita & similis forma mixti, quæ repugnat puro elemento, item simile temperamentum est ex se similiter odoriferum.

Prob. 2. pars experientia, qua constat odorifera per odorum exhalationem flaccescere, & absumi,

patet de thure, & aromatibus, quæ per accensionem fumant, & odorem spargunt.

Prob. 3. pars 1. ex dictis in præcedenti concl. de speciebus. 2. quia vapores odoris non occupant totum spatium, nec aerem, in quo sentitur, alioqui nullus esset aer in toto illo spatio, sed soli vapores, quod absurdum est, ergo in illis partibus spatii, v. g. aulæ, in quibus sentitur odor, & in quibus est aer, vel aqua, non adest odor, nisi per species, ergo tunc multiplicatur per species.

Objic. 1. ex Phil. [1] Aer patitur ab odore, ut redoleat, ergo aer redolens habet in se odorem, sicut habet sonum realiter, sed ille odor non potest produci nisi ab odore rei odoriferæ, ergo odor producit sibi similem.

Resp. dist. maj. patitur intentionaliter ab odore, scilicet per species ejus, aut realiter per vapores, qui illi immiscentur, conc. maj. ab odore realiter sibi inhærente, neg. maj. ratio negati patet ex probationibus.

Inst. Aqua recipiens liquorem odoriferum evadit tota odorifera, sed id non fit per solas species odoris, sed per verum odorem, ergo ita est de aere, &c. utrumque fit per productionem.

Resp. dist. min. per verum odorem ob immixtionem vaporis odoriferi, & simul per species in illis partibus, in quibus non adest vapor, conc. min. per solam præsentiam odoris inhærentis substantiæ aquæ, neg. min. & idem dicimus de aere.

Odores dividuntur in *insuaves*, seu *ingratos*, & *gratos*, seu *suaves*, seu *fragrantes*, illi dicuntur fœtores, isti fragrantiæ, illi oriuntur ex temperie dissentanea, & antipathica olfacienti, isti ex sympathica, & convenienti. Item alii dicuntur *acres*, alii *amari*, alii *acerbi*, &c. sed illæ differentiæ parum curantur, & conveniunt etiam saporibus.

QUÆSTIO V.

De gustu, & saporibus.

GUstus, & *tactus* conveniunt in hoc, quod eorum objecta debeant realiter uniri sensoriis externis, ut

[1] 2. *de An.* 127.

ut sentiantur, & utriusque sensationes causant voluptatem, aut dolorem, differunt tamen 1. objectis formalibus, à quibus specificantur potentiæ, quia *gustus* est de saporibus, non verò tactus. 2. differunt organo, quia ille est in ore, iste per totum corpus extenditur. 3. in modo sentiendi, ille percipit objectum cum humido, non sic *tactus*. 4. *Gustus* ordinatur ad conservationem viventis in interiori, *tactus* ad exteriora, denique possunt separari, & aliquando deficit *gustus* remanente toto tactu, ut patet in ægrotis.

Non dubium, quin organum *Gustus* sit in ore, scilicet ex toto illo spatio, quod à labiis usque ad imas fauces protenditur, in eo sunt *labia*, *dentes*, *palatum*, *lingua*, & *gurgulio*. *Dentes* sunt ossa durissima, intùs cava, venulis, & nervulis prædita, *gingivis* firmiter affixa, & radicata, numero 32. *Palatum* est pars oris superior instar fornicis modicè concava, foraminibus pertusa; per quæ pituita è Cerebro descendit, aliquatenus áspera. *Lingua* in medio residet, estque substantia carnea, rara, & laxa, ut spongia, constat præterea duobus nervis à cerebro derivatis ex 3. & 4. conjugatione, qui ipsam per medium intersecant, diffundentes in latera minutos alios nervos velut ramusculos, terminanturque ad cuspidem. Unus est durior, & crassior, & in linguæ, ac laringis musculos inseritur, movetque linguam, alter mollior ad dignoscendos sapores, nititur ad radicem quodam osse velut basi Y. figuram habente, & faucibus hærente, tunica prætenui, & totum os interius ambiente vestitur, illi siquidem, ac palato communis est. Novem constat musculis, quos media lingua hinc inde dividit, & duabus venis, totidemque arteriis. Denique in radice *linguæ* duæ sunt glandes carneæ, quæ *tonsillæ* vocantur, in quibus generatur saliva. Quæstio est quodnam de illis sit organum gustus, quod ejus objectum, & quid sit sapor, denique quomodo à tactu distinguatur, & ubi iste resideat, quæ breviter decidenda; nec enim in illis ulla est controversia, vel difficultas alicujus momenti.

CONCLUSIO.

GUstus est sensus externus ad percipiendos sapores destinatus, cujus objectum formale est sapor, scilicet qualitas sensibilis ex commixtione primarum resultans, humido aqueo cum calore prædominante; organum verò gustus est tota lingua, sed in nervis externis præcipuè residet.

Prob. ex Scoto. [1] Sapor *fundatur in qualitatibus tangibilibus, ex quibus causatur velut qualitas secunda, & ideo gustus, cujus objectum est sapor, fundatur in tactu, &c. nervus, & vena linguæ secundum aliam, & aliam qualitatem est organum gustus, & tactus.*

De prima parte conveniunt omnes, qui per gustum nihil aliud intelligunt, quàm talem animæ sensitivæ potentiam externam. Idem est de 2. scilicet de objecto ejus: certum est enim, quod gustus solus judicat de sapore, quoad 3. patet ex dictis de aliis sensibus, & qualitatibus, quæ sunt objecta illorum. Dicitur 1. *qualitas sensibilis*, quod ponitur loco generis, per id convenit cum omnibus aliis etiam primis. 2. *ex commixtione primarum qualitatum resultans*, & sic convenit etiam cum aliis secundis, sed differt à primis, 3. *humido aqueo cum calore prædominante*, & sic differt ab odore, & aliis qualitatibus mixtis. Concurrunt autem ad saporem siccitas terrestris, quia sapor debet esse in materia densiori. 2. humiditas aquea, quia aerea facilius evanescit, & sic non convenit sapori, qui est qualitas alimenti, quod debet esse solidius. 3. calor moderatus, quia pura humiditas reddit res potiùs insipidas, sed inter has debet prævalere humiditas, sicut in odore prædominatur siccitas. Calor erit causa efficiens, humidum, & siccum materialis, siccitas, & humiditas prævalens erit formalis, tribuere cibo aliquam jucunditatem, quæ excitet appetitum animalis, est causa finalis.

Prob. de organo, patet experientia, nam licèt in cuspide linguæ, & nervis sensus iste sit magis exquisitus, & perfectus, tamen in tota lingua etiam carnea, imò & in palato versus gurgulionem residet, nam animalia, quæ carent lingua, non tamen carent omni gustu.

Objic.

[1] *q.1.de An. n.5.*

Obiic. contra 3. partem, cineres, piper, & alia alimenta sunt sicca, non verò humida, & tamen sapiunt, ergo malè describitur sapor de humiditate praevalente.

Resp. neg. conf. Quia illa siccitas actualis non impedit, quin sapores veniant communiter ab humiditate. 2. negari potest ant. nec enim cineres, nec piper sunt alimenta propria, nisi humectata.

Porro sapores divisit Philosophus 1. in *dulcem*, & *amarum*, qui sunt contrarii, & extremi. 2. attulit sex medios, 1. est *dulcis*, ut in melle. 2. *amarus*, ut in absynthio. 3. *pinguis*, ut in medulla. 4. *acetosus*, ut in aceto. 5. *austerus*, ut in pomis immaturis. 6. *pōticus*, ut in limonibus, addunt *acutum*, ut in pipere.

Diximus in gustu, sicut nec in tactu necessarias non esse species, sed saporem realiter per se ipsum movere sensum, & concurrere ad sensationem, quia sufficienter per suum esse reale est praesens.

QUAESTIO VI.

De Tactu.

Tactus est dignitate ultimus sensuum, sed necessitate primus, quia prae caeteris distinguit vivens à non vivente, & prae caeteris discernit convenientia ad tuendam vitam à nocivis, & corruptivis. Est primus ordine generationis, vel imperfectionis, vel communitatis, quia est fundamentum aliorum, & communis omnibus habentibus sensum, etiam imperfectum, & per totum corpus animalis diffunditur.

CONCLUSIO.

Tactus est potentia externa animae sensitivae perceptiva qualitatum tactibilium, quae sunt objectum ejus formale adaequatum distincta realiter à gustu, residens principaliter in nervis coextensis corpori toti.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Qui loquitur sēper de tactu in ordine ad qualitates tangibiles, & postquam asseruit, *quòd caro non est organū* (praecipuum) *tactus, sed aliquid extra carnem, vel nervum, vel aliquid loco nervi extensum corpori.* Sic argumentatur, *oportet organū sensuum*

[1] *q. 2. de An. v. 2.*

particularium continuari organo sensus communis, quia iste debet judicare de speciebus receptis in organis sensuum particularium: sed caro non continuatur organo sensus communis, quod est in corde secundum philosophos, vel in cerebro secundum medicos, benè verò *venæ, aut nervi*, ergo non caro per se præcisè, sed nervi sunt organum tactus, & confirmat, quod in carne sunt quidem virtutes, & qualitates naturales, virtutes autem animales fundantur in nervis, & venis, sed virtus tactiva est virtus animalis. Et, ut rem meliùs explicet, addit, *Est quædam caro nervosa, quædam pura, nervosa autem non est tantum medium,*
„ *sed etiam organum*, illi autem nervi coextenduntur
„ toti carni animalis, non quia sunt in qualibet par-
„ te carnis quantumcumque juncta nervis, ita quod
„ non sit pura caro in animali, sed quia juxta, &
„ prope quamlibet partem carnis sunt aliqui ramus-
„ culi nervorum, qui extenduntur per totum corpus
„ ad modum retis, ut patet ad sensum in foliis arbo-
„ rum, per illos autem ramusculos, vel nervos deri-
„ vantur testina à corde, vel cerebro per totum cor-
„ pus, caro autem pura est tantùm medium in tan-
„ gendo. Necessitas autem ponendi sensum tactus,
„ vel organum esse coextensum toti corpori, est, quia
„ qualitates tangibiles possunt agere in quamlibet
„ partem corporis, cum quælibet pars sit mixta ex
„ quatuor elementis, in qua reducuntur ad medium,
„ & per consequens est in potentia ad receptionem,
„ vel passionem naturalem ab excellentiis sensibilium
„ qualitatum, si ergo in una parte non esset organum
„ tactus, discretivum hujusmodi excellentiarum,
„ tunc illa pars posset citò corrumpi ab eis, & simili-
„ ter alia, in qua esset organum ad cognoscenda,
ergo conveniencia ad conservationem animalis, & fugienda nociva, organum tactus est ita extensum, & etiam intrinsecum propter eandem causam, ne corrumpatur ab excellenti tangibili.

Vides in hoc discursu Scoti & naturam tactus, qui est propter qualitates tangibiles, & quomodo istæ sunt objectum ejus, & quare debeat ejus organum coextendi toti corpori, & quod resideat principaliter in partibus nervosis.

Prob. concl. per partes ex illis principiis, & 1. per sen-

sensum tactus omnes intelligunt talem potentiam. 2. quia certum, & evidens etiam est, quod iste sensus respicit omnes qualitates tangibiles, & quod nullus alius eas, ut tales respicit. Dico *ut tales*, nam gustus eas quidem tangit, sed sub ratione saporis, & ut gustabiles, ut mox patebit.

Prob. 3. pars de distinctione ejus à gustu 1. ex dictis à principio quæstionis præcedentis, ubi notavimus differentias, & convenientias utriusque. 2. quia habent diversa objecta, *gustus* est circa secundas qualitates tantum, *tactus* verò etiam, & maximè circa primas. 3. quia habent actus distinctissimos, ergo & ipsi sunt distincti. Prob. ant. nam licèt *gustus* non possit esse sine *tactu*, *tactus* posset esse, & est sæpe sine *gustu*, ut patet de manu, & pede, in quibus est *tactus* sine *gustu*.

Dices, non separantur in lingua, ita ut idem sit ibi organum gustus, & tactus, ergo gustus non distinguitur à tactu.

Resp. neg. conf. nam licèt distinctio realis duorum illorum sensuum non esset mutua respectu linguæ, adhuc esset absolutè realis, saltem non mutua, imò videtur linguam posse esse sine gustu, quamvis non sit sine tactu, saltem in actu 2. nec id repugnat in actu 1.

Prob. 4. pars ex dictis. Nam pars puræ carnis non habet continuationem cum cerebro, vel corde, in quibus potest esse sensus communis internus, ut iste possit recipere species sensationum, & de illis judicare, ideo sunt quidem medium ad sensationes tactivas, non verò organum, ut rectè probat Doctor citatus, ergo organum tactus ponendum est in carne nervosa.

Confir. Nam unus sensus non habet plura organa diversæ rationis, sed caro, & nervi sunt diversæ rationis, ergo ambo non possunt dici organa tactus, si sit unicus sensus.

Prob. denique, quod extendatur per totum corpus tùm ratione allata Scoti, tùm experientia, qua constat omnes partes corporis percipere tangibilia.

Objic. 1. ex Phil. [1] Caro est instrumentum tactus, sicut pupilla visus, ergo tactus est in carne.

Resp. dist. ant. Caro nervosa conc. ant. caro pura neg. ant.

[1] 2. *de part. Anim.* c. 8.

ant. non enim de ista loquitur Arist. sed de nervosa.

Objic.2. caro est pars animata, & quidem vita organica, & sensitiva, ergo in illa est sensus tactus, non enim in illa est visus, nec odoratus, nec gustus, nec auditus. Prob.ant.nã anima sensitiva est organica.

Resp. neg.conf. quia non est necesse, ut anima exerceat omnes operationes suas in omnibus, & singulis partibus animalis, in aliquibus exercet actus solius vegetantis, in aliis sensitivæ, primas exercet in carne pura, & secundas in nervosa, sufficit, quòd pura sit ut medium ad sensationes tactiles, idem dixi, quod *tactus residet principaliter in nervis*, non enim excludo absolutè partes carneas, unde partes carneæ, quæ nervis sunt contiguæ, aut continuæ, seu nervosæ, formaliter, aut virtualiter sunt etiam tactiles, inquit Doctor. [1]

Objic.3. in piscibus non sunt nervi, sed in illis est tactus, ergo tactus non est in nervis.

Resp. dist. maj. non sunt nervi, sed quid æquivalens, conc. maj. non sunt nervi, nec quidquam æquivalens, neg. maj. & conf. in piscibus est aliquid proportionale nervis, quia, dum secantur, apparent ramusculi à spinali medulla prodeuntes, & per totam carnem dispersi, qui sunt vel nervi, vel æquivalent nervis.

Objic.4. experientias, si pungatur caro, vel cutis; sentit. 2. in stomacho, & venis non sunt nervi, & tamen ibi sentitur, ergo soli nervi non sunt organum tactus.

Resp. neg. conf. nam licèt caro, nec pellis sint nervi immediatè, sunt tamen vicini, & partes istæ illos contingunt. In stomacho autem, & venis sunt fibræ, quæ nervis æquivalent.

Quæres *an qualitas tactiva debeat inhærere ipsi potentiæ, an soli objecto externo.*

Resp. Utramque tàm internam, quàm externam sentiri, id patet experientia, nam sentio frigus inhærens manui, etiam accedens ad ignem, & è contra; sentio ignem summè calidum, antequam tantum calorem produxerit in manu mea, ergo sentitur qualitas extrinseca æquè, ac intrinseca.

Quæres 2. *An tactus sentire possit qualitatem externam*

[1] *Ibid.n.4.*

nam æqualem illi, quam habet, seu an qualitas tangibilis debeat excedere qualitatem ejusdem speciei in organo existentem.

Respond. in aliquibus, qualitates æquales, & multò minus interiores non sentiri positivè, in aliis verò sic.

Ratio 1. partis est, quia experimur manum intensè calidam non percipere positivè calorem minorem, aut æqualem alterius, & hoc probat pro primis qualitatibus, quòd non sentiuntur, nisi secundum excellentiam, quam habent supra organum. Certum etiam est, quòd cognoscimus mollitiem minorem in re, quàm sit mollities manus tangentis eam, idem est de gravitate, & levitate, & de aliis secundis qualitatibus, ergo illæ sentiuntur secundum quemlibet gradum.

Dixi, *positivè*, nam negativè possunt discernere rem non esse calidiorem mea manu, & hoc discernere est judicare de intensione qualitatis negativè, nam ordinariè non benè cognoscimus sensu, nisi exuperantias qualitatum.

Quæres 3. *An objectum tactus concurrat per se realiter ad sui sensationem, an verò intentionaliter, & per species.*

Resp. idem à fortiori dicendum de hoc sensu, ac de præcedenti, quem diximus fundari in tactu.

Plura, quæ hìc addi possent de sensibus in particulari, petenda sunt ex disputatione præcedenti de anima sensitiva, de potentiis ejus, &c.

DISPUTATIO XI.

De sensibus internis, seu de sensu communi.



Ensus, de quibus egimus disp. præcedenti, dicuntur *externi*, quia organa eorum externè apparēt, & agunt immediatè super objecta externa. Illi, de quibus hìc sumus acturi, dicuntur *interni*, ob contrariam rationē, scilicet quia organa eorum sunt interiora, & non percipiunt objecta immediatè, sed mediantibus sensationibus externis, & quæri potest, an sint, quid, & quot sint, & qui, & quæ sint eorum operationes, &c. dicitur etiam *sensus communis*, quia respondet omnibus, & singulis sensibus externis, cognoscit, ac velut judicat de illorum objectis, ac sensationibus.

QUÆSTIO I.

De existentia, subjecto, seu organo, & objecto sensus interni.

NOmine *sensus interni*, intelligitur illa facultas animæ sensitivæ, qua percipiuntur objecta externa, sive præsentia, sive absentia, & ipsæ sensuum externorum sensationes, & quærimus, an detur hujusmodi sensus distinctus ab ipsis sensibus externis, ubi resideat, quodve sit ejus organum.

CONCLUSIO I.

P*Ræter quinque sensus externos admittendus internus, & communis residens in medulla cerebri:* Est communis quoad 1. partem, quoad 2. verò est contra aliquos ponentes eum in corde, & alios ponentes eum in meningibus, seu cellulis cerebri.

Prob. 1. pars 1. ex Scoto, [1] secundum philosophum inquit *habentur duæ viæ ad investigandam necessitatem sensus communis, scilicet per duas operationes prædictas, nempe ad cognoscendas sensationes propriorum sensuum, & ad distinctionem propriorum sensibilium.*

Unde sic argumentatur: 1. animal sentit non solùm sensibilia externa, sed etiam sensationes sensuum externorum, sentit enim se videre, tangere, &c. sed hæc sensatio non est ab ullo sensu particulari externo, ergo est à sensu interno, & communi, ergo datur iste sensus. Min. patet; nam sensationes particulares, v. g. visio, odoratio, auditio non sunt objectum ullius sensus externi, visio non est qualitas visibilis, nec tangibilis, nec audibilis. Prob. maj. 1. quia bestia non moveret se, aliquid appetendo, aut fugiendo, nisi se sentire cognosceret, *quod non utique aliquo eorum ex quinque sensuum externorum sentit* (inquit S. August.) 2. quia recordatio est de objecto, ut priùs cognito, sed animalia recordantur doloris, aut delectationis acceptæ, & ideo quærunt, vel fugiunt loca, in quibus delectationem, aut dolorem acceperunt: dolor autem, & delectatio sunt sensationes tactus, ergo

[1] *q. 9. de An. n. 3.*

ergo animalia sentiunt non solùm objecta externa, sed etiam sensationes externas.

Prob.2. ex eodem [1] propter distinctionem sensibilium propriorum, unde sic argumentor: animal discernit inter sensibilia externa, v. g. inter album, & dulce, sed id non facit per ullum ex sensibus externis, nec per intellectum, ergo per sensum internum, & communem, maj. patet experientia, nam brutum eligit unum præ alio, quod non faceret, nisi cognosceret, & discerneret. Prob. min. 1. id non facit per intellectum, quia non habet, 2. non per ullum ex quinque sensibus, quia ut discerneret, & eligeret dulce relicto albo, deberet utrumque cognoscere, & sic tenderet ultra objectum suum, scilicet visio judicaret de gustabili, aut gustus de visibili, ergo illa cognitio, seu discretio non fit nec per intellectum, nec per ullum ex quinque sensibus.

Dices, illam distinctionem fieri per plures sensus externos simul v. g. per visum; & gustum, ergo nulla est ratio fingendi sensum communem ab aliis distinctum.

Contra. Illa discretio fit per unum, & eundem actum, ergo & per unam, eamdemque potentiam, visus autem, & gustus etiam simul sumpti non sunt una potentia.

Confir. concl. experientiis, quibus constat percipi objecta externa, licet sensus externi sint ligati, ut patet in somniis, canes dormientes latrant: bruta noxia fugiunt, & utilia prosequuntur, ut ovis lupum, illæ autem qualitates convenientiæ, & disconvenientiæ non cadunt sub sensus externos particulares, ergo præter 5. externos datur internus, & communis.

Prob.2. p.1. ex Scoto. [2] Qui videtur conciliare Aristotelem cum medicis, potest dici, inquit, *quod sensus communis habet ab alio ortum, & ab alio complementum, quia ortum habet à corde organum sensus communis, sicut & omnia organa sensuum particularium, à corde ad cerebrum procedunt venæ quædam, vel nervi, in quibus originaliter continentur organa omnium sensuum, sed in cerebro faciunt conum, à cerebro autem procedunt nervi ad organa exteriora facientes basim, & sic organum sensus communis habet ortum à*

[1] *Ibid.tit.q.n.3.* [2] *q.7.de An. n.4.*

corde, sed in cerebro habet suum complementum, &c. Quod probat experientia de existente in navi, cui videntur montes ad ripam moveri, & de homine, cui dolet caput ex studio excellenti, quia in capite vires sensitivæ interiores multum laborant, non autem sentit dolorem in corde.

Prob.2. quia non potest assignari aptius organum hujus sensus, quàm medulla cerebri, ergo ita est dicendum. Prob. ant. quia organum sensus, ut sæpè diximus, non debet esse nimis durum, ut possit recipere impressiones specierum, nec nimis fluidum, ut eas possit retinere, sed medulla cerebri talis est potius, quàm cor, nec meninges, ergo non potest assignari aptius organum. Min. prob. quia cordis substantia est solidior, & nervosa, *meninges* sunt duriores, & sunt partes servientes cerebro, & propter cerebrum intentæ, ergo non sunt organa sensus: hæc enim debent esse propter se intenta.

Prob.3. Quia corde immutato mutantur sensationes tàm internæ, quàm externæ, homo existens in navi putat littora moveri motu contrario navis, quod non potest venire à corde, & vehementi studio dolet caput, non cor, & ex sola læsione capitis, illæso corde, debilitatur sensus internus, &c. idem est de meningibus, quia iis læsis non læditur sensus, & è contra. Item cellulæ sunt plures, at sensus est unus, ergo non potest assignari aptius organum, quàm cerebrum.

Objic.1. contra 1. part. Si daretur aliquis sensus communis, omnia cognosceret, & frustra essent particulares, sed hoc est contra nos, ergo & istud. Prob. maj. quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, sed illa cognitio fieret per unum, ergo frustra essent plures.

Resp. neg. maj. & min. prob. nam cognitio, quæ habetur per sensum internum, est perfectior, & plura attingit, quàm ullus ex sensibus, sive seorsim, sive simul, ut patet ex dictis, & sensus communis ex se non potest attingere objecta sensibilia, nisi priùs attingantur ab externis, propter disproportionem.

Inst. Illæ sensationes internæ, & reflexæ non sunt necessariæ animali, ergo non admittendæ, quia superfluæ. Prob. ant. sufficienter habetur per sensus ex-

externos; v. g. sufficienter percipitur dulcedo per gustum, & albedo per visum.

Resp. neg. ant. utrumque, nec enim sufficit, ut animal per gustum sentiat dulcedinem, & albedinem per gustum, & visum, sed requiritur, ut inter illas discernat, & percipiat ipsas sensationes, neutrum verò fit per sensus particulares.

Objic. 2. Sensus multiplicantur per multiplicem modum immutandi, quia diversitas illa postulat diversas dispositiones in organis, sed sensibilia externa habent diversos modos immutandi, aliter enim immutat color, aliter odor, &c. ergo vel non datur sensus ille communis, qui per omnia objecta sensuum externorum immutetur, vel tot erunt interni, quot externi.

Resp. dist. maj. per multiplicem modum immutandi formalem, & adæquatum, conc. maj. & neg. min. per inadæquatum, & immaterialem; neg. maj. modus, quo varia objecta immutant sensus externos, est formalis, & adæquatus respectu illorum, quia singuli sunt limitati ad singula, v. g. visus ad colorata, odoratus ad odores, &c. non ita est de interno, qui cùm sit gradus perfectioris, & ordinis superioris, non esset sic limitatus, & ideo non multiplicatur in ordine ad ipsa.

Inst. Unus, & idem sensus nequit moveri motibus contrariis simul, sed, si sensus communis attingeret omnia sensibilia externa, moveretur contrariè simul; ergo non datur ille sensus communis. Prob. min. plura enim sunt inter se contraria.

Resp. neg. min. & dist. prob. sunt contraria in esse rei conc. min. in esse intentionali, seu cognoscibili, neg. min. calor, & frigus in esse rei sunt contraria, & tamen possunt simul ab eodē intellectu, & phātasia cognosci.

Objic. 3. Singuli sensus externi sufficiunt ad cognoscendos actus proprios; ergo non datur sensus communis, qui tales actus sentiat. Prob. ant. actus visionis est propinquior, & magis applicatus oculo, quàm objectum, mediat enim inter objectum, & oculum, sed oculus sentit objectum; ergo & actū suum à fortiori.

Resp. cum Scoto, [1] neg. ant. & suppositum minoris, nempe, quod major propinquitas, & applicatio inferat à for-

[1] *Ibid. n. 3.*

à fortiori sensationem, nam multi sensus non exigunt inhærentiam objecti in potentia, sed distantiam proportionatam; ut patet de oculo, & diximus sensibile positum supra sensum non facere sensationem, non ergo inde provenit, quod sensus externi non sentiant suos actus, sed quod non sunt reflexivi, nec sentiunt qualitates sibi inhærentes.

Inst. Sensus internus sentit actum suum, alioqui requireretur alius, qui eum sentiret, & de illo judicaret, & sic in infinitũ, ergo & sensus externus sentiet suum, quia uterque est potentia materialis, & organica.

Resp. neg. conseq. & prob. ejus, & disparitas est quia sensus communis est potentia superior, & perfectior virtute aliqua continens alios, quia aliquo modo ab ipsa fluunt, sicut rivuli à fonte, inquit S. August. à sensu enim communi manant spiritus animales in externos, isti suas species emittunt in illum, & communis est paulò magis reflexivus, & ideo sentit se sentire, quod non faciunt alii.

Objic. contra 2. partem. Organum sensus interni debet continuari toti corpori, ut undecumque accipiat species, & communicet spiritus, sed cerebrum non sic continuatur, benè verò cor, ergo cor est organum sensus communis. Prob. min. Si pungatur pes, aut caput, statim cor sentit, & non ita est de cerebro, quod caret sensu tactus, ergo cerebrum non continuatur toti corpori.

Resp. neg. min. & conseq prob. quia cerebrum per medullam spineam, & per nervos, quorum est radix, continuatur toti corpori, & licèt punctiones prius sentiantur in corde propter vicinitatem majorem, & arterias, quæ ad cor pertingunt, tamen etiam sentiuntur in cerebro.

Inst. ex scriptura cogitationes sunt in corde, & ex corde exeunt, non ex cerebro, [1] *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et de corde exeunt cogitationes, ideò sapientes dicuntur *cordati*, insipientes autem *Vecordes*: ergo sensus communis est in corde.

Resp. neg. conseq. Scriptura per *cor* intelligit animam, seu intellectum, qui *est cor spirituale*, & metaphoricè loquitur, sicut & vulgus vocans sapientes *cordatos*, aliter loquuntur Philosophi.

Igi-

[1] *Mat.* 9. & 15.

Igitur, quia diximus, quod ex cerebro descendunt nervi ad singulas partes corporis, & Spiritus animalis per idem ad illas immittit, sic à singulis partibus emittuntur ad cerebrum species, quibus ille immutatur, seu afficitur. Hoc fit hoc modo, inquit Scotus 1. *Sensus proprius à sensibili proprio immutatur. 2. hæc immutatio ad sensum communem terminatur, sicut plures lineæ ductæ à circumferentia ad centrum terminantur. 3. Sensus communis sic immutatus à diversis sensationibus particularibus judicat, & cognoscit actum cujuslibet sensus particularis, & cognoscit differentiam sensibilium propriorum.*

Concl. 2. *Sensus internus non solum percipit actus sensuum externorum, sed etiam ipsa objecta, & negationes, ac privationes, saltem indirectè, non autem omnes res insensatas res sensatæ,* sicut illæ, quæ immediatè, per se, & directè cognoscuntur à sensibus externis, ut lux, color, odor, sapor, & similia, tàm propria, quàm communia, *insensatæ* sunt, quæ ab externis non percipiuntur, sed à solis internis, ut actus sensuum externorum, & internorum, affectiones rerum sensibilium, v. g. convenientiæ, disconvenientiæ, amicitiæ, inimicitiæ, privationes, negationes, &c.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] Ubi docet sensum internum cognoscere differentiam inter objecta sensibilia, v. g. inter album, & dulce, non prout illa sunt *intelligibilia secundum suas differentias quidditativas, quæ pertinent ad intellectum, sed ut sensibilia sunt, quia brutum, in quo non est intellectus, cognoscit eorum differentiam, ut unum alteri præeligat. Ad hoc autem ut potentia aliqua sensitiva cognoscat differentiam aliquam, oportet prius, & ordine naturæ, utrumque absolutè cognoscere, & generaliter loquendo, nulla potentia discernit aliqua, si non cognoscit quodlibet illorum.* Quod autem cognoscat actus sensuum externorum, ibidem [2] docet expressè. *Brutum sentit se sentire*, inquit, *& hoc non per intellectum, quia non habet*, ergo per aliquam potentiam sensitivam, non autem per aliquem sensum particularem, quia nulla potentia organica, ut est super se, & super actum suum reflexiva; ergo sensus particularis non est percepti-

[1] q. 9. de An. n. 3. [2] Ibid. q. 19. n. 2.

ceptivus suæ operationis; ergo communis sensus est tantùm cognoscitivus operationis sensus particularis, seu externi, ergo ex Scoto sensus internus percipit non solùm actus sensuum externorum, sed etiam illorum objecta singula.

Prob. 2. Quia intellectus hæc omnia cognoscit, sed hæc non cognoscit per species immediatè acceptas à sensibus, nec ab objectis externis, ergo hæc percipit sensus internus.

Prob. 2. p. 1. ex eodem. [1] *Visus est perceptivus tenebræ, quando scilicet lux non est præsens, & ideo tunc visus non immutatur.* Quod sic explicat, *visus est tenebræ perceptivus, quia privatio sui objecti est causa non immutationis visus, & sic percipitur tenebra nō à visu, sed ab aliqua potentia utēte privatione actus pro præsentia.*

Prob. 2. Experientia, qua non solum homo cognoscit absentiam lucis, aut aliarū rerum, sed etiam bruta ipsa, canes percipiunt absentiam dominorum, & matres filiorum, &c. Hæc autem non cognoscuntur directè, sed indirectè, & quasi arguitivè (inquit Scotus) cùm enim negationes, & privationes non sint entia, non agunt per se in sensus, nec habent proprias species; [2] *tenebra cognoscitur arguitivè non à visu, sed à potentia sic arguente, oculus respicit, & non est cæcus, nec tamen videt; ergo tenebra est.*

Prob. 3. *pars* 1. *ex Scoto*: nam æstimativa non percipit affectiones nocivi, aut convenientis, quia, inquit, *si maneret ovis in propria natura, & in eodem affectu naturali ad agnum, & mutaretur ovis* (apparenter) *per miraculum, ut esset similis lupo in omnibus accidentibus sensibilibus in colore, figura, sono, motu, &c. agnus fugeret ovem sic mutatam, sicut fugeret lupum, & tamen in ove sic mutata non esset intentio, seu qualitas nocivi, sed proficui, & convenientis*, ergo signum est, nec sensus externos, nec internum percipere illas omnes qualitates insensatas.

Dico, *omnes*, nam operationes sensuum exteriorum percipit, & illa sunt insensata ipsis. Certum etiam est, quod Bruta percipiunt plura, quæ per se non sentiuntur externè, v.g. canis fugit hominem tenentem baculum, aut colligentē lapides, quia aliquando baculo, vel lapide fuit percussus, redit in locū, in quo percepit ali-

[1] 1.d.3.q.3.K.n.9. [2] ibid.

aliquam delectationem, & fugit illum, in quo læsus fuit, &c. Non ergo percipiuntur illæ qualitates insensatæ primò, & per se, & primis actibus, sed secundis, scilicet, post aliquas experientias.

Objic. 1. si sensus internus cognosceret objecta externorum, darentur duæ potentiæ circa idem objectum, Sed consequens est absurdum, ergo sensus internus non percipit objecta externorum. Prob. maj. quia sensus internus est potentia distincta ab externis.

Resp. dist. maj. Duæ potentiæ subordinatæ, conc. maj. & neg.min. disparatæ, & non subordinatæ neg. maj. & conseq. sensus internus dependet ab externis, quoad receptionem specierum ab objectis, illi verò ab isto, quoad communicationem spirituum vitalium, & internus est potentia superior, & perfectior.

Inst. saltem externi essent frustra, quia objecta omnia possent cognosci per unicum internum.

Resp. neg.ant. quia diversimodè percipiuntur ab interno, & ab externis, ut patet ex dictis, & sic non sunt frustra.

Objic.2. sensus internus non est comparativus, ergo non percipit differentias, & convenientias, quia hæc non cognoscuntur sine comparatione rerum inter se, nam differentia, & convenientia sunt comparationes quædam.

Resp.dist.ant. non est comparativus formaliter, & perfectè, conc. ant. imperfectè, & absque formali discursu, neg.ant. & de hoc infra.

Objic. 3. sensus internus etiam in brutis fugit nociva, & prosequitur convenientia; canis fugit baculum, & currit ad benefactorem, & eligit inter objecta, sed hæc fieri non possunt sine cognitione convenientiæ, & disconvenientiæ, appetitus enim non fertur in incognitum; ergo sensus internus percipit convenientias, & disconvenientias.

Resp. dist.maj. ex apprehensione materiali nocivorum, & bonorum; & de naturali quadam sympathia, & antipathia: conc maj. & neg.min.ex formali cognitione convenientiæ, ac disconvenientiæ, neg. maj. & conseq. homines ipsi ex naturali antipathia, vel sympathia horrescunt, & adversantur, vel amant plurima, in ipsis insensatis advertimus ferrum trahi à magnete, & id quidem fit nobiliori modo in brutis,

quàm

quàm in insensatis, & in hominibus, quàm in brutis, sed tamen sæpiùs id accidit in nobis.

Quæres, an *etiam cognoscat proprios actu: suos, ita ut sit reflexivus.*

Resp. cum Scoto [2] probabile esse, quod sic, saltem imperfectè; Ratio est, inquit Scotus, *quod aliqua possunt esse objectum recordationis non solum sensitivæ, sed etiam intellectivæ*, item quia imaginatio *sentit actum proprium, imaginamur enim nos imaginari; & imaginatos fuisse, & somniamus nos somniare, & experimur manifeste. Ita potest dici, quod sensus communis sentit actum proprium secundum aliquem ex his modis*, quia sicut ex actibus sensuum externorum, remanent species illorum, ita & remanent species actuum sensus interni, quæ recurrere possunt, & movere illum, ac immutare, hoc clarius patebit ex dicendis.

QUÆSTIO II.

Qualis, & quotuplex sit sensus internus.

SEptem actus solent tribui sensui interno 1. *discernere* inter objecta externa, judicando unum non esse aliud, & unum ab uno sensu percipi, & aliud ab alio, v. g. colorem à visu, & sonum ab auditu 2. *Phantasiari*, dum objecta jam cognita, & absentia repræsentantur iterum, ut accidit in somno, in quo recurrunt visa, & audita in vigilia. 3. *Imaginari*, ut cum duo objecta distinctis actibus cognita uniuntur in unum quasi compositum, ut cùm ex visis hirco, & cervo fingitur hircocervus; velut unum animal. 4. *æstimare*, cùm res sensata concipitur bona, aut mala, 5. *Memorari*, ut cùm objecta olim cognita, & præterita rursus repræsentantur, qualia visa sunt. 6. *cogitare*, cùm circa objecta cognita hæret meditando, & quasi discurrendo. 7. *reminisci*, quod præter *memorari* importat aliquam illationem unius ex alio. Propter tales actus quæri solet 1. an sint plures potentiæ sensitivæ internæ, à quibus proveniant tales actus, aut saltem tres, aut quatuor, aut quinque ex illis. 2. An sensus internus sit discursivus.

Porrò *judicium* generaliter, & impropriè accipitur pro

[2] *4.d.45.q.3.l.n.17.q.9 de An.n.7.*

pro quacumque notitia certa, etiam rei simplicis, *& hoc modo sensus etiam distinctè apprehendens objectum, vel distinguens objectum ab objecto, ubi fortè requiritur distinctior cognitio, dicitur judicium*, inquit Scotus, [1] & sic sensus communis dicitur judicare de sensibilibus diversorum sensuum, & definitiva cognitio de aliquo potest dici judicium de veritate illius. Sed 2. *magis propriè*; dicitur de vero aliquo complexo, estque *certa apprehensio de aliquo per aliud*, „ nam omne verum complexum (v. g. homo est rationalis) apprehenditur esse verum per aliud, etiam si sit verum immediatum, quia semper judicatur verum per rationes terminorum. 3. *magis propriè* dicitur de vero complexo, quod est conclusio, de qua judicatur nedum per terminos, sed etiam per principia, unde *judicium propriissimè* est actus verè compositivus, aut divisivus, quo potentia apprehensis terminis determinatè judicat hoc esse, vel non esse attingendo distinctè complexionem extremorum. Similiter *discursus propriissimè* est judicium, & illatio rei ignotæ ex alia notiori, ita ut unum judicetur per aliud, & ex alio inferatur. De judicio, & discursu *propriissimè* acceptis est quæstio, an reperiantur in sensu interno.

CONCLUSIO I.

S*Ensus internus non est propriè discursivus, nec judicativus, ne in homine quidem.*

Prob. 1. ex Scoto [2] probante immaterialitatem animæ, quia *experimur, quod assentimur complexionibus sine possibilitate contradicendi, vel errandi, ut pote primis principiis, & quod cognoscimus ignotum ex noto per discursum, ita quòd non possumus dissentire evidentiæ discursus, nec cognitionis illatæ, sed quodcumque istorum cognoscere est impossibile alicui sensitivæ potentiæ*, qualis est sensus internus, ergo ex hoc potentia sensitiva interna non est discursiva, nec judicativa propriè, & alibi dicit, [3] *licet in brutis sit appetitus sensitivus, non tamen est particeps rationis in eis*, ergo non ratiocinatur, nec discurrit propriè.

Prob.

[1] 4.d 47.q.1 A.n.3. [1] 4.d.43.q.2.F.n.10.& 11.
[3] 2.d.42.q.4.R.n.19.

Prob. 1. *ex Arist.* [1] dicente compositionem, divisionem, & discursum esse munera propria intellectui, & ex scrip. [2] dicente hominem esse rationalem, bruta vero *irrationabilia pecora*; unde rationalitas est propria differentia hominis.

Prob. 3. quia sensus internus in brutis non habet libertatem; ergo nec rationem, ergo non judicat, nec discurrit: prob. conseq. perfecta enim rationalitas utrumque includit, scilicet discursum, & libertatem.

Prob 4. quia si non judicant perfectè, multò minùs discurrunt, sed non judicant perfectè, ergo nec discurrunt. Prob. min. judicium supponit apprehensionem prædicati cum subjecto, & connexionis, aut repugnantiæ illorum formalem inter se, ideo enim dicitur, *compositio*, vel *divisio*, sed in sensu interno, qualis est in brutis, non sunt tales actus distincti apprehensionis, ergo nec judicium formale, prob. min.: sensus brutorum non priùs apprehendit objecta, quàm judicet, sed simul, & unico indivisibili actu apprehendit, & judicat extrema unita sine collatione eorum ad invicem, quod si non judicet in brutis, ergo neque in homine, quia ubique est ejusdem speciei.

Dices. Hoc esse verum de sensu communi ex se, & in se considerato, non verò in homine, ubi conjungitur cum ratione, à qua per participationem accipit aliquam vim magis propriè judicativam, & discursivam.

Contra. Oculus in homine v.g. per illam unionem, animæ non participat altiorem, nec perfectiorem modum videndi, ita est de aure, &c. ergo neque sensus internus quoad actus suos judicandi, est enim par de omnibus ratio.

Constat ergo, quod sensus internus ex se nec judicat, nec discurrit, nec componit, nec dividit apprehendit sua objecta, prout sunt, quod potest dici judicare impropriè, ac materialiter, componere autem, & dividere, judicare, & discurrere formaliter sunt operationes solius intellectus.

Objic. 1. Feræ discurrunt, sed illæ non habent nisi sensum communem, ergo sensus communis discurrit. Prob. maj. experientiis multis 1. canis in bivio olfacit duas vias, & tertiam eligit, quia in illis nullum percipit odorem leporis, sic discurrens, non transivit lepus

[1] 3. de An. 22. [2] 2. petri 2. 12.

lepus per hanc viam, nec per illam, ergo per istam. 2. De formicis, & apibus, quæ habent prudentiam, providentiam, & œconomiam; Unde Scriptura monet, [1] *Vade ad formicam piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam*. 3. de aliis, quæ agnoscunt herbas medicinales, & eas applicant in morbis suis, aut catulorum. 4. Aranea texit telas eximia arte, & tendit retia ad capturam muscarum. 5. Bruta ad invicem loquuntur suo idiomate, juniores aves à senioribus discunt cantus suos; pulli audiunt, quando matres vocant, aut quando suadent silentium, ne venatores audiant, eligunt intercibos, & utiles discernunt à noxiis, denique sensus communis habet actus reflexivos, ex Scoto, & nobis ipsis.

Resp. neg. maj. absolutè, vel dist. discurrunt materialiter & impropriè, conc. maj. formaliter, & propriè, neg. maj. ad experientias dico multa animalia esse tàm perspicacis cognitionis, ut accedant ad rationalitatem, ut ex industria, & instinctu naturæ faciunt, quod homines faciunt ex vero, & formali judicio. Non dicitur de plantis, quod sentiant, nec ratiocinentur, quia tàm regulariter, artificiosè & concinnè suos flores, frondes, & fructus edunt. Igitur, quod canis viam eligat, per quam fera transiit relictis aliis, quod bestiæ noverint, & applicent remedia simplicia malis suis, quod formicæ, & apes colligant, illæ grana, istæ succus florum, & mella, & sic de cæteris, non ab aliqua cognitione scientifica per studium, vel actus particulares cognitionis acquisitæ, ut sunt artes, & scientiæ in homine, sed ex mero instinctu naturæ, & providentiæ divinæ, quæ sic dirigit.

Objic. 2. sensus ferarum non simpliciter apprehendit, sed etiam judicat parietem album, cibum calidum, aut frigidum, utile, vel nocivum; ergo verè judicat, & discernit. Prob. ant. appetitus non movetur per simplicem apprehensionem, sed appetitus ferarum movetur, prosequitur, aut fugit ex talibus recognitionibus sensus interni, ergo hic perfectè judicat.

Resp. dist. ant. Judicat, id est, positivè, & determinatè cognoscit rem bonam, aut noxiam; conc. ant. verè, & propriè judicat ex apprehensione distincta rei, & bonitatis ejus; neg. ant. Idem dico ad prob.

Non

[1] *Prov.6.*

Non negamus, quin bruta cognoscant positivè, & determinatè rem bonam, & noxiam, sed uno, simplicique actu absque vera, & formali compositione bonitatis cum re ipsa, quod tamen requiritur ad judicium propriè, & formaliter sumptum.

Inst. Si hoc esset, sensus internus bruti perfectior esset intellectu, sed conseq. est falsum, & absurdum, ergo nulla solutio. Prob. maj. unico actu attingeret plura, & id totum præstaret paucis, quod intellectus facit pluribus, ergo esset perfectior, quia paucioribus indigeret.

Resp. neg. maj. & dist. conseq. prob. Si unico actu plura attingeret, & faceret æquè perfectè, ac intellectus pluribus, conc. conf. si non æquè perfectè, neg. conseq. nam intellectus discurrendo, & judicando perfectiùs attingit objecta pluribus actibus; Bruta verò unico illo actu valdè confusè, & imperfectè cognoscunt. Quod autem non adhibeant plures, id venit ex illorum limitatione, & imperfectione.

Objic. 3. Sensus internus reflectit super actus suos, & illos cognoscit; ergo verè componit, & discurrit. Prob. conseq. non magis repugnat potentiæ materiali judicare, & discurrere, quàm reflectere, ex Scoto [1]

Resp. dist. utrumque ant. reflectit imperfectè, conc. ant. perfectè, & formaliter, neg. ant. ad reflexionem perfectam requiritur, ut sensus percipiat distinctè suos actus, & objecta eorum, & conformitatem, aut difformitatem illorum cum istis, & dependentiam illorum à potentia; & ipsam potentiam, si hæc haberet sensus internus, posset discurrere formaliter, sed hæc non habet, & ideò in tantùm est reflexivus, quatenus cognoscit actus suos cum objectis, quæ repræsentant, nec ulterius procedit.

Inst. Sensus internus est memorativus, & recordativus; ergo & verè reflexivus, patet ant. ex Scoto à nobis cit. prob. conseq. ex Arist. [2] qui concedit memoriæ sensitivæ ratiocinationem, & docet ratiocinationem esse syllogismum quemdam.

Resp. eodem modo recordatur materialiter, & impropriè, de quo infra, & sic intelligendus est Arist. [1] qui hæc tribuit memoriæ sensitivæ, quia iuvat intellectum ad syllogizandum.

Objic.

[1] *1. d. 43. q. 2. G.* [2] *q. præc.* [3] *Concl. præced. 1. metaph., c.*

Objic. 4. Saltem in homine sensus discurrit per participationem cum intellectu, sicut appetitus participat libertatem à voluntate, cui conjungit, ergo saltem in homine sensus internus judicat, & discurrit.

Resp. dist. ant. appetitus participat libertatē extrinsecè, conc. ant. intrinsecè, neg. ant. Eatenus participat libertatem voluntatis, quatenus ejus imperio subjacet, non verò quasi in se sit indifferens ad agendum, vel non agendum positis omnibus ad agendum requisitis. Ita dici poterit de sensu communi, quod extrinsecè judicet, & discurrat, & sit rationalis, quia subjacet dictamini rationis.

CONCLUSIO II.

Probabilius est omnes operationes sensus interni esse ab una, eademque realiter potentia, & ideo sensus omnes internos formaliter tantum distingui inter se.

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] dicente, quòd sensus communis *non est unus unitate prædicationis, sed unitate singularitatis, vel causalitatis, quia est radix omnium sensuum particularium*. Hæc autem unitas videtur asseri respectu sensuum externorum, sed addit Cavellus [2] *Tenendo etiam hunc non distingui à phantasia, æstimativa, & memoria realiter, actus proprii harum potentiarum ipsi tribuuntur.*

Prob. 2. ex ejusdem principiis, nam sic probat identitatem potentiarum animæ rationalis cum ipsa; [3] *Illud ponendum est in natura, quod melius est, si sit possibile, natura enim desiderat semper, quod melius est; sed paucitas sine multitudine est melior in natura, si sit possibilis;* ergo si possunt esse actus diversi ab una essentia potentiæ sensitivæ internæ sine distinctione reali potentiarum, quarum una sit *phantasia*, alia *imaginativa*, alia *memoria*, &c. id ita esse, dicendum est, sed hujusmodi paucitas est possibilis, nec ulla est necessitas eas multiplicandi, ut patebit solutione objectionum; ergo hæc potentia est realiter una, non verò multiplex, nisi formaliter ex natura rei. Communis ergo ratio est, quia nulla est necessitas multiplicandi realiter potentias illas, sed una sufficit pro distinctis illis actibus.

Objic.

[1] *q.9.de An.n.2.* [2] *Ibid.n.9.*
[3] *2.d.16.H.n.15.*

Objic. 1. Scotus [1] distinguit sensum communem ab imaginativa, & memorativa, ille enim non est potentia collativa propriè, sicut memorativa, vel cogitativa, &c. & agnoscit actus superioris, & inferioris potentiæ sensitivæ; ergo distinguit potentias in sensu interno.

Resp. neg. conseq. [2] de distinctione reali, nam de illa non cogitavit ibi, in 1. loco enumerat differentiam sensus communis à potētia memorativa quoad actus, & officia, non quoad ipsorum entitatem, & verum est, quod in actibus memorativis sensus internus est aliquo modo collativus, non verò in aliis, idem est de animæ potentiis. In 2. non loquitur positivè, & determinatè, sed velut sub dubio, imò per *potentiam superiorem* intelligit *sensum internum*, qui est superior *sensui externo*, aut de potentia *rationali spirituali*, quæ est superior sensitivæ internæ, quod apertè colligitur ex ejus textu. Quia tamen nullibi loquitur satis clarè circa præsentem quæstionem, ideo hanc decido probabiliter tantùm. Idem est de auctoritate Philosophi, qui videtur in aliquot locis favere adversariis.

Objic. 2. Quæ sunt separabilia, distinguúntur realiter, sed istæ potentię possunt separari, ergo &c. prob. min. in aliquibus brutis est sensus communis sine memoria, in aliis sine imaginatione, aut æstimativa.

Resp. dist. min. & ant. prob. separari possunt quoad exercitium, & functiones, conc. min. & ant. prob. quoad potentiam; neg. min. & ant. & idem est de aliis facultatibus animæ sensitivæ, imò & rationalis, quæ ab exercitio aliquarum facultatum possunt impediri.

Inst. Quæ habent distincta organa, distinguuntur realiter, sed illæ potentiæ habent diversa organa, memoria enim residet in parte posteriori capitis, imaginativa in anteriori; ergo distinguuntur.

Resp. neg. min. & conseq. prob. nam eadem facultas operativa diversarum actionum potest impediri ab una uno modo, & ab alia altero, licèt facultas sit una; v. g. facultas loquendi in homine est una, & tamen potest impediri à pronunciatione alicujus litteræ, aut syllabæ remanentibus aliis, stomachus idem potest impediri a concoctione unius cibi

[1] *q. 9. de An. n. 8.* [2] *4. d. 4. q. 3. E. n. 12.*

cibi præ aliis, &c. Idem accidit in cerebro quoad exercitium operationum memoriæ, & æstimativæ, in senibus deficit memoria, & crescit sapientia, seu æstimativa, id ergo tantùm probat, quòd ad diversas operationes sensus communis exigit diversas disposi-tiones, quarum una, vel altera deficiente, cessat una, vel altera operatio, quod etiam accidit in ipsa anima rationali.

Colligis igitur, unicam esse realiter potentiam sensitivam internā, à qua sunt diversæ illæ operationes secundum quas diversa sortitur nomina, v.g. si percipit objecta exteriùs sensata, & sensuum externorum sensationes, & species earum, dicitur *sensus communis*, si percipit tàm præsentia, quàm absentia, dicitur *phantasia*, si ea simul jungit, & comparat inter se, dicitur *imaginativa*, si percipit ut convenientia, vel disconvenientia, ita ut moveat appetitum ad prosecutionem, vel fugam, dicitur *æstimativa*, si cognoscit ut præterita, & aliàs sensata, dicitur purè *memoria*, si verò id faciat cum aliqua reflexione, & auxilio rationis, cogitando res, ut alias visas, aut cognitas, & postea oblitas, & tandem memoratas, ut in homine contingit, dicitur *recordatio*, seu *reminiscentia*, si ex prçteritis sensatis prævidentur futura imminentia, ut vitentur, vel quærantur, dicitur *prudentia* aliqua; *providentia*, ut in formicis, & apibus: si verò sic præterita retineantur, ut iterentur tales actus certis occasionibus, ut contingit in canibus, psittacis, &c. dicitur *disciplinabilitas*, &c. Hæ omnes, & similes operationes, quas in brutis experimur, proveniunt ab eadem facultate interna sensitiva, quam *sensum communem* dicimus, sicut in homine ab eadem realiter anima rationali, & secundum diversas illas operationes possumus asserere distinctionem virtualem, seu formalem ex natura rei inter hujusmodi potentias partiales. Non videntur tamen omnes illi actus, nec facultates illis correspondentes differre notabiliter inter se, & ideò communiter reducuntur ad quinque, imò & ad tres, quippe *cogitare*, & *reminisci* coincidunt cum *memorari*, & *phantasiari*. Idem est de *recordari*, & *memorari*; nam in hoc solùm differunt hi duo actus, quòd *recordari* supponit oblivionem inter primum, & 2. actum cognitionis, seu

cogitationis. Memoria verò significat præcisè conservationem specierum objecti, vel actus præteriti, ut præteriti.

Dixi autem, id esse *probabilius*, nec enim pars adversa caret omni probabilitate etiam in mente Doctoris in textibus allegatis, & aliis, v.g. cùm sic loquitur. [1] *De re præsente non tantùm relinquitur species in phantasia; sed aliqua in potentia memorativa, & illæ potentiæ cognoscunt subjectum sub alia, & alia ratione*, &c. & præterea secundum anatomistas singuli sensus isti habent singula organa, quæ sunt numero quinque juxta numerum ventriculorum cerebri in omni animali perfecto: nam in *sincipite* sunt duo, quorum unus est superior altero, & in eo est *sensus communis*, quia ab eo procedunt omnes nervi, quibus continuatur potentiis externis, & est naturæ humidioris, ut faciliùs recipiat species illarum, alii vocant *phantasiam*. In 2. ponitur *imaginativa*, estque naturæ siccioris, ut meliùs retineat species eorum, quæ per *phantasiam* apprehenduntur. Ascendendo ad verticem duo alii videntur ventriculi hinc inde dispositi, in quorum altero sita est *cogitativa*, per quendam nervum communicans imaginativæ, ut ejus species copulet, in quo differt ab illa; in altero sita est *æstimativa*, quæ priori continuatur per alium nervum, ut species non sensatas à sensatis eruere possit, & ad invicem copulare. Denique in *occipite* est quintus ventriculus, in quo est potentia *memorativa*, in qua conservantur species omnes objectorum, & sensationum. Has autem cameras, seu ventriculos natura non efformavit, nec distinxit frustra, ergo videtur, eos destinasse ad illarum quinque potentiarum officia.

CONCLUSIO III.

P*Robabile est, omnes illos sensus reperiri in omnibus brutis, saltem perfectis.*

Prob. 1. ex Scoto, & Philosopho, qui videntur problematici, maximè quoad memoriam, de qua est major difficultas, quia plus videtur accedere ad rationalitatem, & includere vim discursivam. *Sustinendo in-*

[1] 3. *d*. 14. *q*. 3. *E*. *n*. 7.

intentionem Aristot. quòd memoria sit in parte sensitiva, &c. & licèt probabiliter possent actus brutorum salvari non ponendo memorationem propriè in eis, sed solùm imaginativam cognitivam objecti, quod est præteritum, licèt non ut preteritum, tamen ea, quæ videmus in actibus eorum, *faciliùs solvuntur ponendo in eis memoriam*, ergo in brutis possunt asseri sensus omnes interni, seu aliquales actus eorum.

Prob. 2. Quia nullum est animal, quod non distinguat sensibilia diversa, & sensationes tactus, & gustus, quando exercentur, & sic habet *sensum communem*. 2. nullum est, quod sibi non appetat res bonas, etiam absentes, & sic habet aliquam *phantasiam*, seu *imaginativam*, qua res illas percipiat, seu cognoscat, ut tales: ostreæ se aperiunt, ut quærant cibum etiam absens, 3. appetit bona, & odit mala, ergo habet *æstimativam* aliqualem circa illa. 4. imo & *phantasiam*, sive imaginativam, qua componit illa objecta aliquo modo. Denique nullum est, quod non possit retinere species rerum, quas appetit, & gustat, & appetitionum, ac sensationum ipsarum, quas habuit de illis, & sic habet aliquam *memoriam*. Ideo bestiæ repetunt loca, in quibus repererunt cibos, fugiunt illa, in quibus malè habuerunt, & hoc si non per motum localem, quem plura ex imperfectis, & insectis non habent, saltem per dilatationem, & restrictionem, ut ostreæ.

Dixi, *saltem in brutis perfectis*, nam in illis plures actus experimur, qui arguunt omnes istas facultates, ut in canibus, equis, psittacis, formicis, & apibus, in quibus experimur aliquales actus, nedum *memoriæ* de præteritis, & *æstimativæ*, sed etiam *providentiæ*, ac *disciplinabilitatis*.

Dixi etiam, *probabiliter*: nam, ut monui supra, illi actus, qui important aliquem discursum, ut sunt isti, possunt tribui simplici instinctui, ac directioni generali naturæ, ac providentiæ divinæ, ut patet ex Scoto mox citato.

Objic. 1. ex Arist. Plura sunt animalia, quæ carent imaginatione, ut formicæ, apes, & vermes, alia carent memoria, ut muscæ, & papiliones, quæ semper redeūt ad res, unde expulsa sunt; idem de piscibus, &c. ergo omnes illi sensus non insunt omnibus brutis.

5. Resp. Arist.negare aliquot sensus in brutis aliquibus, non quia absolutè illis carent, sed quia insunt valde imperfecti, adeò ut in comparatione ad alia perfectiora sint, quasi careant. *Quantum ad muscas, & papiliones* potiùs arguitur contrarium, quia ideò semper redeunt, quia recordantur ciborum, aut delectationum, quas ibi adverterunt, & quae fortiùs alliciunt, quàm pericula, aut dolores deterreant.

Objic. 2. Ad *memoriam* requiritur perceptio actus alicujus recordantis, & praeteritionis ejus, debet cognosci tempus post tempus, nisi enim cognoscatur, ut praeteritus, erit potiùs nova cognitio, quàm recordatio: sed id non potest competere ulli bestiae, ergo nec memoria. Prob. min. Potentia superior non potest cognoscere actum inferioris, quando est praesens, quia non est reflexiva, ergo multò minùs, quando est praeteritus.

Resp. neg.min. & ant. prob. ejus. Nam sensus internus percipit actum sensuum externorum, ut diximus, nec ad id oportet, quòd sit perfectè reflexivus, ad hoc enim non reflectit supra seipsum, nec supra proprium actum, sed supra actum sensus externi. In recordatione verò cognoscit per speciem relictam ex sensatione praeterita.

Inst. 4. Ad cognitionem rei, ut praeteritae, debet cognosci tempus: est enim tempus post tempus; sed cognitio temporis non cadit sub sensum, ergo nec res ut praeterita. Prob. min. Tempus est *numerus, & mensura motus*: sed numerus, ac motus non cadunt sub sensum, ergo nec praeteritum, ut tale.

Resp. neg.min. utramque. Nam tempus, & motus, & numerus sunt sensibilia communia: possunt cognosci saltem confusè, & indirectè, ac materialiter, quatenus animal percipit rem, ut aliàs cognitam, visam, auditam, non cogitando de tempore formali, & distinctè, nec de coexistentia ejus tempori praeterito aut praesenti, vel futuro.

Objic. 3. cum Scoto. [1] Si posset argui memoria in brutis, maximè ex providentia, & prudentia in formica colligente grana ad eundem finem, & eodem tempore, justitia in cane, & aliis brutis, quae obsequuntur benefactoribus, & puniunt offen-

[1] 4. d. 45. q. 13. D. n. 9.

offendentes , idem est de actibus pertinentibus ad conservationem speciei . 5. ut in avibus conficientibus nidos. 4. redeuntibus ad illos , & ad pullos, & denique de multis, quæ disciplinantur, ac retinent instructiones, hæc videntur arguere recordationem beneficiorum , & injuriarum nidificationis , & parturitionis præteritorum : sed hæ experientiæ non probant veram recordationem , ergo nulla est ratio ponendi memoriam in brutis, aut in sensibus. Prob. min. Hi omnes actus tribui possunt simplici apprehensioni præsentium , ac retentioni specierum , & complexioni naturali , quæ inclinat ad tales actiones , & instinctui naturæ , absque cogitatione temporis , vel præteriti , ut talis , quod patet de formica nata hoc anno ; hæc enim colligit grana æque regulariter , ac vetustiores , ergo id non facit ex recordatione. Sic canis conservat speciem beneficii , vel injuriæ , quæ species illum impellent ad obsequendum , vel offendendum absque cogitatione præteriti . Idem est de nidificatione , & cura avium, aliorumque animalium , ergo disciplinabilia hæc faciunt ex præsentia specierum , objectorum , & actuum delectabilium , quæ excitatæ movent ad illos actus iterandos , ergo illa omnia solvuntur absque recursu ad cognitionem præteritionis.

Resp. cum Scoto, [1] neg. min. & conseq. prob. Nam *licèt possent probabiliter actus brutorum salvari non ponendo memorationem propriè in eis , sed solum imaginativam cognitivam objecti , quod est præteritum , tamen ea , quæ videmus in actibus eorum , faciliùs salvantur ponendo in eis memoriam saltem aliqualem, & minus rigorosam* ; ideò conclusionem nostram posuimus , ut probabilem . Porro de memoria redibit sermo alibi .

QUÆSTIO III.

De Appetitu sensitivo.

Appetitus est *propensio cujusque rei in bonum suum:* alius est *innatus*, qui non distinguitur à natura cujusque entis , quatenus inclinatur in suam perfectionẽ , seu in bonũ hoc sine cognitione prævia.

T 3 ut

[1] *ibid. E. n. 12.*

ut grave ad descensum, & leve ad ascensum. Alius *elicitus* qui sequitur cognitionem boni, aut mali, & est in solis viventibus cognoscitivis, sc. in animalibus, & hominibus, quo prosequuntur bona, & fugiunt mala. Et hic duplex est, *Sensitivus*, qui correspondet cognitioni sensitivæ, & *intellectivus*, qui cognitioni intellectivæ, estque soli homini proprius. De sensitivo, qui homini, & bruto communis est, hic agimus, & quia iste sequitur cognitionem, inde fit, quòd tot sunt appetitus, quot sensus cognoscitivi, visus enim habet suum, gustus suum, sensus internus suum, &c.

Rursus uterque dividitur in *concupiscibilem*, & *irascibilem*, 1. est, quo appetimus delectabilia, & fugimus tristibilia præcognita, 2. quo appetimus, vel refugimus bona, vel mala ardua, prout sunt utilia, vel impeditiva vindictæ. *Concupiscibili* tribuuntur *amor*, & *odium*, *desiderium*, & *fuga*, *delectatio*, & *tristitia*, *irascibili* verò *spes*, & *desperatio*, *audacia*, *timor*, & *ira*.

Existentiam appetitus in singulis sensibus non est, qui neget, aut dubitet: is enim debetur animali cuilibet, ut salubria quærat, & noxia fugiat: est enim facultas à Deo data viventibus, qua sese spontè movere possint ad bonum apprehensum quærendum, & malum vitandum, & ab ipsa animæ essentia manat velut proprietas inseparabilis, patet etiam experientia, tàm de hominibus, qui pollent appetitu rationali, quàm de brutis, qui solius sensitivi sunt capaces. In nobis experimur inclinationes ad bona quædā delectabilia, quæ abhorret ratio, & odit voluntas; ideo D. Paulus *videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ*, & *caro concupiscit adversus spiritum*, &c. Videmus pueros appetere, antequam habeant usum rationis, & ex diversis temperamentis oriuntur diversi appetitus, unde fit, ut alii inclinent ad superbiam, alii ad luxuriam, alii ad gulam. In brutis quoque experimur varias inclinationes in bona cujusque temperamento propria.

Nec dicas, hęc oriri ex appetitu naturali, nam naturalis est determinatus ex se ad certa objecta naturaliter proportionata; estque permanens, & continuus, ac indefectibilis, & independens ab omni cognitione; non ita est de appetitu sensitivo hominis, vel bruti;

de-

dependet enim à cognitione objecti, quod prosequuntur, aut fugiunt, nec semper eodem modo, nec continuè moventur ad illud.

Nulla etiam est difficultas circa objectum talis appetitus, certum enim est, hunc appetitum non ferri, nisi in bonum sensibile motu prosecutionis, nec nisi in malum motu fugæ, & aversionis, sed majus dubium est de distinctione, vel unitate appetitus sensitivi. 1. enim quidam volunt, quòd præter internum, & communem dentur etiam sensus externi in singulis sensibus, v.g. in visu, auditu, &c. 2. quidam distinguunt realiter concupiscibile ab irascibili, 3. quomodo sensitivus se habeat ad rationalem, an illi subjaceat.

CONCLUSIO I.

Probabilius est præter appetitum communem internum dari in singulis sensibus particulares distinctos inter se, & ab illo. Idem est de concupiscibili, & irascibili, quos probabilius est distingui realiter, saltem in via Scoti.

Prob. 1. pars ex Scoto [1] sic discurrente. *Sicut peccatum primum appetitus visivi esset in appetendo pulcherrimum visibile convenientissimum suæ cognitivæ, & sibi, in quo perfectissimè delectaretur, ideò in hominibus secundum diversitatem complexionum est dominium appetitivum sensitivorum, & siquidem quælibet cognitiva habet proprium appetitum*, &c. ergo Scotus asserit pluralitatem appetituum juxta pluralitatem sensuum externorum, & potentiarum cognitivarum, & nominatim in singulis sensibus externis, quia appetitus sequitur cognitionem, ergo sicut quilibet sensus habet propriam cognitionem distinctam à cognitione sensus communis, & proprium objectū: ita & appetitum proprium sibi correspondentem, & convenientem, distinctum ab appetitu interno, & communi. Et loquens de Christo docet, [2] *puto, quòd in ipso sicut in nobis fuerunt tot appetitus distincti, quot sunt potentiæ apprehensivæ in nobis, quia sicut alia apprehensio est gustus, & visus, & tactus, & odoratus, ita est alia inclinatio, & delectatio consequens hanc apprehensionem, & illam, communiter tamen bo-*

[1] 2.d.6.q.2.E.n.5,& 6. [2] 3.d.16.q.un.B. n.2.

quimur de appetitu sensitivo, sicut de uno, quia sequitur virtutem imaginativam, quæ sicut imaginatur objecta omnium sensuum, & in præsentia illorum, & in absentia, ita suo appetitu delectatur in illis, si sint convenientia, sed hoc non obstante ponimus appetitus alios particulares, sicut et cognitiones particulares,&c. ergo nil clariùs in doctrina Scoti, quàm hæc distinctio.

Ideò miror Poncium dixisse,[1] *non esse ita intelligendum quasi tot sint appetitus realiter distincti, quot sunt cognitivæ realiter distinctæ, & 2. de appetitu innato, non verò de appetitu elicitivo productivo actus prosecutionis, aut fugæ, nam talem ponere in sensibus externis est contra omnem experientiam, quæ sola potest sufficere ad id probandum, unde gratissimè id assereretur*. Certè has interpretationes non videntur pati textus ipsi, nam 1. ponit appetitus distinctos, & consequenter ad potentias cognitivas,quę in sententia Scoti,& Poncii sunt distinctissimæ, & in 2.gratissimè negat,appetitus elicitivos potiùs,quàm cognitiones, & secundum omnem experientiam oculus dolet ex visione objecti disconvenientis, & aversatur, ac refugit illud, & gaudet ex visione pulchri, ac convenientis, & illam prosequitur, ut notat Doctor, [2] *Ita est, alia inclinatio,& delectatio consequens hanc apprehensionem, & illam,& eadem est necessitas ponendi appetitus distinctos, sicut apprehensiones distinctas*.

Prob. 2. ratione ejusdem. Quia tot sunt potentiæ appetitivæ distinctæ, quot sunt cognitivæ, sed præter cognitivam communem dantur aliæ particulares in 5. sensibus externis, ergo & totidem appetitivæ.

Prob. 3. Ubi est dolor, & delectatio, ibi est appetitus, quia non sunt passiones, neque actus potentiæ cognoscitivæ, nec qualitates per se sensibiles ab illis sensibus: sed dolor, & delectatio sunt in singulis sensibus,quia lęduntur à disconvenienti, & voluptatem capiunt à convenientibus, ergo & appetitus.

Prob. 2. p. ex Scoto,[3] 1. Quia habent diversa objecta,nam *concupiscibilis* respicit,& gaudet de bono delectabili, & dolet de carentia ejus, *irascibilis* verò respicit vindictam,& de illa gaudet,& de illius carentia dolet, patet autem, quòd isti dolores, sc. *irascibilis*, & con-

[1] *ibid. in comment.n.35.et n.4.* [2] *ibid.*
[3] *3.d.34.G.n.12.*

& *concupiscibilis* non sunt idem dolor, 2. quia dolor *concupiscibilis* fit cum alia mutatione in parte sensitiva, quàm dolor *irascibilis*, quia dolor *concupiscibilis* est cum restrictione, delectatio opposita fit cum dilatatione, dolor autem *irascibilis* fit cum calefactione, quæ est accensio sanguinis circa cor, 3. quia ex hoc sequitur, quòd *irascibilis*, & *concupiscibilis* in parte sensitiva habent diversa organa, quia idem organum non potest simul moveri duobus motibus contrariis, quales sunt frigefactio, & calefactio. Vides non solùm mentem expressam Scoti,[1] sed etiam rationes ejus, quibus probat in parte sensitiva distinctionem realem horum appetituum.

Prima ratio est diversitas objectorum; nam *concupiscibilis* respicit conveniens, vel disconveniens, unde sequitur actus delectandi, seu prosequendi, vel tristandi, seu fugiendi, *irascibilis* verò talia non respicit: actus enim *irascibilis* est irasci, quod secundum Philosophum est appetere vindictam secundum rationem apparentem. Hæc ratio, quæ est etiam D. Thomæ, non valet pro voluntate, in qua illi duo appetitus identificantur realiter, non obstante illa diversitate objectorum, sed videtur bona in potentiis materialibus, ut sunt appetitus sensitivi.

Prob. 2. Distincta organa arguunt distinctionem potentiarum: sed hi duo appetitus habent diversa organa, ergo & potentias. Prob. min. Tum ex Platone ponente concupiscibilem in hepate, & irascibilem in corde, quod etiam docet Scotus dicens, iram esse, accensionem sanguinis circa cor, tum maximè, quia idem organum non potest simul moveri motibus cõtrariis, sed si idem esset organum concupiscibilis, & irascibilis, illud simul moveretur motibus contrariis, ergo non habent idem organum. Prob. min. Dolor in *concupiscibili* fit cum restrictione, & per consequens cum frigefactione: dolor verò in *irascibili* fit cum calefactione, & ideò cum effusione quadam.

Objic. 1. contra utramque partem. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla est necessitas multiplicandi realiter tot potentias appetitivas, ergo non distinguũtur realiter, nec in sensibus externis, nec in ipso sensu interno cõcupiscibilis, & irascibilis. Prob.

 min.

[1] *ibid. n.* 10

min. una realiter potentia sufficit in anima rationali ad illos omnes actus diversos, ergo & in parte sensitiva.

Resp. neg. min. & conseq. prob. 1. Quia licèt intellectus solus, imò & sensus unus communis internus respondeat omnibus actibus sensuum externorum; admittuntur tamen quinque interni particulares; ita est in proposito. 2. idem dicendum quoad *concupiscibilem, & irascibilem*, licèt pro anima, seu pro appetitu rationali sufficiat una voluntas, & ratio disparitatis est, quia, inquit Doctor, [1] *voluntas non est facultas organica, benè verò appetitus sensitivus*, & quidem duplex est organũ pro duplici hoc appetitu.

Inst. Sensus internus cognoscitivus est unus, licèt habeat diversos actus, imò & objecta, ergo & appetitus erit unus.

Resp. neg. conseq. Nam organum sensus interni est unum, & non subjacet motibus contrariis, aliter est de organo appetitus,

Inst. 2. Saltem identificantur in homine, quia identificantur in anima rationali, quæ est indivisibilis, ergo in homine non distinguuntur.

Resp. d. st. ant. Si loqueremur de appetitibus radicaliter, & præcisè per ordinem ad animam, conc. ant. si totaliter, & prout includunt organa corporea, neg. ant. per ordinem ad animam rationalem unus est sensus, & tàm potentiæ sensitivæ, & appetitivæ identificantur, quàm intellectus, & voluntas, sed per ordinem ad corpus distinguuntur.

Dixi autem, *saltem in via Scoti*: nam fateor, rationes in contrarium non carere probabilitate, nec nostras esse demonstrativas, nam principalis, quæ est de motibus contrariis, propter quos videntur illis assignanda organa distincta, dici potest hos motus repugnare simul, non autem successivè, sicut gaudium, & tristitia, quæ dilatant, & arctant idem cor successivè.

CONCLUSIO II.

OBjectum appetitus concupiscibilis est bonum conveniens, irascibilis verò non est præcisè bonum, prout arduum, sed potiùs offendens prout vindicabile, ita ut tendat in illud per actum vindictæ, aut repulsionis, non autem prosequutionis, aut fugæ.

Prob.

[1] *ibid. H.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Actus adæquatus irascibilis est irasci, sicut actus adæquatus intellectus est intelligere, sed irasci non potest respicere pro objecto bonum arduũ, quia irasci est appetere vindictam sive punitionem, hoc autem appetere respicit 1. pro objecto vel ipsam punitionem, vel ipsum punibile, & neutrum est appetibile, ergo irascibilis non respicit arduum.*

Ex quo infert, quòd *si irasci est actus irascibilis, sequitur, quòd non distinguitur à concupiscibili per rationem boni ardui distincti à bono delectabili*. Alibi clarissimè explicat distinctionem harũ potentiarum. [2]

Notandum est, quòd concupiscibile respicit illud, quod ex se natum est esse conveniens, vel disconveniens, ita quod nullo alio posito circa ipsum, nisi sola apprehensione facta, natus est sequi actus delectandi, vel tristandi, sive prosequendi, vel fugiendi, quantum est ex parte ejus. Talia non respicit irascibilis; actus enim irascibilis, & irasci, quod secundum Philosoph. est appetere vindictam, secundum rationem apparentem propter apparentem parvipensionem. Igitur objectum irascibilis est vindicare, vel vindicabile, seu punibile, quod potest dici irascitivum, vel usitatiori modo loquendi offendens, &c.

Prob. 2. Quia arduitas non extrahit bonum ex ordine concupiscibilitatis, ergo non ponit differentiam inter objecta illorum appetituum. Prob. ant. Bonum virtutis est objectum appetitus concupiscibilis, sed illud est arduum, ergo arduitas non extrahit bonum ab ordine objecti concupiscibilis. Maj. patet: nam virtus residet in concupiscibili, ut illum moderetur, & dirigat, aut facilitet, ut patet de temperantia. Prob. min. Non est facile virtutes acquirere, ut concedent vitiosi omnes, ergo bonum virtutis est arduum.

Confirm. Bonum arduum nihil aliud videtur esse, quàm difficile, vel absens: sed al' quæ virtutes, quæ sunt in concupiscibili, respiciunt talia bona, ergo arduum est intra objectum concupiscibilis. Prob. min. Temperantia est in concupiscibili, sed hæc potest respicere bonum absens, ac difficile, v. g. desiderium efficax mediocritatem servandi in cibo, & potu, ergo versatur circa bonum absens, & arduum, virtutes autem dantur præcipuè ad tollendam difficulta-

T 6 tem

[1] 3. *d* 26. *n*. 7. [2] *ibid*. *d*. 34. *F*. *n*. 10.

tem partis sensitivæ circa bonum honestum, ergo illud est arduum, seu difficile.

Prob. 3. Nihil magis arduum est, quàm diligere inimicum, ad quod inclinat, & facilitat charitas: sed hæc dilectio est in concupiscibili, ergo appetitus concupiscibilis respicit arduum.

Objic. Appetitus vindictæ, & repulsionis potest esse in concupiscibili, ergo per hoc non distinguitur ab irascibili. Prob. ant. Potentia, quæ fertur in bonum, seu finem, respicit etiam media ad finem: sed repulsio, & vindicta finem impedientis est medium ad illum, ergo vindicta, & repulsio impedientis pertinet etiam ad concupiscibilem, ergo per hæc non distinguitur ab irascibili.

Resp. dist.ant. Appetitus vindictæ, ac repulsionis, materialiter, & prout est medium ad consecutionem boni concupiti, conc.ant. formaliter, ut vindicta est, ac destructio offendentis, neg.ant.& conseq. & similiter dist. maj. Respicit media, ut media sunt, conc. maj. sub alia ratione, sub qua non sunt præcisè media, neg. maj. Ad min. dico, irascibilem non respicere repulsionem obstaculi, ut medium formaliter, & præcisè ad consecutionem boni, quamvis de facto conducat ad illam, sed respicit illam cum vindicta, seu pœna offendentis, seu impedientis; illud potest esse ab appetitu concupiscibili, qui non vult, sed intendit removere impedimenta, istud verò est ab irascibili, qui vult punire offendentem, & impedientem, non verò contentus est sola remotione impedientis, quod valde notandum.

Queres 1. *Quæ sint organa horum appetituum*.

Resp. Appetitus particulares residere in organis singulorum sensuum, communem verò in organo sensus communis, quod diximus esse cerebrum.

Ratio petitur ex rationibus allatis ex Scoto [1] propter quas singulis sensibus tribuuntur singuli appetitus.

Dices. Scotus ponit appetitum irascibilem, & concupiscibilem vel in corde, vel circa cor, & de facto ibi magis percipiuntur passiones *doloris*, *lætitiæ*, *metus*, *iræ*, & *amoris*, ideò dicitur, *diliges ex toto* cor-

[1] 3.*d*.17. *B*.*n*.3.

corde, & *de corde exeunt cogitationes*, ergo cor est organum appetituum, saltem irascibilis, & concupiscibilis.

Resp. neg. conf. Scotus enim loquitur ibi ex aliorum sententia de affectu iræ, & aliud est, quod ex illis affectibus moveatur cor, & sanguis circa illud, & quod præcisè sensus ille sit in illo, ut in principali organo. Sicut ergo diximus de sensu interno, quod sit quidem in corde incoactivè, & in cerebro complete, ita est de appetitu. Ad Scripturam responsum est supra.

Queres 2. *Quomodo se habeat appetitus sensitivus ad intellectualem, sc. voluntatem.*

Resp. hunc appetitum subjacere imperio voluntatis, non *despoticè*, seu *serviliter*, sed *politicè*, seu *civiliter*. Imperium *despoticum* est illud, quod pro libitu imperantis imponitur, & cui non est potestas resistendi, ut est in domino respectu mancipii, *politicum* verò, & *civile* est secundum certas leges convenientiæ, & cui potest resisti, & tale est imperium voluntatis in appetitus sensitivos, hi enim possunt resistere, & sæpiùs, quàm par esset, resistunt.

Patet autem ex scriptura, & quod appetitus subjaceat voluntati, & quod illi sæpè resistat. Dominium voluntatis asseruit Deus dicens, [1] *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, & cum prohibebat [2] *post concupiscentias tuas ne eas*, & in Davide obediebat, cum diceret [3] *cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: resistebat autem in D. Paulo dicente, [4] *vidi legem in membris repugnantem legi mentis meæ*, & *caro concupiscit adversus spiritum*.

Dices: Sensus non est liber, ergo non potest non obedire.

Resp. neg. conf. quia defectus obedientiæ in sensu non est ex libertate, sed ex resistentia naturali, ac vehementia motus contrarii ex parte appetitus concupiscibilis, qui fortiùs trahitur tum proprio pondere, ac infirmitate, tum vehementiori attractione, aut impulsione cognitionis, & objectorum sensibilium.

QUÆ-

[1] *Gen.* 4. [2] *Eccl.* 18. [3] *Psal.* 83. [4] *Galat.* 5.

QUÆSTIO IV.

De actibus, passionibus, & motibus appetitus sensitivi.

Actus appetitus sensitivi solent vocari *passiones*. *Passio* autem est nomen æquivocum, 1. sumitur pro omni qualitate, vel dispositione respectu sui subjecti, ut sanitas, scientia, & albedo, &c. dicuntur *passiones* hoc sensu, 2. dicitur de omni sensibili, & maximè de tertia specie qualitatis, quæ propterea vocatur *passio, & patibilis qualitas*. 3. De corruptionibus, & actionibus nocivis, prout opponuntur salutiferæ, sic læsus dicitur *pati*, læsio dicitur *passio* in eo, qui læditur. 4. pro quacumque proprietate rei, & maximè de illa, quæ est convertibilis cum ipsa, ut risibilitas de homine, unitas de ente, & quæ spectant ad 4. universale. 5. de illa relatione, quæ correspondet, & opponitur actioni prædicamentali. 6. hic restringitur ad operationes, affectiones, & motus appetitus, & maximè sensitivi, & describi potest *motus appetitus sensitivi ex cognitione objecti corpus diversè alterans*; unde tria hæc concurrunt in passionibus, 1. cognitio objecti sub ratione convenientis, aut disconvenientis. 2. motus, seu determinatio appetitus ad prosecutionem, aut fugam. 3. motus cordis varius, & sanguinis, & spirituum ad intra, vel extra secundum exigentiam: nam cor in tristitia contrahitur, in spe, & gaudio dilatatur.

Hæ autem passiones communiter numerantur undecim, inter quas sex tribuuntur appetitui concupiscibili, sc. *amor, odium, desiderium, fuga, delectatio*, & *tristitia*, & quinque irascibili, scilicet, *spes, desperatio, audacia, timor, & ira*. *Amor* est passio inclinans ad appetendum bonum conveniens: *Odium* est horror mali disconvenientis, tristis, aut noxii: *Desiderium* est inclinatio, qua fertur in bonum absens. *Fuga* aversio à malo pariter absenti. *Gaudium* est delectatio de bono adepto, & possesso. *Tristitia* est dolor de malo illato, & præsenti. *Spes* est expectatio boni difficilis absentis, & desiderati. *Desperatio* est abjectio boni desiderati, sed acquisitu impossi-

possibilis. *Timor* est metus mali imminentis, & gravioris. *Audacia* est excussio talis timoris. *Ira* denique est motus, quo appetitus à se repellit malum imminens.

Posset hìc disputari, an omnes illi affectus sic distinguantur, ut nulli duo possint confundi, & an sufficiens, & adæquata sit illa divisio, & an benè sic distribuantur illis appetitibus, adeò ut nullus eorum, qui tribuũtur concupiscibili, pertineat ad irascibilem, & è contra, an sint actus verè eliciti ab appetitu sensitivo, aut voluntate, an verò sint puræ affectiones, seu passiones impressæ ab objectis facultati appetitivæ, quæ merè passivè in illis se habeat. Quæ breviter hìc expedio cum aliquot aliis dubiis circa passiones, & affectus. Quantum ad potentiam motivam aliquid jam de illa diximus ab initio hujus tractatus. Si quid omissum observatu dignum videatur, hìc supplebimus, aut in morali.

CONCLUSIO I.

PRobabilius est, desiderium, & spem non differre essentialiter, nec esse passiones irascibilis, sed concupiscibilis, sicut & desperationem, solamque iram spectare proprie ad irascibilem appetitum.

Prob. 1. pars ex Doctore, [1] qui definit spem per desiderium boni, & hanc esse virtutem theologicam probat, quia *experimur in nobis hunc actum, scilicet, desiderare bonum infinitum*, & ratio est, quia utraque passio habet idem objectum, scilicet, bonum absens, totaque differentia petitur ex aliqua circumstantia, vel accidente, v. g. quia *desiderium* respicit bonum absens qualecumque, & qualitercumque acquirendum, *spes* verò, ut volunt aliqui, respicit bonum absens, arduum, & ab aliquo accipiendum, sed hæ conditiones sunt purè accidentales, nec sufficiunt ad differentiam essentialem. Denique omnis *spes* est *desiderium*, saltem in appetitu sensitivo, non videtur esse sine spe, quia cognitio sensitiva, nec determinativa non percipit impossibilitatem, saltem per se; est enim res insensata.

Prob.

[1] 3. *d.* 26. *q. un. n.* 4.

Prob. 2. *pars ex eodem Scoto*, negandum est, inquit *quod in habentibus spem, spes sit habitus irascibilis*, *quod probat ratione*, *actus adæquatus irascibilis est irasci*, *sicut actus adæquatus intellectus est intelligere*: sed irasci non potest respicere pro objecto bonum arduum, quia *irasci* est appetere vindictam, & punitionem. Hoc autem appetere respicit primo pro objecto vel ipsam punitionem, vel ipsum punibile, & neutrum est appetibile, ergo irascibilis non respicit arduum, ergo spes, quæ respicit bonum absens, & arduum, non autem vindictam, nec punitionem, non spectat ad appetitum irascibilem, sed ad concupiscibilem, & idem est de desperatione, quia contrariorum eadem est ratio.

Prob. 3. pars ex eodem textu, [1] scilicet quòd *actus adæquatus irascibilis* est *irasci*, & id patet etiam ex quęstione præcedenti de distinctione horum appetituum, notat *quod, cùm irascibilis habeat actum suum*, *sunt ibi duo nolita*, seu objecta displicentia. 1. concupiscibilis, nempe carentia boni. 2. irascibilis, seu carentia vindictæ contra offendentem, ille tristatur de absentia boni desiderati, iste de non vindicta, aut repulsa ejus, qui impedit consecutionem boni. Actus primi est fugere à malo, & prosequi bonum, actus secundi est repulsa, vindicta, victoria de offendente, &c.

CONCLUSIO II.

Delectatio, *& tristitia non sunt formaliter actus, sed passiones*, *& quidem voluntatis*, *vel appetitus potius*, *quàm intellectus*.

Prob. 1. *pars* 1. *ex Scoto*, [2] qui docet, quod delectatio non est actus, sed quid consequens ad actum. *Actum autem perfectum sequitur delectatio*, *ergo actum volendi bonum propter se consequitur aliqua delectatio*. Et alibi docet, quod *strictè accipiendo beatitudinem delectatio non est de essentia ejus*, *quia est passio*. *Beatitudo autem consistit in operatione*, *delectatio quietat voluntatem*, *ut est susceptiva passionum*, *sicut perficit voluntatem*, *ut est susceptiva operationum*, idem est de delectatione sensitiva in appetitu. Item differentiam

[1] 3. *d.* 34. *F.* [2] 1. *d.* 1. *q.* 3. *A.* *n.* 3.

tiam ponit inter *dilectionem*, & *delectationem*, quia *dilectio* est in voluntate, & à voluntate, *delectatio* autem est in voluntate, sed non à voluntate, sed potiùs ab objecto. Denique *tristitia* propriè sumpta est passio voluntatis, non autem aliqua ejus operatio, non est autem passio illa in voluntate effectivè, &c.

Prob.2. ex eodem, quia pęna est essentialiter tristitia, & maximè in natura intellectuali, in qua nulla alia pęna videtur esse posse: sed pęna non est actus voluntatis, sed pura passio, ergo tristitia non est actus voluntatis, sed passio, ergo idem est de delectatione, quia contrariorum eadem est ratio, prob. min. omnis actus voluntatis est voluntarius: sed nulla pęna est voluntaria, ergo nulla pęna est actus voluntatis elicitus, sed quid consequens ad actum, prob.maj. quod enim est voluntarium, non est pęna.

Prob.2.1.p. ex citatis textibus Scoti, [1] qui has passiones ponit in voluntate. 2. ex S. August. [2] *quid est cupiditas, & lætitia nisi voluntas in eorum consensiones, quæ volumus?* Item, *fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsis propter se ipsa delectata conquiescat*.

Prob.2. Delectatio, & tristitia proveniunt à bono, ut convenienti, & malo ut disconvenienti: sed hæc sunt objecta voluntatis, aut appetitus, non verò intellectus, ergo hæ passiones sunt in voluntate, aut appetitu, non in intellectu, prob. maj. tristitia est *de his, quæ nobis nolentibus accidunt* ex S.Aug. & certè quidquid accidat, si sola cognitio boni; aut mali sine actu voluntatis adest, nulla sequitur delectatio, vel tristitia, ut patet in beatis, qui vident pęnas suorum sine tristitia, & in damnatis, qui vident gloriam beatorum sine gaudio.

Objic. 1. S. August. citatus lætitiam ponit in consensione voluntatis, & tristitiam in dissentione voluntatis: sed dissensio, & consensio sunt actus eliciti voluntatis, non puræ passiones, ergo lætitia, & tristitia sunt actus. Idem docet Aristot. dicens has passiones esse *motus*, *& operationes*.

Respon. dist. ant. sunt consensiones, aut dissensiones causaliter, conc. antec. formaliter, neg. ant. & con-

[1] *q.11. de An. n.7. &* 3. *d.*15. *D. n.*12.
[2] 14. *de civit. cap.*5. *&* 10. *de Trin. c.*10.

conseq. nam S. August. & Arist. volunt tantùm, quòd delectatio, & tristitia causentur ex operationibus illis, non verò, quòd sint formaliter tales actus.

Inst. Delectatio, & tristitia possunt esse meritoriæ, ergo sunt actus voluntatis, quia nihil potest esse meritorium, quod non sit à voluntate libera.

Resp. neg. conseq. & dist. rationem ejus, quòd nō sit à voluntate mediatè, vel immediatè, conc. cons. immediatè tantū, & eliciti vè, neg. cons. Passiones illę possunt esse meritoriæ, quandò voluntas in illas consentit ex motivo virtutis, aut demeritoriȩ, si in eas consentit ex motivo pravo, ut faciunt invidi, qui tristantur de bono proximi, tristitiæ, vel delectationes tunc non sunt propriè actus, sed objecta, seu materia meriti, aut demeriti.

Objic. 2. Delectatio, & tristitia sunt vitales, ergo eliciuntur à potentia vitali; tristari enim, & delectari est vitaliter operari.

Resp. dist. ant. Sunt vitales, idest passiones, quæ percipiuntur, & afficiunt potentias, & consequuntur ad operationes vitales, conc. ant. in se formaliter, neg. ant. Sensatio mali est actus vitalis, ad quem consequitur dolor, & tristitia, sed ipsa tristitia non est actus elicitus.

CONCLUSIO III.

Dolor, & voluptas non sunt objecta per se sensibilia, nec actiones sensus, sed passiones appetitus sensitivi.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia *delectari, & delectabile possent esse non volita quantum ad omnem actum voluntatis*, ergo ita est de dolore, qui est *impressio hujus passionis, quæ vocatur dolor, quæ est contra inclinationem ipsius recipientis, ut forma intrinseca, sicut activum* (hujus impressionis) *est contra ejus inclinationem, ut extrinsecum potentiæ patienti.*

Prob. 2. Si dolor esset actus ipse sensationis, quò vehementior esset dolor, eò perfectior esset sensatio, & cognitio objecti, sed consequens est contra experientiam, imò ex Scoto [2] *dolor excellens in parte sensitiva natus est impedire usum rationis*, experimur

[1] *3.d.15.F.n.16.* [2] *ibid. H.n.18.*

mur in doloribus extremis nos minùs percipere causas eorum, & objecta, ergo dolor non est ratio, sed qualitas recepta in appetitu, ad quam passivè se habet. Prob. maj. Quia sic dolor vehementior esset cognitio perfectior. Confirm. Quia eadem est ratio de dolore, ac de gaudio, sed hoc est passio in appetitu sensitivo, ergo & ille.

Quod autem non sint objecta, seu qualitates per se sensibiles, prob. quia, si hoc esset, perciperentur semper à tactu in quocumque subjecto, sicut color videtur, ubicumque sit: sed dolor non percipitur in alieno subjecto ergo dolor, & gaudium non sunt qualitates, seu objecta per se sensibilia.

Objic. 1. Dolor non sentitur, nisi in partibus externis corporis, quæ læduntur, & in illis applicantur remedia, v. g. in pede, brachio, capite, &c. ergo dolor non est passio appetitus, sed solius sensus externi.

Resp. dist. ant. Nisi in partibus externis mediante appetitu sensitivo, qui in eis residet, conc. ant. separatim ab appetitu, nego ant. & conseq. De ratione sensus externi, v.g. tactus est percipere tangibile, calidum, frigidum, durum, asperum, &c. appetitus verò est displicere, aut delectari, aut dolere in illis objectis læsivis, aut salutiferis, & ideò dolor est passio appetitus illius.

Inst. Cessante dolore restat ejus recordatio, & tristitia de illo: sed neutra spectat ad appetitum, ergo neque dolor.

Resp. neg. min. Sicut enim recordatio talis qualis spectat ad sensum communem, ita & tristitia illa spectat ad appetitum illi correspondentem.

Objic. 2. In aliquibus sensibus non est dolor, nec voluptas ergo nec appetitus particularis. Prob. ant. Dum videmus objectum pulchrum, vel difforme, & dum audimus sonos suaves, aut discordantes, non percipimus voluptatē, aut molestiā in pupilla, vel tympano, sed in animo, ergo in illis non est dolor, nec voluptas.

Resp. neg. ant. & conseq. prob. Nam etiam visus, & auditus læduntur, & dolent ex vehementi sensibili, v.g. nimia luce, vel sono, quia per illam vehementiam objecta illa fiunt disproportionata, & disconveniētia, & hæc horrent, ac refugiunt appetitus illorum. *In una-*

conseq. nam S. August. & Arist. volunt tantùm, quòd delectatio, & tristitia causentur ex operationibus illis, non verò, quòd sint formaliter tales actus.

Inst. Delectatio, & tristitia possunt esse meritoriæ, ergo sunt actus voluntatis, quia nihil potest esse meritorium, quod non sit à voluntate libera.

Resp. neg. conseq. & dist. rationem ejus, quòd nō sit à voluntate mediatè, vel immediatè, conc. cons. immediatè tantū, & eliciti vè, neg. cons. Passiones illę possunt esse meritoriæ, quandò voluntas in illas consentit ex motivo virtutis, aut demeritorię, si in eas consentit ex motivo pravo, ut faciunt invidi, qui tristantur de bono proximi, tristitiæ, vel delectationes tunc non sunt propriè actus, sed objecta, seu materia meriti, aut demeriti.

Objic. 2. Delectatio, & tristitia sunt vitales, ergo eliciuntur à potentia vitali; tristari enim, & delectari est vitaliter operari.

Resp. dist. ant. Sunt vitales, idest passiones, quæ percipiuntur, & afficiunt potentias, & consequuntur ad operationes vitales, conc. ant. in se formaliter, neg. ant. Sensatio mali est actus vitalis, ad quem consequitur dolor, & tristitia, sed ipsa tristitia non est actus elicitus.

CONCLUSIO III.

Dolor, & voluptas non sunt objecta per se sensibilia, nec actiones sensus, sed passiones appetitus sensitivi.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia *delectari, & delectabile possent esse non volita quantum ad omnem actum voluntatis*, ergo ita est de dolore, qui est *impressio hujus passionis, quæ vocatur dolor, quæ est contra inclinationem ipsius recipientis, ut forma intrinseca, sicut activum* (hujus impressionis) *est contra ejus inclinationem, ut extrinsecum potentiæ patienti.*

Prob. 2. Si dolor esset actus ipse sensationis, quò vehementior esset dolor, eò perfectior esset sensatio, & cognitio objecti, sed consequens est contra experientiam, imò ex Scoto [2] *dolor excellens in parte sensitiva natus est impedire usum rationis*, experimur

[1] *3.d.15. F.n.16.* [2] *ibid. H.n.18.*

mur in doloribus extremis nos minùs percipere causas eorum, & objecta, ergo dolor non est ratio, sed qualitas recepta in appetitu, ad quam passivè se habet. Prob. maj. Quia sic dolor vehementior esset cognitio perfectior. Confirm. Quia eadem est ratio de dolore, ac de gaudio, sed hoc est passio in appetitu sensitivo, ergo & ille.

Quod autem non sint objecta, seu qualitates per se sensibiles prob. quia, si hoc esset, perciperentur semper à tactu in quocumque subjecto, sicut color videtur, ubicumque sit: sed dolor non percipitur in alieno subjecto ergo dolor, & gaudium non sunt qualitates, seu objecta per se sensibilia.

Objic. 1. Dolor non sentitur, nisi in partibus externis corporis, quæ læduntur, & in illis applicantur remedia, v. g. in pede, brachio, capite, &c. ergo dolor non est passio appetitus, sed solius sensus externi.

Resp. dist. ant. Nisi in partibus externis mediante appetitu sensitivo, qui in eis residet, conc. ant. separatim ab appetitu, nego ant. & conseq. De ratione sensus externi, v.g. tactus est percipere tangibile, calidum, frigidum, durum, asperum, &c. appetitus verò est displicere, aut delectari, aut dolere in illis objectis læsivis, aut salutiferis, & ideò dolor est passio appetitus illius.

Inst. Cessante dolore restat ejus recordatio, & tristitia de illo: sed neutra spectat ad appetitum, ergo neque dolor.

Resp. neg. min. Sicut enim recordatio talis qualis spectat ad sensum communem, ita & tristitia illa spectat ad appetitum illi correspondentem.

Objic. 2. In aliquibus sensibus non est dolor, nec voluptas ergo nec appetitus particularis. Prob. ant. Dum videmus objectum pulchrum, vel difforme, & dum audimus sonos suaves, aut discordantes, non percipimus voluptatē, aut molestiā in pupilla, vel tympano, sed in animo, ergo in illis non est dolor, nec voluptas.

Resp. neg. ant. & conseq. prob. Nam etiam visus, & auditus læduntur, & dolent ex vehementi sensibili, v.g. nimia luce, vel sono, quia per illam vehementiam objecta illa fiunt disproportionata, & disconveniētia, & hæc horrent, ac refugiunt appetitus illorum. *In una-*

unoquoque sensu voluptatem fieri perspicuum est, inquit philos. *quippe cum & visiones, & auditiones esse jucundas dicamus*. Certè visus à colore viridi jucundatur, à nimis albo nimis disgregatur, & offuscatur, sic de sono, licèt in aliis sensibus notabilior sit sensatio ista doloris, ac voluptatis. De passionibus redibit sermo in moralibus, & infra, ubi de anima rationali. Hæc modo sufficiunt pro sensitivis.

QUÆSTIO V.

De potentia loco motiva.

DUplex est motus 1. *naturalis*, seu pure *vitalis*, qui fit sine directione ullius potentiæ cognoscitivæ, ut motus cordis, pulmonum, arteriarum in omnibus animalibus. 2. *animalis*, qui fit dependenter à directione alicujus potentiæ cognoscitivæ, & ab appetitu, & de isto hìc loquimur, qui duplex est. 1. *perfectus*, ut progressivus, ac localis, ut in animalibus perfectis, bove, leone, lepore, &c. 2. *imperfectus*, ut dilatationis, ac restrictionis, ut in animalibus imperfectis, v.g. ostreis zorophytis, & plantanimalibus. Uterque siquidem fit dependenter à cognitione sensitiva. Unde tria concurrunt ad hunc motum, 1. cognitio finis, seu termini, *ad quem* est motus. 2. appetitus imperans motum, & 3. potentia executiva, seu movens. Potentia cognoscitiva proponit finem, v. g. cibus animali: appetitiva desiderat illum ut bonum; potentia motiva prosequitur, & quærit illum. Difficultas præcipua hìc examinanda, est, an hæc tertia distinguatur ab aliis duabus, 2. de subjecto, seu organo, in quo resideat. Existentiam ejus nullus negat, experientia probat, Quiditatem explicabis, si dicas, quod est *facultas activa, corporea, per nervos, musculos, & alias partes corporis diffusa, cujus beneficio anima progreditur*; gradiendo, ut homines, & boves, volando, ut aves, reptando, ut vermes, & serpentes; natando, ut pisces, dilatando, aut constringendo se, ut ostreæ, &c.

CON-

CONCLUSIO.

Potentia motrix distinguitur à cognoscitiva, quæ dirigit motum, & ab appetitiva, quæ illum imperat.

Prob. I. *ex Scoto,* [1] docente, quod *potentia motiva in homine est in obedientia servili respectu voluntatis, quæ vocatur despotica: unde in tantum sibi obedit, quod nullum membrum habile ad motum, nisi sit aridum, resistit imperio voluntatis*, ergo ex Scoto adest potentia in homine motiva, distincta ab intellectu, qui est potentia cognoscitiva, & à voluntate, quæ est appetitiva, & ista imperat illi; imo est etiam alia, quæ est corporea, & organica distincta. Admittit quippe duas in homine: *nam sicut anima in quantum ad multa est similis Angelo, ita & quantum ad potentiam motivam corporis non organicam, non enim est ratio, quare ista substantia non habeat hujusmodi potentiam motivam corporis*, & assignans differentiam hujus potentiæ inorganicæ ab organica, *ista potentia organica, quæ movet totum corpus simul, non ordinatè per partes eo modo, quo fit motio corporis animalis in motu progressivo*, ista inquam, *est alterius rationis à progressiva, quia ista habet actionem movendi totum corpus immediatè, non partem post partem; illa autem* (scilicet organica) *non potest movere totum, nisi ordinatè movendo partes, & partem post partem, sicut modo virtus progressiva movet primò quasdam partes, & per illas alias; deinde totum corpus*, vides Scotum, [2] ubique asserere hanc potentiam distinctam ab appetitu, sive rationali, sive sensitivo, & cognoscitivo: *nam sequitur apprehensionem, quæ non est semper respectu unius loci, & situs, propter quod ille motus non est semper secundum eundem situm, nec locum, &c.*

Prob. 2. quæ habent diversa organa distinguuntur: sed potentia cognitiva, & appetitiva, & motiva habent diversa organa, ergo & ipsæ distinguuntur, prob. min. appetitiva est in cerebro, vel in corde: idem est de cognitiva; motiva verò in singulis membris, ergo habent diversa organa, & subjecta.

Con-

[1] 2. *d.* 42. *q.* 4. *N. n.* 10.
[2] *Ibid. d.* 49. *q.* 14. *A. & B. n.* 2. *&* 3.

Confirm. Nam membra sæpè videntur moveri sine imperio appetitus, ut, cùm ex inconsideratione movētur palpebræ, manus, pes, &c. Vis motiva distinguitur ab appetitiva, & æstimativa, aut imaginativa.

Prob. 3. Quia motus localis non continetur sub objecto appetitus, saltem per se, & directè, hic enim respicit malum, ut fugiat, & bonum, ut prosequatur, & fuga, & prosecutio sunt actus ejus adæquati: sed hic motus non spectat per se ad alterutrum ex actibus illis, ergo non continetur sub objecto appetitus. Prob. min. Nam objectum potentiæ motivæ est *ubi*, & actus ejus est progressio ad illud.

Dixi *cognitivam dirigere, & appetitivam imperare*, quia *motiva* est de se indifferens ad hunc, vel illum motum, situm, & locum, ergo debet dirigi, & determinari ad unum præ alio secundum exigentiam animalis, quod fieri nequit, nisi per cognitionem, & appetitum; illa proponit bonum, ad quod est eundum, & malum, à quo recedendum, & iste inclinat ad prosecutionem, aut fugam, & denique hæc potentia obedit, & exequitur.

Objic. 1. Nulla est necessitas hujus potentiæ distinctæ ab appetitiva, ergo malè asseritur. Prob. ant. Sufficit solus appetitus; nam posito appetitu efficaci, & dispositione membrorum, statim sequitur motus, ergo nulla est necessitas potentiæ distinctæ.

Resp. neg. ant. & dist. prob. Sequitur motus, qui est elicitivè, seu effectivè, à potentia motiva, & imperativè ab appetitu, conc. ant. effectivè à solo appetitu, neg. ant. ob rationes allatas.

Objic. 2. Illud imperium appetitus exercetur vel imprimendo aliquid physicum potentiæ isti, vel nihil: Sed neutrum facit pro nobis, ergo appetitus non movet per imperium. Prob. min. Nam si imprimit, jam movet seipso, si nihil imprimit, ergo non determinat.

Resp. neg. min. & conseq. prob. quoad 2. p. nam per unionem intimam, ac subordinationem harum facultatum, fit, ut absque actione, seu impressione ulla unius in aliam, successivè agant singulæ sibi proprias actiones, imaginativa cognoscit, & exprimit in se speciem boni, aut mali; appetitus secundum illam repræsentativam appetit, seu amat, & prosequitur, aut odit, & fugit, & motiva movetur,

vetur, aut stat, sed de hoc iterum infra.

Colligis autem ex textibus allatis Scoti, hanc potentiam esse duplicem in homine, I. spiritualem, quæ residet in anima rationali,& materialem, & organicam,quæ residet in sensibus internis,& externis, sed dependenter ab anima, à qua corpus vivificatur; & sic aliquando fieri possunt aliqui motus prævenientes cognitionem intellectus, & imperium voluntatis, imò & contra dictamen rationis, & ipsam voluntatem. An autem contra, aut citra omnem prorsus consensum appetitus,problema mihi est; valde enim difficile est, quin semper interveniat aliqualiter appetitus,etiam in dormientibus. Aliunde verò multi sunt tales motus, qui potiùs videntur naturales, quàm ex ullo appetitu,saltem positivè.

Quæres, *quod sit organum hujus potentiæ*.

Resp. quod radicaliter in cerebro, sed proximè in nervis,musculis,& spiritibus. Nam, ut dixit Plato, *nervorum, carnisque genus effinxit Deus, ut nervis quidem membrana reliqua vincientibus, intensis, remissisque circa cardines ipsos corpus universum ad reflexionem, tensionemque promptum, & agile redderet*. Omnis motus localis animalium tribus potissimum perficitur instrumentis,pedibus, alis,& pennis, quia istæ partes constant *musculis,ossibus,& articulis*: *musculi* sunt tanquam motores, *ossa* sunt corpora mota, *articuli* sunt quiescenti corpori necessaria. *Musculus* est instrumentum motus, componitur ex vena, arteria, nervo, carne, ligamento, tendine, & membrana; vena,& arteria musculo insunt, & ille his nutritur. *Nexus* quidam membranosi per corpus musculi dispersi resolvuntur in nervos,& ad illos spectant, alii ex ambiente tunica pariter reducuntur ad ligamenta. *Tendo*, qui est finis nervosus musculi ex utroque conflatus, sc. nervo, & ligamento; sic *musculus* his tribus constat, carne, ligamento,& nervo. *Tendo* est musculi pars durior, qua præcipuè natura intendit motum exercere: sed illi tantùm musculi habent *tendines*, qui ossa movent, & in *tendines* terminantur, illisque carent musculi palpebrarum, faciei, & frontis. *Tendo* est frigidus, siccus, exanguis, & albus, minùs tamen siccus, quàm *cartilago*, sed magis, quàm ossium ligamenta. Recipit

cipit vim movendi à nervo, licet illi non misceatur, sed irradietur spiritibus *Nervus* item exiguus est in musculis, quia in iis inseritur ad vim motivam conferendam, non verò ad motum præstandum est destinatus; mole quidem exiguus, sed virtute magnus: nam calefactus nimium, aut frigefactus, contusus, vulneratus, convulsio, vel acuta febris delirium, paralysis, & alia sæva symptomata excitantur: Venæ autem,& *alteriæ* longè majores sunt in musculis,quia cùm eorum substantia sit carnea, calida, laxa, & mollis, copiosum sanguinem exposcit, grandioresque venas, & arterias ad substantiam resarciendam. *Articuli* sunt etiam motus instrumenta secundaria, ex ossibus, ligamentis, & cartilagine composita, quorum *actio* est *flexio*, *extensio*, & *motus* ad latera: Tot sunt motus differentiæ, quot loci positiones, scilicet *sursùm*, *deorsùm*, *retrò*, *ante*, *dextrorsum*, *sinistrorsum*, & in *gyrum*, & quò tendines, nervi, musculi, & ligamenta sunt sicciora, eò sunt robustiora, inquit Galenus. [1]

Quantùm ad ossa, in illis incipit, & finit motus, ex Arist. ossium juncturas sic disposuit natura, ut facilior sit motus, dum unum quiescit, quamdiu alterum movetur. In eorum commistura unum est concavum, aliud convexum, quod in alterius concavo sic connectitur, ut uno quiescente alterum moveatur instar portæ supra cardines motæ, & ne in motu illorum junctura dissolvatur, providit illis de ligamentis,quibus non solùm vinciantur inter se, sed etiam ut expeditè, & sine læsione sequantur musculos. Plura vide apud Anatomistas.

Circa causas alias motus istius nihil occurrit disputandum; certum enim est animam rationalem in homine, & sensitivam in brutis esse effectricem, phantasiam, sive æstimativam esse directricem, spiritus animales esse prima instrumenta: cætera patent ex dictis.

DISPU-

[1] 3. *sympt. caus.* 3.

DISPUTATIO XII.

De Anima Rationali secundum se.



HÆc Disputatio tantò præcedit cæteris, quantò illius objectum, sc. anima rationalis, & homo ipse cæteris viventibus superior est. Hæc enim naturam angelicam æmulatur, & ad Dei similitudinem, & imaginem evehitur. Hanc partem paulò accuratius pertractabo, quia majoris est momenti pro aspirantibus ad Theologiam.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit anima rationalis.

EXistentiam animæ rationalis non est, qui neget, aut de illa dubitet. De illius quidditate convenit inter omnes Christianos, sed innumeri fuerunt veterum errores, præcipui sunt eorum, qui dixerunt, eam esse materialem, & corpoream, ut inter Ethnicos Chrysippus, [1] & inter Christianos hæreticos Tertullianus, & Apollinaris, alii, qui spiritalem eam agnoscunt, & nimis extollunt dicentes, eam divinitatis esse particulam, ut Manichæi, & Priscillianistæ; Origenes eam ab Angelica natura non distinguit. Alii distinguunt, sed ab illis produci fingunt, & definiri potest, *actus corporis organici potentia vitam rationalem habentis*. Nam per ly *rationalem*, differt ab aliis animabus, per reliqua convenit cum illis, & ex dictis patet. Poterit etiam definiri, *id, quo vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus*. Per hanc ultimam particulā distinguitur à sensitiva.

CONCLUSIO.

A*Nima rationalis est substātia spiritualis incōpleta, verè informās corpus.* Duas habet partes, 1. asserit spiritualitatē, & hoc vel est de fide, quod multi putant, aut saltē adeò certū, ut contrariū dici non possit

[1] *l. de An. & car. Chr.*

sine temeritate. 2. Rationem formæ contra eos, qui dicunt, eam non esse informantem, sed assistentem.

Prob. ex Scoto [1] ponente, & probante has propositiones. 1. *Anima intellectiva est forma hominis specifica.* 2. *Anima est incorruptibilis.* 3. Per *intelligere, intelligo actum cognoscendi totum genus cognitionis sensitivæ transcendentem: homo cognoscit actu non organico*, ergo & immateriali, nam *intellectio est operatio immaterialis, quia proximum receptivum habet non includens materiam saltem corporalem, ideò sine materia potest haberi, nunc autem potens habere operationem, sive materia potest esse sine materia, ex hoc medio, sc. operatione, potest concludi ipsius naturæ talis immaterialitas*, quod etiam arguitur ex immortalitate. [2]

Prob. 2. ex Scriptura. [3] *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*: item [4] *in manus tuas commendo spiritum meum*: scio, quòd *spiritus* in Scriptura non semper significat substantiam immaterialem: sed in his locis non potest aliter accipi, & sic intelligunt SS. Patres, & Theologi.

Prob. 3. ex SS. Canonibus [5] docentibus naturam humanam esse constitutam ex spiritu, & corpore, & inter hęreses refertur sententia tenens animam intellectivam non esse spiritum.

Prob. 4. aliquot rationibus. 1. Ex modo operandi animæ tàm per intellectum, quàm per voluntatem, nam hic modus est independens à materia, & circa objecta immaterialia, ut circa Deum, & circa universalia, & naturas abstractas, ergo & ipsa est immaterialis, quia nulla forma operatur supra propriā perfectionem, operatio enim est propria ejus perfectio. 2. Ex modo operandi, quia in suis cognitionibus descendit ab universalibus ad singularia, quod non facit potentia materialis, quæ est semper circa singularia. 3. Ex natura appetitus rationalis, qui est liber, & fertur in objecta possibilia, aut præsentia, & futura, & impossibilia, & spiritualia, quod non faciunt potentiæ materiales. 4. Ex modo essendi in corpore, quia ibi est indi-

[1] 4. *d.43. q.2. A. et C. n.3. et 5.* [2] *quodl. 9. D. et H.*
[3] *Eccl. ult.* [4] *Ps. 30. a. b. et Luc. 23. 46.*
[5] *Conc. Later. c. firm.*

indivisibiliter, & ad modum rerum spiritualium, sc. tota in toto, & in qualibet parte, nam diximus[1]substantiam spirituale ex indivisibilitate, & inextensibilitate discerni à corporea, sed quamvis illæ, & similes rationes sint valde probabiles, non tamen demonstrant, & patiuntur suas difficultates, quas longum esset examinare.

Prob. 2. p. ex Scoto[2] & SS. PP. Forma innotescit ex operatione, *sed intelligere est propria hominis operatio, ergo est à propria forma: sed est ab intellectiva, ergo intellectiva est propria forma hominis.* Et alibi ex professo docet, [3] *animam intellectivam esse veram, et specificam formam corporis. 1. ostendendum, quòd anima intellectiva secundum se totam in quantum intellectiva corpori unitur, ut forma, 2. quòd ei unitur, ut forma specifica, etc. quòd autem uniatur illi, ut forma, hoc videntur sentire Catholici tractatores*, ait enim Damasc. *ostendens duo principia, ex quibus cõstat homo. Deus,*[4] inquit, *ex visibili, et invisibili natura condidit hominẽ, ex terra corpus plasmans, animam autem rationalem per insufflationem.* Hujus sẽtentiæ videtur August.[5] *misera*, inquit, *societas carnis, et animæ, spiritus vitæ, et limi terræ, etc.* Item Richard. de S. Vict. [6] *proprium hominũ est habere substantiale esse ex propagatione simul, et procreatione, nam caro propagatur per generationem, anima procreatur à Deo.* Ecce, inquit Scotus, *quòd esse substantiale datur homini, et homo est per animam, non per sensibilem*, &c.

Prob. 2. ex Concil. [7] *Cùm illa (* anima *) non solùm verè per se, et essenialiter humani corporis forma existat, verùm et immortalis, etc.* Item[8] *Doctrinam temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis verè per se non sit humani corporis forma, ut erroneam, et veritati catholicæ inimicã, prædicto probãte Concilio, judicamus, etc.* [9] *Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, animam rationalem non esse formam corporis humani, per se, et essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus.* Tales fuerunt multi Platonici,

V 2 qui

[1] *Disp. 2. q. 2.* [2] *3. d. 43. q. 2. 3. et G. n. 11.* [3] *De rer. princ. q. 9. n. 27.* [4] *l. 2. orthod. fid. c. 12.* [5] *l. 1. de spir. et an. c. 15* [6] *l. 4. de Tr. c. 16.* [7] *Lat. sub Leone sess. 8.* [8] *Conc. Vien. clem. un.* [9] *c. firm. de SS. Tr.*

qui docebant, animam hominis esse tantùm formam assistentē, quæ moveat corpus humanum, sicut dicitur de Angelo, quòd moveat cęlos, & id fortè voluit etiã Orig. qui animas nostras ab Angelis nō distinguebat, cùm autē illi sint substãtiæ spirituales per se completæ, nō possunt inesse corporibus, nec ulli rei per modũ partis informantis, sed assistentis. Ita esset de Anima.

Prob. 3. ratione: Nam illud est forma hominis intrinseca, & informans, ac constituens, quod est naturale, & internũ principium operationum ejus propriarum, ut sunt intellectio, & volitio: sed talis est anima rationalis, ergo est verè forma informans. Prob. maj. forma assistens non est principium internũ actionum rei, sed extrinsecum, nec tribuuntur rei motæ, sed moventi, & assistenti, v.g. motus navis non tribuitur illi, sed nautæ, ita est de auriga, &c. ergo si anima esset tãtùm forma assistens hominis, non esset internum, sed externũ principiũ actionũ ejus, nec homini tribueretur, sed illi spiritui assistēti; deniq; tam regulariter moveret actiones fatui, & infantis, quàm alterius cujusvis.

Objic. 1. Scriptura, & PP. dicunt, quòd Deus [1] *inspiravit in faciem* Adæ *spiraculum vitæ*, unde Tertullianus, [2] *anima in substantia flatus est, in effectu spiritus*, quia spirat. Item David dicebat, *Educ de* [3] *custodia animam meam: spiritus autem ligari, vel carcerari non potest*, inquit idem Tertul. & Dives de anima sua conqueritur, *crucior in hac flamma*, spiritus autem non cruciatur ab igne corporeo. Et in 7. Synodo, [4] quidam Joannes Episcopus Thessalonicensis asseruit, animas esse corporeas, nemo, inquit, vel Angelos, vel dæmones, vel animas dixit incorporeas, & id non improbat Concilium. Denique plurimi SS. Patres vocant *animam rationalem corpoream*, ergo non est merè spiritualis.

Resp. neg. conseq. 1. quia Tertullianus non benè explicat sensum scripturæ, nec illi in hoc fidendum, quia illa custodia animę nō intelligitur de vinculis, & carcere materialibus, quasi verò anima ligetur sicut corpora. Dives non conqueritur de ardore physicè torquente, sed moraliter, ut supponitur ex Scoto in Theologia, vel id fit supernaturaliter, ut aliis placet.

Joan-

[1] *Gen.* 2. [2] *Tertul. l. de An.* [3] *Psal.* 141.
[4] *Concil. Nic. 2 act.* 5.

Joannes ille sic loquebatur in gratiam imaginum, ut probaret Angelos,& animas posse pingi quasi materiales,& quoad hoc annuebat Concilium, non quoad antec. de vera illorum corporeitate ejus opinio refertur quidē in actis,sed non approbatur. Denique SS. PP. aliquando animas videntur vocare corporeas propter commercium,& unionem cum corpore, atque etiam in comparatione substantiæ divinæ,quæ infinitè spiritualior est,& hoc ita dicebant contra illos, qui fingebant animas nostras esse particulas substātiæ divinæ.

Objic.2. Forma spiritalis non pendet in fieri,& operari à subjecto materiali, sed anima sic depēdet à corpore, ergo non est spiritualis. Prob. min. Anima nec conservatur, nisi corpus sit organizatum,& dispositum: & in eo non est, nec conservatur, nisi quandiu est dispositum, & non operatur, nisi dependenter à sensibus.

Resp. cum Scoto,[1] dist. maj. Non pendet à corpore influente in fieri,& esse,& operari velut à priori,& in ratione talis formę,ita quin posset produci ante unionem,& esse,& operari extra illud,conc.ant. velut à posteriori,& in ratione formæ, seu entis incompleti, & actuantis, quod potest produci independenter ab ejus concursu, & esse,& operari extra illud,neg.maj. min. & conseq. nam anima nostra sic producitur in corpore disposito,ut possit produci absque ejus ullo influxu,& ante unionem ejus in illa, saltem prioritate naturæ,& in esse,& operari extra illud:

Objic. 3. Inter formam, & subjectum, animam, & corpus, debet esse proportio: sed nulla est inter formam spiritualem, & corpus, ergo forma corporis nostri non est spiritualis. Prob. maj. Nam anima deberet movere,& agere in corpus,& per illud exercere suas operationes,ergo debet esse proportio.

Resp. dist. maj. Debet esse proportio, adeò ut se habeant ad invicem per modum actus,& potentię,conc. maj. & neg. min. alia proportio,neg. maj. & cōseq. sufficit ergo,quòd corpus se habeat,ut potētia receptiva, & perfectibilis,anima verò ut actus, & res perfectiva.

Objic.2. contra 2. p. 1. ex Arist.[2] *obscurum est, & nondum patet, si perinde corporis nulla anima sit actus, ut gubernator actus est navis*, & dat exemplum de

[1] 2.d.17.q.1.6.n.5. [2] 2, *de An. T.* 10.

intelligentia cœlorum motrice, sed gubernator navis, & intelligentia non sunt formæ informantes, ergo nec anima.

Resp. neg. conseq., Nec enim id voluit Arist. vel sibi contradiceret, & ideò parum esset curanda ejus auctoritas, nam definit animam *actum corporis organici*, unde si ibi videtur dubius, hic & alibi sese declarat.

Inst. Anima rationalis independenter à corpore habet suas intellectiones, & volitiones, ergo non dependet à corpore velut à comparte.

Resp. dist. ant. In statu separationis, conc. ant. in statu unionis, neg. ant. & conseq. in statu unionis dependet à sensibus, accipit ab eis species, & per illos elicit operationes sensitivas, separata verò elicit purè intellectivas.

Inst. 2. Vel informaret secundum gradum sensitivum, vel secundum gradum rationalem, sed neutrum dici potest, ergo non informat verè. Prob. min. Nam si secundum sensitivum, id melius fieret per formam sensitivam, si verò per rationalem, redderet corpus rationale.

Resp. neg. min. Nam informat secundum se, & totam suam substantiam, in qua gradus illi non distinguuntur realiter.

Objic. 2. Nulla alia substantia spiritualis potest informare materiam, ergo nec ista. Conseq. patet, non enim est major ratio de ista. Prob. ant. Nulla alia est substantia spiritualis præter Deum, & Angelos; sed hæc informatio illis repugnat, ergo & huic.

Resp. neg. conseq. & disparitas est, quia Deus est substantia completissima, est actus purissimus, Angeli sunt entia per se completa, anima verò incompleta.

Inst. Si esset in se incompleta, & per se actus respectu corporis, appeteret illud: sed non appetit, ergo non est per se actus ejus. Prob. mi. 1. quia potiùs abhorret, quia impeditur per illud à suis operationibus spiritualibus, 2. quia separatio esset illi violenta, quod nemo dixerit.

Resp. neg. min. & utramque rationem ejus, tum quia juvatur ab eo in operationibus sensitivis, imò, & in aliis, recipiendo species, quibus mediantibus intel-

intelligit objecta materialia pro hoc statu: tum quia in statu separationis retinet appetitum innatum ad corpus, indeque resurrectio hæc non est inclinatio imperfecti ad perfectum, qualis est materiæ ad formam, sed perfecti ad communicationem perfectionis.

CONCLUSIO II.

Anima rationalis non est divinæ substantiæ particula: nec composita ex materia prima, & forma, vel partibus integrantibus: sed est indivisibilis, & tota in toto corpore, & tota in qualibet parte.

Prob 1. *ex Scoto*, [1] qui ubique illam supponit esse substantiam creatam, & spiritualem, quod patet doceri ab ipso Arist. *notandum, quòd opinio philosophi, quæ hic innuitur, videtur satis accedere ad veritatem fidei christianæ, nam scientia ejus videtur esse, quòd anima intellectiva non sit corpus, ut Plato dicitur posuisse* (sic excluditur compositio ex materia) *& hoc quidem verum est, quia anima creando infunditur à Deo, & infundendo creatur. Nec etiam corrumpitur corrupto homine.* Et alibi docet, [2] proximum subjectum receptivum intellectionis non esse *aliquid materiale ad formam simplicem*: Item diceretur, *quòd bene potentia intellectiva est immaterialis, & etiam anima hoc modo est immaterialis.* 3. partem habet expressè dicens de anima *existente in capite, & pede, & distante à se per medium, scilicet in totum corpus, & tamen est eadem ex illimitatione sua ad omnes partes, & tota in qualibet.*

Prob. 2. *quoad* 1. *partem contra Priscillianistas, & Manichæos ex eodem Scoto.* Hic error est nullus, *quia qui concipit substantiam Dei, concipit eam, ut indivisibilem, quæ nullo modo potest aliter, & aliter se habere*: Deus etiam non est perfectio inhærens alicui, ut forma, & sic *anima non esset forma corporis, ergo si est substantia Dei, est tota substantia Dei, & sic erit Deus.* Præterea anima potest mutari, substantia Dei est omninò increabilis, indefectibilis, indivisibilis, simplex, æterna, impeccabilis &c. Sed anima nostra è contra est creabilis, defectibilis, pars compositi temporalis, peccabilis &c. ergo hæc non est, nec esse potest de Dei

[1] 12. *metaph. c.* 3. *n.* 12. [2] *Reper.* 4. *d.* 10. *q.* 4. *n.* 35.

substantia. Unde contraria sententia damnatur ut hæretica: [1] *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, Anath. sit*, & Leo Primus [2] sic illam damnat. *Quam impietatem ex philosophorum quorumdam, & Manichæorum opinione manantem catholica fides damnat sciens nullam tàm sublimem, tamque præcipuam esse facturam, cui Deus ipsa natura sit.*

Prob. 2. *pars*: [3] si anima constaret materia prima, vel esset ejusdem rationis cum nostra, vel diversæ; sed neutrũ dici potest, ergo nõ cõstat materia prima, prob. min. quòd non sit ejusdem rationis: materia nostra est corporea, anima verò purè spiritalis, ergo materia illa animæ non potest dici ejusdem rationis cum nostra. 1. pars antecedentis patet ex dictis, prob. quoad 2. materia nostra pertinet ad prædicamentum substantiæ corporeæ, & non est spiritualis, ergo est corporea: nam inter spirituale, & corporeum non datur medium: Confir. hæc probatio, quia materia nostra est divisibilis in partes integrales, & entitativas, ut probatum in Logica, & Metaph. sed anima est indivisibilis in tales partes, ergo non est similis materiæ cum nostra, min. patebit mox.

Prob. quòd non sit alterius speciei à nostra, quia sine ullo fundamento asseritur illa species materiæ, ergo non est asserenda, ne multiplicentur entia sine necessitate. Ant. patebit ex objectionibus.

Prob. 3. *pars* [4] *iterum ex Scoto*: anima intellectiva, *quæ non est limitata ad perficiendam hanc partem corporis organici sine sui divisione, & extensione qualicumque, vel per se, vel per accidens potest perficere aliam partem corporis organici*, &c. quod alibi probat ex professo tum ex SS. Patribus, tum ex ratione. Ex S. August. *Anima non modo universæ moli corporis, sed etiam universæ particulæ illius tota adest simul*. [Ex S. Hieron. *Anima per totum corpus, quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intensione porrigitur: nam per omnes ejus particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, nec major in majoribus: sed alicubi intensius, alicubi remissius, in omnibus tota, & in singulis tota est*: De indivisibilitate diximus supra.

Objic.

[1] *Conc. Brac. c.* 5. [2] *Epist.* 71.
[3] 2. *d.* 2. *q.* 11. *EE. n.* 40. [4] *Disp.* 8. *q.* 6.

Objic. contra 1. partem. Deus creans Adam [1] *insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ*, per quod factus est similis Deo, ergo anima est quædam particula deitatis, qua homo fit similis Deo.

Respond. n. conseq. id enim pessimè infertur ex illo textu; imò contrarium eliceretur. Nam spiritus sanctus, qui per spirationem procedit à Patre, & Filio, non dicitur ad similitudinem, & imaginem factus, sed Deus ipse in unitate substantiæ. Per illum ergo textum colligitur solùm, quòd anima hominis non educitur ex potentia corporis ejus per eductionem, vel generationem, sed ex omnipotentia per creationem, sicut Spiritus S. insufflatus venit ab extra, scilicet ab ore insufflantis. S. Augustinus [2] contrariam opinionem vocat *sacrilegam*.

Objic. 2. *contra* 2. *partem*. I. Scotus videtur docere animam, & Angelos constare materia prima, & quidem simili nostræ: *Probabiliter potest dici, quòd in anima, & Angelo sit materia, quæ est ejusdem rationis cum materia corporalium*, ergo illa pars est contra Scotum.

Respond. neg. conf. nam ibi loquitur Doctor non ex propriis principiis, & mente, sed ex principiis Arist. & S. Thomæ, qui volunt individuationem sumi ex materia; nam hoc supposito sequitur, quòd materia est in animabus, & Angelis, quia sunt plura individua animarum: imò & Angelorum, ex propriis verò principiis, & mente asserit animam esse purè spiritalem, ut patet ex textibus allatis, & ex dictis de principio individuationis, quod non docet venire ex materia, sicut Thomistæ.

Objic. 2. In anima sunt proprietates materiæ, ergo & materia ipsa, prob. antec. proprietates materiæ 1. sunt esse ingenerabilis, incorruptibilis, & creabilis, & substare accidentibus: sed illæ conveniunt etiam animæ, ergo proprietates materiæ conveniunt animę.

Respond. n. ant. & maj. prob. proprietates 1. aut 2. aut 3. modo, & aliquales, conc. ant. & maj. proprietates 4. modo, & convertibiles, neg. ant. & maj. prob. nam ingenerabilitas, & incorruptibilitas, & creabilitas non conveniunt soli materiæ, conveniunt enim & gratiæ divinæ, & aliis accidentibus spiritualibus.

V 5 Sub-

[1] *Gen.* 2. [2] *l.* 7. *de Gen. ad litt. c.* 23.

Substare accidentibus convenit substantiæ, *ut sic*, imo & quantitati: unde id convenit formæ, ut substantia est; ita & materiæ: non autem præcisè per materialitatem.

Objic. 3. Anima est passiva, ergo per materiam, quæ est primum passivum, prob. conseq. non potest esse passiva nisi dependenter à primo passivo, sicut agens secundum dependet à primo: sed materia est primum passivum, ergo est in anima.

Respond. neg. conseq. & dist. min. prob. est primum passivum motuum materialium, conc. min. motuum spiritualium, neg. min. Anima enim est primum passivum respectu motuum sibi propriorum, v. g. intellectionum, & volitionum, ac passionum spiritualium, quis hoc neget?

Objic. 4. Non repugnat substantia spiritualis divisibilis, & composita physicè, ergo tales sunt animæ, patet ant. gratia est divisibilis, & non apparet ulla repugnantia evidens talis compositionis, prob. conseq. nam si animæ sint tales, id facit ad decorem universi, ergo id de facto esse concedendum est.

Respond. neg. conseq. nam 1. ex illo principio posset æquè concludi, quòd anima sit substantia simplex, & purè spiritualis, quia talis substantia non repugnat: nec minùs id facit ad decorem universi. 2. quia non sequitur, quòd aliquid sit ex eo, quod non implicat: nec apparet, quis major decor accederet universo ex illa compositione potius, quàm ex simplicitate, imò inde animæ sunt nobiliores, quò sunt puriores, & remotiores à compositione, & materia.

QUÆSTIO II.

De immortalitate animæ rationalis.

Aliquid potest esse *immortale*, 1. essentialiter, & tàm ab *extrinseco*, quàm ab *intrinseco*, ita ut repugnet illi quæcumque defectibilitas, & talis est solus Deus, qui est essentialiter æternus, & solus habet immortalitatem. 2. *ab extrinseco*, & per accidens, quia si Deus vellet conservare in perpetuum rem alioqui de se corruptibilem, v. g. si vellet conservare in æternum cęlos, elementa, aut aliquod animal, il-

la

la essent incorruptibilia, non de se, sed per accidens, & ab extrinseco. 3. ab intrinseco tantùm, quia non habet quidem in se principium corruptibilitatis, sed tamen potest à Deo annihilari, aut destrui, sic Angelus, cùm sit substantia simplex, & carens materia, non habet in se principium corruptionis: sed tamen sicut potuit non creari à Deo, sic posset annihilari. Quærimus, an anima sit mortalis, vel immortalis hoc 3. modo, seu an habeat in se principium immortalitatis, & an possit hoc demonstrari rationibus philosophicis.

CONCLUSIO.

Anima nostra de facto, verè, & de se est immortalis. Hoc Fides docet, *& validissimis suadetur rationibus; sed non demonstratur*: Est contra Epicureos, & Sadducæos, qui putarunt animas, statim ac exeunt ex corpore, interire, & alios, qui putant illas conservari tantùm ex speciali Dei providentia, licèt de se sint mortales.

Prob. 1. *ex Scoto.* Potest dici, *quòd licèt ad illam secundam propositionem probandam* (quòd anima intellectiva est immortalis) *sint rationes probabiles, non tamen demonstrativæ: imò nec necessariæ, &, quoad Aristotelem, dubium est, quid ille sensit: variè enim loquitur in diversis locis, & habuit diversa principia, ex quorum aliquibus videtur sequi unum, & ex aliis aliud.*

Prob. 2. ex Principiis Fidei, & 1. ex Scriptura: [1] *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Item, [2] *ite maledicti in ignem æternum.* [3] Et; *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* [4] Et; *quod in præsenti est momentaneum, æternum pondus gloriæ operatur.* Item; [5] *justorum animæ in manu Dei sunt, visi sunt oculis insipientium mori: justi autem in perpetuum vivent,* &c. 2. ex Conciliis: *cùm diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quòd mortalis sit, aliqui temerè philosophantes secundum saltem Philosophiam asseverent, sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse,*

 cum

[1] *Eccl.* 22. [2] *Matth.* 25. [3] *Jo.* 12. 2. [4] 2. *Cor.* 4. [5] *Sap.* 3. & 5.

cùm illa non solùm verè, per se, & essentialiter humani corporis forma sit, verùm & immortalis, quod manifestè constat ex Euangelio. 3. [1] ex communissima SS. Patrum, & Theologorum, imo & Philosophorum sententia, quorum auctoritates adducere non vacat.

Prob. 2. ratione. 1. Anima rationalis est substantia per se subsistens, & simplex, & spiritualis, ergo est per se incorruptibilis, ant. patet ex dictis. prob. conseq. 1. substantia, quæ per se subsistit, corrumpi nequit nisi per productionem alterius substantiæ spiritualis, alioqui daretur naturaliter annihilatio, quæ non minùs repugnat, quàm creatio: sed nulla vi naturali potest produci alia substantia spiritualis, & subsistens, quia tales ex nihilo producuntur, ergo substantia per se subsistens nequit corrumpi. 2. corruptio fit per dissolutionem compositi: sed quod est simplex non potest corrumpi. 3. substantia spiritalis existit per creationem, & independenter à materia, ergo existentia illa non potest auferri per ullam causam naturalem, & materialem.

2. Homo naturaliter appetit vitam æternam, & nullo bono creato satiatur, ergo est immortalis, saltem secundum animam: natura enim nihil appetit frustra, ant. patet experientia de appetitu vivendi, & gloriæ, & opum, qui non satiatur, hinc cura relinquendi monumenta, scripta, volumina, ædificia, mausolæa, colossos, pyramides, columnas, &c. Denique patientia naturaliter hominibus indita, qua tot mala sustinent in hac vita ex spe melioris.

3. Anima etiam hìc habet multas operationes independentes à corpore: intelligit Deum, Angelos, seipsam, super suas operationes reflectitur, ergo habet independentiam à corpore in existendo æquè, ac in operando, & maximè quia in statu separationis non esset inutilis, idest sine operatione.

4. Nisi anima esset immortalis, manca esset Dei providentia: sed impium conseq. ergo & ant. prob. maj. non justè regeret mundum, quia remanerent boni sine præmio meritorum, & mali sine pena: illi enim in hac vita non experiuntur nisi mala, & isti prosperantur, ergo &c.

5. O-

[1] *Concil. Lateran. sub Leone x. ss. 8.*

5. Omnium nationum, & hominum consensus æquivalet potissimæ demonstrationi; venit ex ipso lumine naturæ, quod non errat: sed omnes homines, exceptis paucissimis, iisque vitiis omnibus deditis, credunt animam immortalem, ergo evidens est lumine naturæ, animam esse immortalem.

Prob. tamen 3. p. sc. hanc veritatem ex sola Fide certam esse positivè, non autem ex demonstratione ulla necessaria, quia rationes illæ, & aliæ similes, quibus utimur, sunt quidem congruentissimæ, non tamen ad rigorem demonstrativæ, quod patet resumendo singulas, nam

Ad 1. antec. non est satis evidens, nam ratio substantiæ, & subsistentiæ non impedit corruptibilitatem. Homo est substantia, & subsistens completè, anima verò non habet nisi subsistentiam partialem, simplicitas, & spiritualitas ejus non constant evidenter; de illis multi dubitant.

Ad 2. Diceretur, appetitum innatum ad immortalitatem non constare in nobis, potiùs quàm in brutis, quæ totis viribus student suæ conservationi, & magis regulariter, quàm homines, qui mortem sibi accelerant suis excessibus. Elicitus verò non satis probat, nam sic multa appetimus, quæ non conducunt, nec eveniunt; imò nec sunt possibilia; nec omnibus probatur illa cura monumentorum, ne sapientibus quidem. Denique ex appetitu beatitudinis non sequitur, eam demonstrari ratione naturali.

Ad 3. antec. non est satis evidens, nam potiùs videtur anima pendere à sensibus. Commune axioma est, *nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu*, & licèt anima reflectat, & discurrat, & eliciat conclusiones, & cognitiones insensatas, tamen excitativè, & occasionaliter pendet à phantasmatibus. Conseq. etiam non est necessaria: nam albedo separata à substantia, disgregat visum, sicut dum inhæret, & tamen non sequitur independentia ejus à subjecto substantiali.

4. Ratio est quidem congruentissima, sed moralis, & theologica potiùs, quàm naturalis, ac demonstrativa; nec enim deessent Deo rationes aliter disponendi, & licèt per tempus possent conservari animæ in alia vita ad præmiandum bonos, & puniendos malos, nihil

urge-

urgeret ad præmia, vel pœnas æternas.

5. Est etiam validissima, sed non demonstrativa & per se evidens, nam vulgus ita sentire potest ex Doctorum traditione, & isti sic docere possent ex principiis Fidei, ex quibus est certissima hæc veritas, & sufficit Christianis. Rationes verò sufficiunt contra impios, & qui sine ratione ulla gravi tantis luminibus contradicunt. Alias multas rationes videbis apud Mastrium, Conimbricenses, & alios.

Objic. 1. contra 1. p. Ex Scriptura [1] *unus est interitus hominum, & jumentorum*, jumenta autem moriuntur, quoad animam. 2. potest interfici anima hominis, cùm dicitur, [2] *non interficiamus animam ejus*. 3. [3] *Ex nihilo facti sumus, & post hoc nihil erimus, quasi non fuerimus*. 4. Concilium Nicænum approbat dictum Sophronii, quòd anima sit immortalis per gratiam, ergo ex Scriptura, & Conciliis, anima non est immortalis, saltem de se.

Resp. neg. conseq. Nec enim id sequitur ex his textibus. Duo primi loquuntur de interitu, & interfectione quoad vitam hanc mortalem, & in 3. loquitur in persona stultorum, qui sic opinantur de se ipsis. *Hæc cogitaverunt impii, & erraverunt*. Sophronius loquitur de gratia largè pro ipsismet donis creationis, & conservationis, & naturæ, quia, quod talis sit anima, &, ut eam Deus velit creare, & conservare, donum ejus est, sed in ordine naturæ.

Objic. 2. Corpus est corruptibile, ergo & anima, nam forma debet subjecto proportionari, & de facto sequitur dispositiones corporis, & temperamentum.

Resp. neg. conseq. & dist. rationem. Debet proportionari, ita ut se habeat ad corpus, ut actus, & perfectivum ejus, conc. cons. in omnibus, ita ut sit corruptibilis, & materialis sicut illud, neg. Quòd autem in operationibus suis sequatur temperamentum, id accidit, quia pro hoc statu unionis operatur simul, & dependenter à sensibus, non verò, quòd sit ejusdem naturæ.

Instabis. Post mortem *peribunt omnes cogitationes eorum*, ergo post mortem anima nihil operabi-

[1] *Eccl.* 3. 19. [2] *Gen.* 38. [3] *Sap.* 2.

bitur, ergo frustra esset.

Resp. dist. ant. *peribunt cogitationes*, quibus occupantur in hac vita, conc. ant. & de his loquitur David; sic peribunt, ita ut anima nihil intelligat, nec amet, neg. ant. & conseq. id enim falsum est.

Instabis 2. ex eadem Scriptura. *Melior est canis vivus homine mortuo: viventes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil noverunt, nec ratio scientiæ est apud inferos*, ergo responsio nostra non est ad sensum scripturæ.

Respondeo neg. conseq. imò hinc infertur existentia animæ post mortem, & apud inferos; loquitur autem de homine mortuo quoad actiones humanas, & temporales, quæ pereunt cum hac vita.

Objic. 3. Anima producitur dependenter à materia, ergo & conservatur, & existit dependenter ab illa, ergo non potest de se, & naturaliter conservari extra corpus, sicut neque aliæ formæ substantiales. Prob. ant. Alioqui produceretur per creationem: sed non creatur vera creatione, ergo educitur à materia.

Resp. neg. ant. & min. prob. De productione ejus videbimus brevi.

Objic. contra 3. partem. Concil. Lateranense citatum damnat eos, qui audent dicere *de natura animæ rationalis, quod mortalis sit, saltem secundum naturalem Philosophiam*, ergo Concilium censet, immortalitatem animæ esse demonstrabilem, & certam ex principiis Philosophiæ naturalis. Ex D. Chrysost. [1] *qui de animæ immortalitate dubitaret, etiam dubitare posset, an in meridie sit dies*. [1] Et S. Augustinus: *Si animus est mortalis, Epicurus in animo meo palmam habet*, & ex Jodoco Loriehio legitur, [2] *erroneum, ac tantùm non hæreticum est astruere animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse, et periculosum, ac temerarium est, ne quid amplius addam, affirmare, quòd nullum hactenus argumentum inventum vere demonstrat animæ immortalitatem*.

Resp. neg. conseq. Non negamus, quin anima ex natura sua, & secundum naturalem Philosophiam sit immortalis, sed tantùm quòd habeamus hac de re argu-

[1] *Homil. 4. de provid.* [2] *Theat. Theol. v. anima.*

argumentum plenè demonstrandum , & hoc non est contra Concilii mentem, imò dicit , quòd hoc constat ex Evangelio , non verò ratione demonstrativa . Ad D. Chrysost. dicimus , hoc certius esse, quàm quòd dies sit, quia Fides Christiana certior est quacumque cognitione humana, sed tantum negamus, id esse demonstrativum , alioqui sicut dubitari non potest, quòd in meridie sit dies , quia implicat in terminis non esse diem, & quòd in meridie sit dies , est propositio per se nota , aut fortè identica , nec eget probatione ; ita esset de ista : anima est immortalis , quod nullus dicet . Igitur S. Chrysost. concionatoriè loquitur . Sentio etiam cum S. August. sed hinc non sequitur ; nec dicit Sanctus Doctor , quòd hæc veritas sit evidens per demonstrationem : *Humanis quippe argumentationibus nec invenire conantes , vix pauci magno præditi ingenio , abundantes otio , doctrinisque subtilissimis eruditi ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt* , Non dixit, *demonstrandam* , sed *indagandam* . Quoad Lorichium verò potuit putare , sua argumenta demonstrativa esse , sed cum bona ejus venia , non sic judicant plurimi non inæqualis auctoritatis.

Solet hìc disputari de mente Aristotelis, an positivè docuerit animæ nostræ immortalitatem , & pro affirmativa citantur varii textus ejus non contemnendi : sed citantur etiam alii in contrarium , ut notavimus ex Scoto. At ubi ratio , & auctoritas Scripturæ, ac Doctorum omnium consensus suppetit , parùm curamus de Philosophis Ethnicis .

QUÆSTIO III.

De origine , & causa efficiente Animæ Rationalis .

DE origine animæ plures errores , & opiniones diversæ circumferuntur . [1] 1. Alii æternas , & incommutabiles in essentia dixerunt , 2. alii creatas quidem à Deo, sed ab initio mundi, & omnes simul , 3. alii in cœlo conditas , & degentes , sed quòd ob peccata ibi admissa disjiciütur in corpora, v.g.

ob

[1] *Mast. disp.1. n. 160.*

ob nauseam cœlestis beatitudinis, & desiderium terrenæ voluptatis, 4. alii circulationem animarum, & metempsicosim fingunt, quòd è corporibus humanis migrant in bellu:na, & ex h:s in illa perpetuo circuitu, 5. alii ex Dei substantia, quasi scintillas, erupisse, 6. alii particulas animæ mundi, quem putarunt animatum anima communi, & universali, contra quos omnes, & similes sit

CONCLUSIO I.

Anima rationalis est à solo Deo per creationem, nec priùs creatur, quàm infundatur corpori. Ita Catholici omnes, & docetur, aut supponitur à Scoto, [1] ubicumque loquitur de hac quæstione, v.g. cùm dicit, quòd anima *non est causa effectiva suæ primæ unionis cum corpore, sed solus Deus creans, & infundens, et quòd ista prima productio est in animatione corporis organici*, sic enim docet utramque partem conclusionis, sc. creationem animæ à solo Deo, & simultatem creationis cum infusione, seu creationem ejus in corpore. Idem docebat dicens, [2] *eam creari non posse nec ab alia anima, nec ab Angelo*, & [3] quòd *Philosophi non concederent animam creari, quia non sunt imaginati, sicut nos, quòd actio in 1. instanti naturæ, vel temporis terminetur ad esse ipsius animæ*, vide tractatum de rerum principio.

Prob. etiam cum Scriptura sic loquente cum matre Machabæorum: [4] *non ego spiritum, & animam donavi vobis, & vitam, sed mundi creator.* 2. Ex Conciliis, & SS. Canonibus, qui hanc veritatem ubique docent, aut supponunt, [5] *animam hominis non divinæ esse substantiæ, aut Dei patris, sed creaturam dicimus Dei voluntate creatam*, inquit Toletanum I. Et idem deducitur ex aliis, in quibus asseritur [6] *infusio animarum in corpora, ingenerabilitas, immortalitas, & spiritualitas.* 3. Ex SS. PP. & Theol. qui hoc deducunt ex illis verbis Adæ post formatã Evã: [7] *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Addit Procopius, *et non anima de anima mea quia caro non gignit animã*, & Glossa in illud Ps. 32. *qui finxit singillatim corda eo-*

[1] *4. d. 43. q. 3. O. n. 21. et 22.* [2] *d. 1. q. 1. M.* [3] *2. d. 17. A n. 3.* [4] *2. Mach. 7.* [5] *Cap. Moyses 43. q. 2.* [6] *c. 21. assert. fidei.* [7] *Gen. 2.*

eorum, Addit, *creavit animas sigillatim, singulas per se creavit ex nihilo, non ex Adam, ut quidam dicunt, putantes animam esse ex anima*, & S. Bonav. inter Patres, & Theologos Seraphicus [1] *Animarum creationem Deus sibi soli debuit reservare tum propter earum dignitatem, tum propter earum immortalitatem*, &c. Citat Scotus [2] egregia loca Damasceni, August. & Richardi, & addit, *hæc quia communiter creduntur ab omnibus, & infinitæ sunt auctoritates, non curo eas adducere*.

Prob.2. ratione. Non potest ab ulla causa creata produci, ergo à solo Deo producitur, & quidem per creationem, quia, cùm sit spiritualis, non potest educi, seu produci dependenter à subjecto corporeo. Prob. ant. 1. Non ab homine per virtutem seminalem, quia semen est quid materiale, & corruptibile, anima verò spiritualis, & incorruptibilis, & longè nobilior, ergo non potest ab homine per virtutem seminalem generari. Prob. conseq. Causa non potest esse ignobilior effectu, ut patet ex Physica. 2. non ab alia anima sicut candela de candela, ut loquitur Doctor post Augustinum, neque etiam ab Angelo, quia uterque operatur mediante volitione, & intellectione, quæ sunt accidentia, non sunt productiva substantiæ, & præterea uterque est substantia indivisibilis, ergo nihil de utroque potest detrahi, ut transeant in animam producendam.

Confirm. ex S. Hieron.. Cum enim S. August. de origine animarum cum illo contenderet, dicens: *Hoc certè sentis, quòd singulas animas singulis nascentibus etiam modò Deus faciat. Ecce volo, quòd ista sententia modò mea sit, sed nondum esse confirmo*; revera sæpè visus est dubius. Resp. Hieronymus. *Qui animas ex una propagari asserit, et non in corpus juxta exemplum primi hominis quotidie fieri, anathema sit*.

Prob.2.p. quæ est de fide, & definita à Leone I. contra Priscillianistas. *Quos catholica fides à corpore suæ unitatis non abscidit constanter prædicans, atque veraciter, quòd animæ hominum, prius quam suis inspirentur corporibus, non fluant, nec ab ullo alio incorporentur, nisi ab opifice ipso Deo, qui ipsarum est creator, & corporum*. Habes ergo utramque partem, & quod ani-

[1] 2.d.18.q.1.a.3. [2] *de rerum princip. q.10.n.4.*

animæ creentur à solo Deo, & quòd non ante creentur, quàm infundantur, seu incorporentur. Idem definitum est in Concil. Bracarensi.

Prob. 2. Quia sine ulla ratione asseritur, eas ante, vel extra corpus produci, v.g. ab initio mundi, 1. essent imperfectæ extra corpora, sed *Dei perfecta sunt opera*. 2. Essent in aliquo statu violento, & præternaturali per tot secula, sunt enim natæ perficere corpus, & cum illo facere unum per se compositum. 3. Per tot sæcula, & usque ad tempus unionis cum corpore deberent operari suo modo, & per consequens mereri, vel demereri, alioqui essent otiosæ, & inutiles, &c. Denique naturali ordine prius est esse subjectum, quàm formam, & actus est perfectior potentia: Deus autem facit eas secundum statum naturalem earum, ergo est contra fidem, & rationem naturalem dicere, quòd animæ creentur ante, vel extra corpus.

Objic. 1. In materia est potentia passiva ad recipiendam animam: hæc enim est actus ejus proprius, & naturalis, ergo debet dari naturalis potentia activa, à qua eadem anima producitur. Prob. conseq. Potentia activa, & passiva debent esse ejusdem ordinis, ne altera sit frustra.

Resp. dist. conseq. Potentia activa *naturalis*, id est in toto ordine rerum naturalium, & quæ agit juxta exigentiam passivæ, conc. maj. *naturalis* ejusdem ordinis, sc. materialis, & alio modo, neg. conseq. *naturalis* enim ibi accipitur, prout opponitur supernaturali, & agens dicitur *naturale*, quandiu sic agit. Licèt ergo Deus solus producat animam rationalem, non ideò dicitur forma *supernaturalis*, nec ille dicitur supernaturaliter agere, quia natura disponit corpus ad illam recipiendam, & corpus eam exigit supposita organizatione, & quidem generali influxu.

Inst. Causa secunda, sc. parens, aut semen attingit ultimas dispositiones ad animam, ergo debet attingere & ipsam animam.

Resp. neg. conseq. & rationem ejus: nec enim est universaliter vera, calor ponit in ligno dispositiones ultimas accidentales ad ignem, non verò ignem, dist. ant. prob. si dispositiones, & forma introducenda sint ejusdem ordinis, conc. ant. si sint diversi ordinis, ut istæ, neg. ant. nam forma est substantia spi-

spiritualis, & dispositiones sunt ordinis accidentium materialium.

Objic.2. Alia animalia producunt sibi simile, ergo & homo. Prob.conseq. Omne perfectum producit sibi simile,& in hoc est perfectio notabilis: sed homo est animal perfectissimum, ergo debet producere sibi simile, ergo homo debet producere hominem etiam quoad animam.

Resp.neg. conseq.& dist. maj. prob. In purè corporeis,& quoad corpus, conc. maj. in mixtis ex corpore, & spiritu,& quoad spiritum, neg. maj. homo autem talis est, & quoad animam non est generabilis ob rationes allatas, & longè major est gloria,& perfectio ejus,quòd à solo Deo possit produci quoad animam.

Inst. Ergo homo non generat hominem, quod est absurdum, & contra communem sensum.

Resp. neg. subsumptum. Nam licèt parentes non producant animam filiorum, producunt tamen corpus eorum de sua substantia, in quo recipitur anima à Deo creata in tali corpore, & sic attingunt finem naturæ, qui est totum compositum.

Objic.3. ex Script. Deus consultat cum Angelis, *faciamus hominem ad imaginem nostram*, & de facto homo per animam est similis Angelis, ergo Angeli concurrunt effectivè ad creationem animæ, alioqui hæc frustra dixisset Deus. Prob.ant. Sic enim multi interpretantur hunc textum.

Resp.neg. ant. & ad prob.dico,eos,qui sic interpretantur,decipi. Nam Doctiores censent, illa verba importare decretum emanatum in concilio trium Personarum Augustissimæ Trinitatis, & inde probare solent Theologi pluralitatem personarum.

Objic.4. Eadem ratione producitur forma,& ipsum totum: sed totus homo producitur per generationem, ergo & forma ejus, sc. anima. Prob. maj. Non enim producitur quoad materiam, quæ est ingenerabilis; ergo quoad solam formam in materia.

Resp. dist. maj. In compositis totaliter materialibus conc. maj. in mixtis ex subjecto corporeo, & forma spiritali, neg.maj. talis est autem homo.

Objic.contra 2.p. ex Phil. Anima rationalis deforis venit in corpore, ergo non creatur in corpore, sed extra corpus.

Resp.

Resp. dist.ant. *deforis*, ideſt, non ſumitur,nec educitur ex potentia paſſiva corporis, & ab alio agente, quàm à parentibus,conc.ant. *deforis*, quaſi exiſtens alibi,ut inde ingrediatur in corpus, neg.ant. & conſeq. neque enim id ſomniavit Ariſt. aut parum curandum eſſet aſſertum ejus contra deciſionem Eccleſiæ.

Objic.2. Deus *ſeptima die requievit ab omni opere*, ita ut ex inde nihil novi creaverit, ergo animas non creat de novo, ſed omnes ſimul creavit ab initio.

Resp. neg. conſeq. Illa enim requies non ſignificat ceſsationem Phyſicam ab omni prorsùs productione, ſed à productione novarum ſpecierum creatarum, & partium mundi, quem compleverat ſex illis diebus, & id patet ex ipſius Chriſti Doctrina, dicit enim, [1] *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor*, ſc. gubernat,conſervat, producit, &c. multiplicat creaturas, ſive per ſe ſolum, ut animas, ſive cum cauſis ſecundis, ut plantas, ut beſtias.

Inſt. Deus ipſe dicit, ſe fecisſe Diabolum cum Job. [2] *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, ergo anima Job, & aliorum hominum creata fuit eodem tempore,quo Angeli omnes.

Reſp.neg.conſeq. Nam illa verba *tecum* non ſignificant ſimultatem temporis, ſed ſimultatem,ſeu paritatem creationis,ac dependentiæ, quatenus uterque eſt creatura ejus,quaſi diceret,*quem creavi ſicut et te*.

Colligis ergo animas in tempore creari, & ſucceſſivè,ſicut corpora generantur, & ideò erraſſe quotquot dixerunt, eas eſſe æternas, aut creatas ab initio mundi, & multò magis, qui eas ex traduce anima, vel ſemine per generationem ab Adamo, & parentibus eſſe. [3] Inde etiam evaneſcunt alii errores circa ejuſdem animæ originem, v. g. de particulis animæ mundi, quem animatum falsò ſupponunt, & de metempſicoſi, ſeu tranſmigratione, & circulatione animarum, & de illarum æternitate, nec placet, aut vacat in illis, & ſimilibus ſomniis refutandis terere tempus. Conſtat, inquam, formari priùs *in alvo matris infantem*,ait Theodoretus, *ac jam perfecto corpore animari, non ita quidem, ut anima præexiſtens aliunde corpori inferatur, nec ut enaſcatur ex ſemine, ſed divino inſtituto creationem accipiat*.

Quæ-

[1] *Joan.* 5. [2] *Job.* 40. [3] *Diſp.* 1.

Quæres. *Quonam temporis momento infundatur anima.*

Resp. id non constare apud Medicos. Quidam censent, eo ipso tempore animari, quo caro concipitur, dicebat Macrobius apud Sennertum, *conceptum, quem quisquis ultra 7. horas sustinuerit esse ad vitam creatum.* Alii ipsomet tempore, quo semen retentum est, quæ videtur fuisse opinio S. Gregorii Nyss. *Unum, et idem esse animæ, et corporis constitutionis principium, ac quemadmodum terra surculum à radice avulsum acceperit, arborem inde efficit, non ipsa vim augendi conferens, sed incrementi dumtaxat materiam, atque subsidium impartiens, ita dicimus etiam id, quod ab homine avellitur ad hominis sationem, ipsum quoque aliquo modo animal esse, et ex animato animatum.* Alii assignant 3. à conceptione seminis diem, & id perfici 4. vel 5. die. Alii communiter volunt fœtum virilem animari die 40. fœmineum 80. ob defectum caloris, & debilitatem virtutis formatricis absolutum.

Certum est, quòd tunc infunditur anima rationalis, cùm primùm corpus organis humanæ proli aptis concinnatum fuerit, quod obtinet etiam, dum non est maxima formica grandius. Hæc Medicis relinquimus.

Nobis sufficiat cum Ecclesia scire, fœtum priùs per aliquot dies in utero gestari, quàm animetur, & id docent SS. Canones, & Doctores, ideòque censent abortum quandoque procurari sine homicidio, non tamen sine gravissimo peccato, de quo viderint Canonistæ, qui animationem ad 45. diem remittunt. Sic qui œconomicam naturam meditantur, *sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni: Bis seni carnem, ter seni membra figurant.* Hi autem 45. dies per sex multiplicati efficiunt 270. qui 9. menses constituunt.

QUÆSTIO IV.

An sit unica anima in homine.

Jam diximus unicam esse in nobis animam, quæ virtualiter, & eminenter [1] continet vegetantem, & sentientem. Hic examinamus, an detur anima quæ-

[1] *Disp.* 8. *q.* 5.

quædam communis, & una physicè in omnibus, quæ in illis operatur secundum diversas singulorum dispositiones, illisque unitur sicut ignis ferro, & Sol omnibus rebus inferioribus, & cum illis operatur, quidquid operantur. Et hæc etiam quæstio majori ex parte decisa manet ex dictis q. 1. ubi probatum est, animam esse veram formam physicam, & informantem, non verò assistentem: nam illa forma universalis non informaret, sed assisteret, & coageret sicut Sol. Fuit alius error nefandus circa unitatem animę, nam Manichæi dicebant, duas in nobis esse animas, unam bonam, qua inclinamur, & facimus bonum, & elevamur ad Deum, alteram malam, qua movemur ad malum, & facimus. Alii volunt, quòd saltem successivè homo vivat, & informetur anima vegetativa, dum crescit, tum sensitiva, cùm incipit sentire, & tandem rationali, cùm incipit ratiocinari.

CONCLUSIO II.

Anima rationalis non est una numero in omnibus hominibus, sed multiplicatur ad multiplicationem individuorum, seu corporum, non autem plures sunt in uno homine. Est de fide.

Prob.1.ex Concil.Later.sub Leone X *Damnamus, et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, & unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa non solùm verè per se, et essentialiter humani corporis forma existat, verùm et immortalis, et pro corporum multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata, et multiplicanda.*

Prob.2. ex Scoto[1] post SS. Patres, quoad utramque partem, qui sic loquitur post S.Aug. *dicimus corpus per conjugii copulationem seminari, Dei verò judicio coagulari in vulva matris, et compingi, atque formari, ac formato jam corpore animam creari, et infundi, ut vivat corpore constans, et anima, nec duas esse credimus animas in uno homine, sicut multi scribunt, unam scilicet animalem, qua movetur corpus, et mixta sit sanguini, et aliam spi-*

[1] *l. de spir. et an. c.*48.

spiritualem, quæ administrat rationem, sed dicimus unam, eamdemque animam esse in homine, quæ & corpus sua societate vivificat, et semetipsum sua ratione disponat, & id confirmatur ex Glossa citata in Psal. 32. *qui finxit singillatim corda eorum*.

Prob. 3. Quia sine ulla ratione physica, aut morali fingitur anima illa communis, imo si una esset omnium anima, sic & unus intellectus, & una voluntas, omnes simul idem intelligerent, & vellent: non posset velle, aut cogitare opposita, quod maximè esset verum in statu separationis, & omnes salvarentur, aut damnarentur, & alia hujusmodi sequerentur, quæ sunt contra experientiam, & absurdissima.

Prob. 2. pars specialiter contra Manichæos. Nam ultra auctoritates supradictas, adest definitio conciliaris; *apparet quosdam in tantum impietatis devenisse, ut duas in homine animas impudenter dogmatizent, quos omnes, & similia sentientes, cùm Vetus, et Novum Testamentum, et omnes Ecclesiæ Patres unam animam rationalem in homine asseruerint, Sancta universalis Synodus anathematizat*.

Prob. 2. Quia gratis omninò, & sine ullo fundamento sive physico, sive morali, & theologico asseruntur tales animæ, ergo una est; certè si duæ essent, idem homo secundum unam damnaretur, & secundum aliam salvaretur, sicut per unam benè operatus esset, & per aliam malè, & quidem necessariò: nam bona non posset malè agere, nec mala benè; alioqui frustra ponerentur duæ, cùm unica sufficeret bonis, & malis actibus.

Objic. 1. Anima rationalis est æterna, & spiritualis, ergo est unica numero. Prob. conseq. Quia unitas, vel multiplicitas numerica petitur ex materia, ergo si anima est spiritualis, non potest multiplicari, quin admittatur infinitum categorematicum, sc. infinitæ animæ: hoc est fundamentum Peripateticorum.

Resp. neg. conseq. & ant. prob. Quia falsum est, individuationem peti à materia, & animam, vel mundum, vel ullam creaturam esse de facto æternam, & sic ruit utrumque fundamentum objectionis.

Ob-

Objic. 2. Scriptura tribuit unitatem animæ: *Plurium credentium erat cor unum, & una anima.* Unde Auguſt. [1] *Anima tua non eſt propriè tua, ſed omnium fratrum, quorum etiam animæ tua ſunt, vel potius quorum animæ cum tua, non animæ, ſed anima una eſt Chriſti unica*, ergo non ſunt plures animæ in pluribus hominibus.

Respond. neg. conſeq. Illa enim unitas, de qua loquitur Scriptura, & S. Auguſt. eſt unitas moralis charitatis, & conformitatis, non autem ſingularitatis Phyſicæ, aut metaphyſicæ.

Objic. contra 2. *p.* ex D. Paulo, [2] *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, &c. Item, *ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus conſervetur, &c.* Sed una ſimplex ſubſtantia non concupiſcit contra ſeipſam, nec poterit conſervari niſi integra, vel tota deſtrui; ergo ſunt duæ animæ ſaltem partiales.

Reſp. neg. min. nam ad 1. locum illa pugna poteſt oriri ex diverſitate potentiarum, ſeu facultatum, per quarum unam inclinetur ad ſpiritualia, & per aliam ad temporalia, & carnalia, & ſic diverſi affectus excitentur. Ex 2. malè colligitur duplicitas animæ. Turpiter decepti ſunt Didymus, & Vvicleffus, nam integritas illa ſpiritus ſignificat tantùm diverſas relationes ejuſdem indiviſibilis ſubſtantiæ, ita ut per ordinem ad Deum dicatur Spiritus, & per ordinem ad carnem dicatur anima, ideo homo dicitur multiplicari per multiplices affectus.

CONCLUSIO II.

NE *ſucceſſivè quidem ſunt plures animæ in homine.*

Prob. 1. ex Scoto [3] dicente, *ſenſitivum in homine eſt à creante*, & id probat ex Auguſt. *unam animam intellectivam, & ſenſitivam* (idem eſt de vegetativa) Et cum objicitur ex Ariſtotele experientia de Embryone, quod priùs vivit vita plantæ, & animalis, & priùs eſt animal, quàm homo, *Reſpondent aliqui doctores, & bene, quòd tunc res uſu conſueto dici-*

[1] *Epiſt.* 38. [2] *Gal.* 5.
[3] *de rerum princip. n.* 23.

dicitur fieri, vel esse, cùm prius innotescit, licèt fuerit priùs in re, & secundum hoc in eo, quod generatur ex Embryone, vel in ipso Embryone, priùs dicitur animal, quàm homo, quia in tali fœtu novello ex Embryone genito priùs appareret opera vegetativæ, seu actus plantæ, quàm animalis, & prius actus, & opera animalis, quàm hominis; non quòd alia sit forma, per quam est anima, & alia, per quam materia est homo; sed quia opera imperfecta, quæ fiunt ab eadem forma, prius apparent, quàm opera perfecta. Per id occurrit fundamento adversariorum volentium, quòd corpus hominis informetur successivè tribus animabus 1. vegetativa. 2. sensitiva, & 3. rationali, quia successivè advertimus in fœtu tres illarum operationes: 1. augetur, & crescit in utero; deinde movetur, & sentit, & tardè ratiocinatur.

Prob. 2. ex S. August. *Ipsi animæ sensus est additus, idest vis sentiendi; ista insufflatione, cùm factus est homo in animam viventem, & non solum vita, & sensus, inquit Scotus; sed etiam omnis actus vitæ, qui ab anima haberi potest, in ista insufflatione infusus est.* Et id confirmat duplici experientia. 1. quia videmus, quòd aliæ facultates animæ in suis actibus se retrahunt, & impediunt, quod non esset nisi in una substantia animæ radicaliter essent. 2. quia experimur, quòd simul separantur, ergo & simul adsunt. Addit 3. rationem petitam ex ordine formarum, & ligamento universi, quo scilicet imperfectiores uniuntur cum immediatè perfectioribus, ut vegetativa cum sensitiva, & hæc cum rationali, quæ cùm sit perfectissima, perficit, & terminat conum pyramidis.

Prob. denique, quia nulla est necessitas sic multiplicandi entitates, & formas in eodem subjecto, nec videtur, quare non permanerent omnes simul, si semel essent ibi, non enim sunt incompatibiles nec per se, quia in substantiis non est contrarietas, nec per accidens, & ratione dispositionum, quia quæ sufficiunt ad animam rationalem, à fortiori sufficerent ad vegetativam, imò semper adsunt in corpore ad operationes singularum. Et confir. quia materia alimenti, quod transit in substantiam hominis, non priùs informatur anima vegetativa, nec sensitiva,

quàm

quàm uniatur rationali; ergo ita est de semine in sinu matris, non debet priùs animari vegetativa, sensitiva, quàm rationali.

Objic. 1. Experientiam allatam. Fœtus statim post conceptionem nutritur sanguine, quem per venam umbilicarem mater illi transfundit, paucis post diebus movetur, ut patet in abortu 13. aut 14 dierum ante infusionem animæ rationalis, nam si stylo pungatur, contrahit se, ut testantur medici; ergo fœtus vegetat, & sentit, antequam infundatur anima rationalis.

Respond. neg. ant. scilicet, quod nutriatur, & sentiat vera, & propria sensatione ante animationem integram. Illa verò successio operationum non venit ex successione animarum, sed dispositionum ad illas operationes, ut dicebam.

Objic. 2. Si embryo statim informaretur anima rationali, qui causaret abortum, etiam ab initio conceptionis, & ante 40. dies pro maribus, & 80. pro fœminis, esset homicida, & irregularis, sed hoc est contra Theologos, & canonistas; ergo fœtus ante illud tempus non animatur anima rationali, sed vegetante, aut sensitiva. Prob. maj. nam verè occideret hominem; ergo esset verè homicida.

Resp. neg. maj. nam homicidium, cui annectitur irregularitas, attenditur ex lege positiva humana, quæ talem præfigit terminum, in quo scilicet fœtus vivere probatur ex certis operationibus. In illis ergo primis diebus non est animatus fœtus, sed informatus forma corporeitatis, & motus, aut sensus, qui apparet, venit à matre propter intimam spirituum, & membranarum conjunctionem, & communicationem. Hæc ad Theologos, & canonistas.

Quæres, *an anima rationalis dici debeat formaliter vegetativa, & sensitiva; an virtualiter tantùm.*

Respond. Juxta Scotum dici talem radicaliter, tamen nihil prohibet etiam dici formaliter, quia per id nihil aliud significatur, quàm quod ab illa habeamus formaliter sentire, & vegetari æquè, ac intelligere. An autem unum meliùs dicatur, quàm aliud, est quæstio de nomine.

Dices. Anima vegetativa formaliter debet esse materialis; ergo id non potest competere animæ

rationali saltem formaliter. Prob.ant. vegetari, seu nutriri, & crescere sunt operationes materiales, ergo & anima, à qua id provenit formaliter, debet esse materialis.

Resp.neg.1.ant. & dist.2. sunt materiales in subjecto, & toto composito, conc.ant.in principio, à quo illæ operationes provenunt, *ut quo*; neg.ant. totum compositum nutritur, & crescit, sed principium activum *quo*, seu cujus virtute id fit in homine, anima est spiritalis, in brutis, & plantis est materialis.

Quæri posset *de potentiis animæ, an, & quomodo ab illa, & inter se distinguantur*, sed de hoc diximus supra.

QUÆSTIO V.

An omnes animæ rationales sint æquales in perfectione.

PRo hujus quæstionis decisione repete, quæ diximus in Logica [1] de æqualitate specierum, & in Metaphysica de inæqualitate essentiarum, & individuorum, nam supposito, quòd omnes species diversæ sint in substantia inæquales, & omnia individua unius speciei substantialiter æqualia, sequitur necessariò, quòd omnes animæ rationales, si sint ejusdem speciei, & solo numero differant, sunt etiam æqualis perfectionis substantialis, sed promisimus nos id examinaturos specialiter de animabus, & quæritur, an Anima Judæ; v. g. sit æqualis perfectionis substantialis cum anima Petri, aut ipsius Christi Domini?

Dico *substantialis*, *& ex se*, *& ab intrinseco*, nec enim dubium est, quin aliquæ, & ferè omnes sint inæquales ab *extrinseco*, & *accidentaliter* propter nobiliores organorum dispositiones, diversitatem temperamentorum, & qualitates acquisitas, vel infusas, & quoad hæc nulla est sine dubio comparatio animarum omnium hominum cum anima Christi, nec dubitari potest etiam inter homines alios aliis esse ingeniosiores, perspicaciores, & hoc provenire potest vel ex natura intrinseca animorum, vel ex tem-

[1] *Disp.4.q.4.*

temperamenti dispositione, unde legitur de Carneade, quòd se helleboro albo purgabat, ut posset melius Stoicos impugnare.

CONCLUSIO.

P*Robabilius est animas rationales omnes esse æqualis perfectionis substantialis : Est satis communis.*

Prob. 1. *ex textibus Scoti* [1] *allatis in prædictis locis*, ubi fatebar ipsum videri magis inclinari in partem negantem, non solum in Metaphysica, sed etiam in tractatu de rerum principio, de quo infra.

Prob. 2. Ex illis rationibus, quibus probavimus inæqualitatem necessariam inter species ejusdem generis; & æqualitatem inter individua ejusdem speciei, nam supponimus, omnes animas rationales, & ipsam animam Christi D. esse unius speciei, ergo & in essentia æquales.

Prob. 3. quia nulla est necessitas asserendi talem inæqualitatem, ut patebit ex objectionum solutione, quas majori ex parte solutas habes ibidem, alias, quæ possunt esse singulares pro animabus, hìc addam.

Objic. 1. *Scotum* [2] qui, ut dicebam, sic positivè & expressè asserit inæqualitatem. *In individuis, ut dicunt aliqui, non est quærendum, quod unum sit mensura alterius; quia nihil reale addunt individua supra speciem; nec in ipsis est ordo dignitatis naturalis, quod omnino existimo esse falsum, & fortè erroneum; quia anima Christi nobiliori modo participat naturam speciei, quàm aliqua alia, & semper individua unius speciei secundum diversos gradus majoris, & minoris perfectionis participant naturam speciei*, &c. ergo Scotus positivè tenet inæqualitatem animarum, & confirm. ex eo, quod dicit, animam Christi esse omnium excellentissimam : Et in Metaphysica notat, quòd pro inæqualitate habetur articulus 21. Universitatis Parisiensis contrariam opinionē damnantis; [3] *si quis dicit animas ab origine esse æquales, errat, quoniam aliàs anima Christi non esset perfectior anima Judæ.*

Resp. neg. conseq. nam Scotus ibi loquitur non ex

[1] *q.* 19. *n.* 9. [2] *De rerum princ. q.* 19. *n.* 9.
[3] 3. *d.* 1. 5. *n.* 18.

propriis principiis, sed ex aliorum mente, & maximè ob articulum illum Parisiensem, ut notat Canellus, juxta autem principia propria non diceret animam unam esse perfectiorem alia differentia specifica; & id probat ex Phil. dicente, [1] quòd *sicut in numeris non admittitur differentia, quin mutetur numerus, ita nec in substantiis, seu definitionibus, quin mutentur species earum*; & Doctor fatetur id esse „ verum de forma, ut est anima, & de differentia, „ secundum quod pertinet ad quidditatem rei; quid- „ ditas autem abstrahit à suppositis, non includens „ aliquid, quod pertineat ad individua, suscipere au- „ tem magis, & minus non competit quidditati se- „ cundum se consideratæ, sed ut est in individuis; „ substantia ergo secundum se considerata ut quid- „ ditas non suscipit magis, aut minùs, sed in suppo- „ sito patet; quia hoc individuum perfectiùs habet „ naturam specificam, quàm aliud suppositũ: ergo ex principiis Scoti, inęqualitas perfectionis naturę, seu formę, seu animę nõ attenditur ex intrinseca ejus substantia, sed ab extrinseco, nẽpe à cõditionibus individualibus, & suppositalibus, quæ sunt extra substantiã animę.

Unde non mirum, quod dicatur animam Christi hoc sensu esse perfectissimam, scilicet *ab extrinseco*, & ratione suppositi divini, per quod terminatur, & subsistit, & quasi individuatur *ab extrinseco*. Et sic salvatur sensus articuli Parisiensis, cui jam responsum est in Metaph. Vide Scotum non dicere, quod habeat perfectiorem naturam, seu animam, sed tantùm quòd *perfectiùs habet naturam specificam*, ideo majoritas perfectionis non cadit in ipsam animæ substantiam, sed in modum habendi illam, qui est intrinsecus substantiæ; & id si benè perpendisset Canellus, non dixisset Scotum esse problematicum, nec inclinari in partem adversam, nam in hoc sensu, ni fallor, tota inæqualitas est accidentalis, & extrinseca animę, & de hoc non dubitamus.

Objic. 2. animę sunt inęquales in operationibus, ergo & in substantia, nam perfectio substantialis maxima patet ex operationibus, patet autem ant. nam alii aliis sunt perspicaciores intellectu, & ad virtutem propensiores, &c.

Resp.

[1] *ibid. Schol.*

Resp. dist. ant. & illa inæqualitas oritur ex parte dispositionum in organis, & in temperamento, vel ex donis gratiæ, aut acquisitis, conc. ant. oritur ex ipsa entitate substantiali, & intrinseca animarum neg. ant. & conseq. unde non solum duo homines, sed etiam idem homo non semper æquè perfectè, & acutè philosophatur, vel operatur, & tamen non mutatur animæ substantia, ergo signum est eam inæqualitatem non venire ab entitate Physica animæ, sed ex diversis dispositionibus.

Inst. Ipsamet diversitas organorum, & temperamenti arguere potest diversitatem animarum; ergo nulla solutio. Prob. ant. quia forma debet proportionari subjecto; *quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur*; ergo inæqualitas organorum, & dispositionum arguit inæqualitatem animarum.

Resp. dist.ant. Inæqualitatem *accidentalem*, & *extrinsecam*, conc.ant. *substantialem*, & *intrinsecam*, neg. ant. & ad probationem dico illam proportionem non debere esse talem, ut animæ substantia mutetur ad mutationem accidentalem organorum, vel temperamenti, alioqui in eodem homine mutaretur sæpe anima intrinsecè, & substantialiter, quia mutantur dispositiones organorum, & temperamenti, ut patet in pueris, viris, senibus.

Inst. 2. ex Arist. [1] Sicut anima est perfecta magis, vel minus, ita corpus præparat; ergo diversitas animarum causat ipsam diversitatem, & inæqualitatem dispositionum.

Respondeo neg. conseq. nam Arist. ibi loquitur de diversitate specifica animarum, non de numerica, de qua hìc agimus.

Inst.3. Salomon ipse tribuit sapientiam suam animæ, quam in generatione acceperat, dicit enim: *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam*, ergo inæqualitas operationum, & temperamenti venit ab inæqualitate animarum, non è contra.

Resp. neg. ant. nam per *animam bonam*, Salomon intelligit temperamentum, & organizationem perfectam, aliaque dona gratiæ, & naturæ accidentia.

Objic. 3. omni individuo adest necessariò aliquid boni

X 4

[1] 2.*de Gen.animal.c.3.*

boni ratione suæ differentiæ individualis, quod aliis non competit, ergo inæqualitas animarum necessaria est, & venit ab intrinseco, scilicet à differentia individuali animæ. Prob. ant. 1. experientia in aliis omnibus entibus corporeis, in plantis, in animalibus, in metallis, &c. singula eorum individua habent suam peculiarem efficaciam, qua inter se intra suam speciem differunt, ergo idem est de individuis animarum spiritualium, 2. Hanc differentiam exigit pulchritudo universi, commendat Dei sapientiam, & bonitatem, quæ est infinitè participabilis, & multò fœcundior apparet ista, & illa mirabilior.

Resp. neg. ant. & utramque probationem ejus, quasi verò nullæ duæ guttulæ aquæ, duo lapilli, duæ monetæ auri, aut argenti, duo poma, &c. non sint, aut possint esse paris virtutis, & non æquè commendetur Dei sapientia, & bonitas ex illa paritate individuorum, atque ex specierum disparitate. Nec mihi videtur valde rationabile primum ant. si enim nullum est in eadem specie individuum æquale alteri, tam verum est nullum esse, cui non competat aliquis defectus, & imperfectio respectu alterius, quàm quòd nullum sit, quod alium non superet, & sit perfectius, tamen hac ratione se multum affici fatetur modernus Philosophus.

Inst. ex hac inæqualitate intrinseca meliùs salvantur, quæ dicunt Theologi de animæ Christi summa perfectione supra animam Judæ; & unde proveniant adeo inæquales animarum dotes naturales, ergo ita asserendum est, cùm nulla ratio urgeat in contrarium.

Resp. neg. conseq. & prob. ejus, nam maxime urgent rationes, quibus probavimus æqualitatem individuorum intra eamdem speciem, & quantum ad animam Christi gloriosius est illi, & nobis, quòd animam ejusdem prorsus speciei, & substantiæ cum nostris dignatus sit sibi sumere, & per eam tam heroicas virtutes exhibuerit, & ad tantam sanctitatem, & gloriam evexerit, sicut & carnem.

Inst. 2. Animæ separatæ nihil haberent, quo inter se discernerentur, sed hoc est absurdum, & falsum, ergo ab intrinseco differunt, & inæquales sunt.

Resp. neg. maj. nam distinguuntur intrinsecè per suas

suas differentias individuales, quæ ipsis intelligentiis apparent, sicut nobis differentiæ materiales. Item distinguuntur per suas dotes accidentales, per gradus, & dona gratiæ, & gloriæ, &c.

DISPUTATIO XIII.

De Potentiis animæ rationalis, & primò de intellectu.

DE aliis potentiis animæ in genere jam disseruimus ab initio, & maximè de iis, quæ illi communes sunt cum aliis animabus, ac viventibus: Hic restat agendum de his, quæ propriæ illi sunt, ut rationalis est, ut *intellectus*, & *voluntas*. Addunt aliqui memoriam, sed vix ab intellectu differt, ut videbimus, & primò occurrit dicendum de intellectu, qui est prior ordine operationis, an etiam dignitatis, videbimus disput. sequenti.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit, & quotuplex sit intellectus.

INtellectus est nobilis illa *facultas spiritualis, & inorganica animæ rationalis, per quam cognoscit, & sapit*. Dicitur *facultas spiritualis*, & *inorganica*, quia identificatur realiter cum ipsa animæ substantia, quæ tota spiritualis est, & operationes ejus non sunt materiales, ut sensitivæ, quæ exercentur per organa externa, & ideò dicuntur *potentiæ organicæ*; intellectio verò exercetur immaterialiter, non verò per ullam partem corporis, cui alligetur hæc potentia, & id patet ex eo, quòd omnes potentiæ organicæ languescunt, si debilitetur organum; v.g. *oculus*, *auris*, *manus*, &c. & læditur à vehementi sensibili, ut diximus, & limitatur ad sola objecta materialia, & existentia, & singularia, & per actus directos, non autem propriè reflexivos, at intellectus numquam languescit, nec debilitatur, per se intelligit tàm præsentia, quàm absentia, tam universalia,

& abstracta, quàm singularia, discurrit, colligit ignota ex notis, & reflectitur super suos actus, quæ omnia arguunt spiritualitatem.

Nec obstat, quod pro hoc statu dependeat à sensibus, quibus læsis non probè operatur, v. g. læso cerebro, ut in phræneticis impediuntur functiones intellectus, æquè ac visus ex læsione oculi, nam intellectus sic impeditur, & dependet ab extrinseco à sensibus, & ratione alligationis animæ cum corpore, à quo separatus non minus intelligit, imò perfectiùs, ut sensus omnes pendent à cerebro. Non ita est de sensibus particularibus, & communibus, qui constituuntur ex illis organis materialibus.

Dicitur, *per quam cognoscit, & sapit*, & per id differt à voluntate, quæ est etiam facultas spiritualis, & inorganica, sed non est cognoscitiva per se, sed purè appetitiva.

Existentiam hujusmodi facultatis non probamus, quia nullus negare potest, quin desipiat, & per hoc ipsum id probaret eò, quod putaret se rationabiliter id facere: Dividi solet in *agentem*, & *patientem*, ille est, qui transfert res de *ordine ad ordinem*, inquit Doctor, id est, de ordine materiali ad ordinem spiritualem, & de materialibus facit spiritualia, ideo dicitur *agens*, iste verò species intelligibiles in se recipit, & ipsas intellectiones ab agente elicitas, ideoque dicitur *patiens*, seu *possibilis*, cujus *est omnia fieri*, inquit Philosophus, id est recipere, & pati omnes species intelligibiles, & intellectiones omnium rerum. Munus autem *agentis* est converti ad phantasmata, & imagines rerum, quæ sunt in sensu interno, & adhuc materiales, & ideò remotè intelligibiles, & eas depurare, & denudare materia, ut ex eis species eruat spirituales, per quas objecta illa redduntur proximè intelligiblia, & illis speciebus quasi informatus, ac fœcundatus producit intellectionem Munus autem intellectus *possibilis* est recipere species illas sic depuratas, & intellectiones ipsas ab agente elicitas, & hoc sensu dicitur communiter, quod *intellectus intelligendo fit omnia*, non quidem per conversionem, aut identitatem, sed per similitudinem quamdam omnium objectorum, quàm *agens* producit, & *possibilis* in se recipit.

Rur-

Rursus intellectus *agens* comparatur 1. ad species intelligibiles, & ad intellectionem, & dicitur *producens*. 2. ad intellectum *possibilem*, & dicitur *agens*, & 3. ad phantasmata, quæ depurat, & ex quibus elicit species intelligibiles, & dicitur *concausa*, quia cum illis causat illas species in intellectu *possibili*, sicut lumen cum colore causat speciem impressam in oculo: Similiter intellectus *possibilis* comparatur 1. ad *agentem*, & sub hoc respectu dicitur *passivus*. 2. ad speciem, & dicitur *receptivus*. 3. ad ipsam intellectionem, & dicitur *receptivus*, & *operativus*, quia illam in se recipit, & per illam fit formaliter intelligens, seu cognoscens objectum, apprehendendo, vel componendo, vel dividendo, vel discurrendo. Hæc valdè notanda sunt pro totius hujus materiæ scientia.

CONCLUSIO I.

Admittendus est in anima rationali intellectus tam agens, quàm patiens; & uterque identificatur realiter tum animæ, tum ad invicem, distinguuntur verò formaliter.

Prob. 1. *pars ex Scoto*, [1] ponente hanc conclusionem. In parte intellectiva *est aliquod principium activum respectu intellectionis*, & eam sic probat; *In nobis est aliqua intellectio nova, ut quilibet experitur, & illa est forma absoluta* (ut dicetur) *sed omnis forma absoluta cum sit terminus actionis, habet aliquod principium activum, per quod accipit esse, ergo respectu intellectionis nostræ novæ est aliquod principium activum: istud est intrinsecum supposito intelligenti, & differt à sensu*; ergo datur in *anima rationali intellectus agens*. Prob. subsumptum, quia illud principium activum in intelligente est vel sensus, vel voluntas, vel intellectus. Sed hoc non poterit dici de sensu, nec de voluntate: ergo est intellectus. Prob. 1. de voluntate, quia prima intellectio præcedit omnem actum voluntatis, ergo non est à voluntate, prout distinguitur ab intellectu. 2. de sensu, quia iste non versatur nisi circa materialia, & singularia, & phantasmata sunt ignobiliora intellectione, ignobilius

[1] *quod lib.* 13. *A.n.*2.

autem non producit nobilius; ergo intellectio nō producitur à sēsu,nec à phātasmate,ergo à solo intellectu.

Quod autem hic intellectus *agens*,sicut & *passivus* sit intra animam, id probat ex philosopho, qui commendat antiquos dicentes *animam esse locum specierum, non totam, sed intellectivam, & eas habet, ut locus, & ut expressas. Certum est quod ad actualem intellectionem causandam concurrunt aliquid ipsius animæ, & objectum.*

Prob. etiam ratione. Quia principium actus vitalis debet esse ipsi vitæ conjunctum, & intrinsecum, sed intellectus agens est actus vitalis, & anima est ipsa vita hominis; ergo ille debet esse in anima, non extra illam. Major patet, in hoc enim differt principium vitale à non vitali, quod illud est intrinsecum viventi, istud verò extrinsecum, min. etiam patet, quia intellectus *agens est*, ut principium actus,quo producit species, & per speciem intellectionem, quæ est operatio vitalis.

Prob.2. pars de intellectu *passivo* 1. Ex Doctore dicente [1]quod ex Phil. *activum, & passivum distinguunt potentias in anima*, & quod *intelligere est quoddam pati*, ut dicemus infra.

Prob. 2. omne accidens debet recipi in aliquo subjecto, sed species intelligibiles tam impressæ, quàm expressæ sunt accidentia, & quidem spiritualia, ergo debent recipi in subjecto spirituali, sed nullum aliud subjectum aptius est, quàm intellectus ipse, qui per illas intelligit, & denominatur intelligens, ergo datur intellectus passivus, qui recipiat illa accidentia.

Prob.3.pars de identitate reali illorum intellectuum cum anima, & inter se. 1. Ex Scoto[2] dicente *ipsos distingui inter se formaliter, vel extrinsecè per comparationem ad objecta, vel ad alia,in quibus objecta relucent*, & quoad animam docet[3] *intellectum esse aliquid ipsius animæ*,quod clariùs docet de *agēte*,& *possibili*.

Prob. 2.quia,intellectus uterque est de potentiis animæ, ergo illi identificantur realiter, & formaliter distinguuntur ob rationes allatas supra de potentiarum animæ distinctione,& unitate, nec ulla est necessitas hæc distinguendi realiter, ergo nō distinguuntur nisi

[1] *quodl.15.L.n.13.* [2] *2.d.3.q.11.C.n.5.*
[3] *quodl.15.F.n.8.& de An.q.13.n.4.*

nisi formaliter ex natura rei ob diversas conceptibilitates, & munia diversa in eadem substantia.

Objic. contra 1. partem. Intellectus agens superfluit, ergo non est admittendus. Prob. ant. ad intellectionem sufficiunt phantasmata cum intellectu possibili, ergo agens superfluit.

Resp. neg. ant. utrumque ob rationes allatas.

Inst. Utilitas, seu necessitas oriretur ex necessitate conversionis ad phantasmata, ut patet ex prænotatis: sed hæc nulla est, ergo superfluit. Prob. min. in statu innocentiæ, & in anima separata, & in Angelis non requirebatur, ergo neque nunc.

Resp. neg. min. & conf. prob. quidquid sit de ant. de quo infrà.

Objic. cont. 2. p. Si admitti deberet intellectus possibilis, maximè ut reciperet species intelligibiles: sed hæc ratio nulla est, ergo non est admittendus. Prob. min. productio speciei est actus immanens, ergo ab eodem producitur, à quo recipitur, ergo frustra admitteretur possibilis distinctus ab agente.

Resp. neg. min. & dist. conf. prob. ab eodem realiter, conc. conf. ab eodem formaliter, neg. conf. Hoc quidem probat identitatem realem, sed non formalem, imò illam astruit, quia recipere, & producere ejusdem non possunt convenire eidem formaliter rei, requirunt entitates saltem formaliter distinctas.

Objic. contra 3. p. Agens, & passum realiter distinguuntur, ergo & intellectus agens, & patiens. Prob. ant. nihil potest agere in se ipsum, nec pati a se ipso.

Resp. ex dictis mox, neg. ant. & prob. ejus. Sufficit enim distinctio formalis, alioqui non daretur ulla actio immanens.

Inst. Agens est nobilius passivo, ergo intellectus agens distinguitur realiter à passivo, alioqui idem esset nobilius, & ignobilius se ipso, quod implicat.

Resp. neg. conf. & rationem ejus. Nam fit comparatio nobilitatis inter formalitates distinctas formaliter, & hæc distinctio sufficit ad illam comparationem.

CONCLUSIO II.

Pro hoc statu, & de lege ordinaria ad intellectionem necessarius est concursus phantasmatum, non quidem ex natura intellectus, nec precisè propter unionē

ani-

animæ cum corpore, sed propter alligationem specialem, quæ probabiliter sequitur peccatum.

Prob. 1. ex Scoto: [1] qui docet, quod *intellectui nostro adæquatur in ratione motivi quidditas rei sẽsibilis, & ideo pro statu isto non naturaliter intelliget alia, quæ non continentur sub illo primo motivo.* Et si quæritur ratio istius status,

Resp. *Status non videtur esse nisi stabilis permanentia legibus divinæ sapientiæ firmata, stabilitum est autem legibus illis sapientiæ, quod intellectus noster non intelligat pro statu isto, nisi illa, quorum species relucent in phantasmate, & hoc sive propter pœnam peccati, sive propter naturalem concordiam potentiarum animæ in operando,* &c. *Ista tamen concordia, quæ est de facto pro statu isto, non est ex natura nostri intellectus, unde intellectus est, nec etiam unde in corpore est: tunc enim in corpore glorioso haberet similem concordiam, quod falsum est. Utcumque igitur sit iste status, sive ex mera voluntate Dei, sive ex justitia punitiva, sive ex infirmitate,* &c. Vides totam conclusionem assertam à Doctore, & probatam.

Prob. 2. quoad 1. partem. 1. experimur, quod læsa phantasia, in qua resident phantasmata, cessat omnis operatio intellectus, ergo intellectus in hoc statu pendet à phantasmatibus. Cur enim non ageret in hoc casu?

Confir. ex D. Gregorio Nazianz. [2] dicente, *impossibile esse mentem, quantumvis se cum corporea fece ad sublimium contemplationem erigat, sensuum commercia destituere.*

Prob. 2. quia dum cæpimus aliquid intelligere, formamus nobis aliquod ejus idolum sensibile, ergo signum est intellectum nostrum sic dependere à phantasmatibus. Prob. ant. dum intelligimus Angelos, pingimus nobis adolescẽtes alatos: si Deũ Patrẽ repræsentamus, cũ velut venerabilem senem imaginamur, &c.

Prob. 2. p. ex Doct. Quia si hoc veniret ex natura intellectus, Angeli, nec animæ separatæ nihil intelligerent, nisi dependenter à phantasmatibus: sed hoc est falsum, etiam de anima separata, ergo id non venit ex natura intellectus. Prob. maj. in anima separata non mutatur natura ejus.

Prob.

[1] 1. *d.3.q.3.n.24.aut 4.F.* [2] *orat.de The.*

Prob. 3. p. ex eodem. Nam in resurrectione, & in reunione animæ cum corpore glorioso non pendebit à sensibus in visione Dei, nec in aliis operationibus suis; ergo illa dependentia non venit ab unione cum corpore.

Restat ergo hanc dependentiam esse de facto, & de lege posita à Deo, sive in peccati pœnam (hæc ratio non est Philosophi, sed Theologi) sive ex Dei beneplacito, ut ait Doctor, & hoc intelligitur maximè de prima intellectione, non enim negarem, quin actus secundarios, & reflexos, ac discursivos, & abstractivos eliciat se solo, & sine concursu actuali, & immediato phantasmatum, id enim præstat mediantibus speciebus intelligibilibus impressis, quia in his actibus non videtur concurrere phantasia.

Objic. 1. con. 1. p. Magis dependet phantasia à sensibus externis, quàm intellectus ab illa, sed phantasia potest operari sine sensu externo concurrente, ergo à fortiori intellectus sine phantasia. Maj. patet, quia intellectus longè superior est phantasia, quàm hoc superior sensu. Prob. min. ex dictis, & per experientiam in somno, in quo sensibus externis planè sopitis agit phantasia per species acceptas.

Resp. 1. neg. maj. & cons. prob. Non enim hæc dependentia intellectus venit ex superioritate, & ab intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet à lege aliqua divinæ sapientiæ, ut dicebamus: & hoc habes ab experientia de sensu, non de intellectu.

Inst. ergo In statu innocentiæ, vel gloriæ non esset intellectus agens, nec est in Angelis, nec in anima separata: sed hoc diceretur sine fundamento ex scriptura, vel ratione, ergo, &c.

Resp. neg. min. Nam quantùm ad munus depurandi phantasmata, & cum illis producendi species intelligibiles, non apparet ulla necessitas ejus in Angelis, nec in animabus separatis, nec in statu innocentiæ, vel gloriæ. Certum enim est, quod ex peccato multum infirmata est anima, & potentiæ illius æque ac corporis. Unde S. August. [1] *quæ causa cur lucem ipsam acie fixa videre non possis, nisi utique infirmitas? & quis eam tibi fecit, nisi utique iniquitas?* Sed hoc ad Theologos.

[1] *15. de Trin. c. ult.*

Obji-

Objicies 2. Intelligimus Deum, & Angelos: sed de his non habemus phantasmata, ergo intellectus non pendet sic ab illis.

Resp. dist. min. non habemus phantasmata propria, quia sunt prorsus immateriales, nec cadunt per se sub sensus, conc. min. aliena, & efficta; neg. min. & conseq. effingimus nobis Angelos, ut infantes alatos, Deum, ut senem, &c.

Objic. 3. in raptu, & extasi intelligimus sine concursu sensuum, ergo intellectus agit sine phantasiæ, & sensuum concursu. Prob. ant. experientia, nam extatici non sentiunt punctiones, adustiones, &c.

Resp. dist. ant. in raptu perfecto, & supernaturali, conc. ant. in imperfecto, neg. ant. & cons. In raptu perfecto interdicuntur omnes sensus, sed supernaturaliter, in imperfectis verò, si naturaliter contingunt, non interdicuntur totaliter: unde, *Corporum similitudinibus non involvi speculando, angelicæ puritatis est munus divinum*, [1] inquit S. Bernardus. In naturalibus igitur, quales fuerunt Platonis, Trismegisti, Socratis, &c. non penitus otiatur sensus, ut docet S. Thomas. [2]

Hinc colligis 1. eos decipi, qui volunt, quod intellectus agens sit aliquid externum, & distinctum ab anima; nimis enim vilificant animam, quasi per se, aut per aliquam facultatem sibi intrinsecam edere suas non possit operationes, sed eas ab extra venari, in quo esset vilior igne, & aqua, & cæteris inanimatis, quę suarum operationum principia in se ipsis habent. Ideo Philosophus [3] intellectum agentem, & possibilem vocat partes animæ, id est, facultates ejus internas. 2. Decipiuntur etiam, qui volunt illum esse habitum primorum principiorum, id est, lumen illud animæ naturale, quo assentimur aliquibus maximis, aut dignitatibus per se notis, & indemonstrabilibus, qualis est hæc, *totum majus est sua parte, omne malum est fugiendum*, hic intellectus autem agens versatur circa omnia intelligibilia, & ipsamet prima principia cognoscimus per species abstractas à singularibus, ergo intellectus agens, qui sic abstrahit illas species, præsupponitur illi habitui, seu cognitioni pri-

[1] *Ser.32. In Cant.* [2] 2.2.q.175.a.3.
[3] 3. *de An.t.*24.

primorum principiorum. 3. Decipiuntur, qui dicunt illum esse formam substantialem animæ. Nam anima non est composita ex materia, & forma, ut diximus, [1] & Doctor ex August. docet, quod quælibet potentiarum animæ complectitur totam essentiam ejus, & quod sunt unius, ejusdemque essentiæ: *nulla autem pars est ejusdem essentiæ cum alia*, v. g. materia non est ejusdem essentiæ cum forma, unde istæ tres potentiæ, intellectus, memoria, voluntas *sunt in una essentia una vita*.

Quæres, *quare altera facultas intellectus dicitur possibilis: an sit pura potentia entitativa, seu in genere entis ita, ut nullam prorsus habeat existentiam realem, an verò tantùm in genere intelligibilium, seu in esse intentionali, quatenùs de se est veluti tabula rasa indifferens ad omnes species intelligibiles, tam impressas, quàm expressas, sicut materia prima ad omnes formas.*

Resp. breviter illum non esse puram potentiam in genere entis realis, benè verò in genere entis intentionalis, seu intelligibilis.

Ratio 1. partis ex Scoto [2] est, quia potentia ad accidens numquam fundatur nisi in substantia in actu: sed species intelligibilis non est forma substantialis, sed accidentalis, & recipitur in intellectu possibili, ergo intellectus possibilis, secundum quod est illud, in quo recipitur species intelligibilis, vel intellectio, vel illud, secundum quod recipitur species in anima, non erit purum potentiale quoad esse existentiæ, sed erit aliquid in actu primo.

Ratio 2. partis est, quia Philosophus hunc intellectum comparat rasæ tabulæ, in qua nihil est pictum, ergo vult tantùm, quod sit pura potentia respectu intelligibilium, non verò quoad esse reale: nam tabula, & superficies præsupponuntur colori, & colorationi, seu picturæ. 2. quia omne recipiens debet esse in potentia, id est, denudatum à natura recepti, ergo intellectus possibilis debet esse pura potentia, & denudatus omni specie intelligibili, cujus dicitur receptivus, non verò omni esse reali præcisè, qui non dicitur potentia, nisi respectu entis intentionalis, seu intelligibilis. Hoc sensu dicit Philosophus, quod intellectus nihil est actu corũ, quę sunt, antequam intelligat.

Hoc

[1] 2. d. 1. E. n. 11. [2] 1. d. 3. q. 7. Z. n. 38.

Hoc etiam sensu dicitur, quod *intellectus intelligendo fit omnia*, non physicè, & entitativè, nec in genere entis: non enim fit lapis, nec aurum realiter, sed intentionaliter.

Quæres 2. *An intellectus agens sit nobilior possibili.*

Respond. quod si *possibilis* consideretur purè ut *possibilis*, sine dubio *agens* est perfectior, quia ex omnium sensu, nobilius est agere, quàm pati, sed si consideretur ut intelligens per productionem, intellectiones, seu receptionem ejus, nobilior est patiens, licèt enim agere sit nobilius, quàm pati, generaliter loquendo: tamen aliquod pati, seu recipere potest esse nobilius, v. g. nobilius est habere beatitudinem, quàm ad illam posse concurrere effectivè, si hæc essent separabilia: at in proposito, cùm sit idem realiter intellectus, qui producit intellectionem, & species, & qui eas recipit, dicendum absolutè, quod nobilior est, quatenus agit, quàm prout patitur.

QUÆSTIO II.

An intellectus agens sit admittendus in Angelo, & Anima separata, & an humanus differat ab Angelico,

Constat ex dictis, quòd munus intellectus agentis est illustrare phantasmata, per quam illustrationem objecta materialia fiunt spiritualia, non in se, sed in suo repræsentativo, scilicet in specie, quam ex eis elicit, & imprimit in intellectu passivo, & sic objecta, quæ erant tantùm intelligibilia in potentia, fiunt actu intelligibilia, & sic dicitur *transferre objecta de ordine in ordinem*, idest de ordine sensibilium in ordinem intelligibilium, de ordine corporalium in ordinem spiritualium. Hæc autem illustratio non fit per lumen aliquod, quod exeat ab intellectu, & recipiatur, aut terminetur ad objecta, vel phantasmata, quæ sic extrinsecè irradiata fiant immediatè intelligibilia absque ulla specie, ut patebit infra, ubi de speciebus intelligibilibus. Præterea illud lumen intellectus non posset dici verè agens, nec objecta illa se haberent aliter, quàm ante per ullam immutationem, sicut color non immutatur à lumine solis, quod ad

ad illum terminatur, vel per receptionem formalem illius luminis in iisdem objectis ab intellectu producti, quia qualitas spiritalis, qualis esset lumen ab intellectu emissum, non potest naturaliter recipi in subjecto materiali, qualia sunt objecta, seu phantasmata, nec 3. per radicationem phantasiæ in anima spirituali, in qua est intellectus agens, quasi verò ipsa phantasia producat phantasmata illuminata, id est, apta, ut ab eis intellectus agens abstrahat species intelligibiles, quia sic tota actio esset in phantasia: nec inde posset intellectus dici verè agens, sed potius patiens. Illa igitur illustratio in hoc verè, & præcisè consistit, quod intellectus convertendo se ad phantasmata, seu ad imagines materiales rerū, quas in se produxit phantasia, illas depurat, & ex illis per suam actionem elicit imaginem spiritualem, quam imprimit intellectui possibili, qui sic fœcundatus redditur aptus ad intellectionem. Hoc supposito,

Quæri solet, an iste intellectus agens admittatur in Angelis, & in anima separata, quia non sic alligantur sensibus, non habent dependentiam à phantasmatibus, quam diximus nobis inesse pro hoc statu mortalis vitæ, & quidem probabiliter in pœnam peccati: sed aliud est alligatio, & dependentia intellectus à sensibus, & à phantasmatibus in eis existentibus, aliud productio specierum ex objectis materialibus: primum non est necessarium in Angelis, nec in anima separata, ut diximus, non ita est de secundo.

CONCLUSIO I.

D*atur intellectus agens tam in Angelis, quam in anima separata.* Est contra Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet, & probat, quod anima separata potest acquirere novas cognitiones de rebus materialibus, & à rebus ipsis. *Natura*, inquit, *non est sine propria operatione specifica:* Anima *autem humana est forma perfectissima, & propria ejus operatio secundum intellectum possibilem est intelligere, & secundum agentem est abstrahere*, &c. & impugnans opinionem Thomistarum dicentium, quod anima, aut Angelus non possit acquirere cognitionem

[1] 4.*d*.45.*q*.2.*n*.2. & 5.*A*.

nem ullius ignoti, maximè ab objectis, &c. Sic arguit: *Angelus habet intellectum agentem, & possibilem, ergo potest habere notitiam à rebus. Item habet intellectum possibilem, ergo & agentem.*

Prob.2. tota conclusio. Si intellectus Angeli, & animæ separatæ non esset agens, non posset intelligere præterita, & futura, nec absentia, quia nihil potest eos ad id determinare: sed consequens est absurdum, & falsum, ergo habent intellectum agentem. Prob. min. Illa non possunt intelligi sine speciebus, cum objecta non adsint per se, aut quia sunt materialia, ergo nec sine intellectu agente, qui producat eas species spirituales.

Dices eas infundi à Deo animabus, & esse concreatas in Angelis.

Contra 1. In effectibus ordinariis non recurritur ad Deum, nisi defectu causæ creatæ, & ordinariæ, quæ commodè non possit assignari: sed in his facilius assignatur causa creata, & ordinaria, nempè ipse intellectus agens, qui tales species ex objectis eliciat, ergo illi hæc tribuenda sunt sine recursu ad Deum.

Contra 2. & confirm. hoc. Non recurritur ad Deum pro talibus speciebus in anima conjuncta, pro illis conceditur intellectus agens, ergo à fortiori in statu separationis, & in Angelis, qui sunt longè perfectiores. Prob. conf. quo ens est nobilius, plus illi debetur perfectionis, & illi non debent negari perfectiones inferioris: sed non negatur homini intellectus agens, quo sibi producat species objectorum, & pariat suas cognitiones partialiter, & in suo ordine, sine recursu ad Deum, ergo nec debet denegari Angelo, nec Animæ Beatorum in statu separationis.

Contra 3. Quia licèt ista infusio specierum sit possibilis, & satis probabilis, non tamen est necessaria sic, quin Deus potuisset non infundere, & quin intellectus eorum non possit eas acquirere: hoc enim est perfectio in ipsis, sicut de facto tales species infusæ sunt animæ Christi, quæ est similis nostræ, & cui non denegatur hæc facultas, ergo ex ea infusione specierum non rectè negatur intellectus agens in Angelis.

Prob.3.

Prob.3. Quia ratio, propter quam admittimus intellectum agentem, & species in homine viatore, reperitur in Angelis, & anima separata, ergo in illis etiam debet admitti. Prob. ant. Illa ratio est indeterminatio intellectus humani ad intelligendum hoc, vel illud præ alio, quæ tolli debet per aliquid, quod illum sic denominet, ut videbimus: sed illa indeterminatio æqualis est in Angelo, & anima separata, ergo & ratio habendi intellectum agentem. Prob. min. Non enim apparet, unde intellectus Angeli determinetur ad hanc, vel illam cognitionem præ aliis infinitis, quarum est capax, nisi per aliquid ex parte objectorum, scilicet vel per ipsamet, vel ipsorum species.

Confir. De anima separata. Nam intellectus agens est identificatus substantiæ ejus, ergo tam inest in separatione, quàm in unione cum corpore, pro Angelis.

Prob.4. Quia intellectus agens, & possibilis non repugnat Angelis, & est perfectio in illis, quod ex principiis sibi intrinsecis possint elicere suas operationes, & intelligere alia à se, ergo ita est asserendum.

Objic.1. Fundamentum præcipuum Thomistarum: species rerum infunduntur Angelis ab initio creationis, & animabus in statu separationis, ergo illis superfluit intellectus agens.

Resp. neg. ant. & 1. de Angelis hoc refutabimus in Theologia, & de animabus id gratis dicitur, & maximè quia non sunt diversæ à se ipsis unitis corpori, in quo habent intellectum agentem, per quem sibi efforment species, ergo & separatæ ab illo, quia tunc sunt liberiores. 2. quia, cùm intellectus agens sit facultas, & perfectio in anima rationali, non debet deesse Angelis, qui sunt perfectiores.

Objic.2. Angeli non possunt acquirere species à rebus materialibus, idem est de anima separata, ergo superfluit illis intellectus agens, quia cessat ratio, & utilitas ejus. Prob. ant. Res materiales non possunt determinare intellectum, nisi per phantasmata: sed hæc non sunt in Angelis, nec in anima separata, ergo nec species rerum materialium.

Resp.

Resp. neg. ant. & maj. prob. Sicut enim phantasmata, licèt materialia, determinant intellectum in statu unionis, & cum illo concurrunt ad productionem specierum, ita & ipsa objecta possunt eundem determinare in statu separationis. Idem est de Angelis à fortiori.

Inst. ergo Anima frustra uniretur corpori, quia haberet sufficientem, & eandem facultatem.

Resp. neg. seq. Quia unio animæ cum corpore non operatur id solum, sed plura alia, ut patet: operatur cognitiones sensitivas, &, his mediantibus, intellectivas.

Inst.2. ergo haberet eandem facultatem in statu unionis, scilicet producendi species sine phantasmatibus, & cum solis objectis immediatè, quod est falsum.

Resp. neg. seq. In statu unionis alligatur sensibus, Deo sic disponente: in statu verò separationis est ab eis libera.

Objic.3. Nulla est necessitas in Angelis admittendi intellectum agentem, nec possibilem, ergo non debet asseri. Prob. ant. Ratio admittendi illos in anima nostra est, *ut intelligibilia potentia faciat actu intelligibilia*, ex Arist. & ut fiat actu intelligens: sed hæ rationes cessant in Angelo, & anima separata, quia intellectus eorum semper est in actu intelligendi, & objecta eorum semper actu intelligibilia, ergo nulla est ratio.

Resp. neg. ant. & min. prob. cum ratione ejus. Verum quidem est, quod intellectus Angeli, & animæ separatæ est semper in actu intelligendi aliquid, sed non semper intelligit omnia, quæ posset intelligere, sed aliquando intelligit nova, & saltem id potest. Idem est de objectis, & præcipuè de materialibus.

Inst. Non possunt accipere species à rebus materialibus, ergo pro illis non est necessarius talis intellectus. Prob. ant. Requiritur proportio inter potentiam, & objectum: sed nulla est proportio inter potentiam spiritualem, ut est intellectus Angeli, & rem materialem, ergo, &c.

Respond. neg. ant. & min. prob. Non enim major proportio requiritur pro Angelo, quàm pro anima rationali, cujus intellectus accipit species à phantas-

ma-

matibus, licèt sint materialia, & in organo materiali.

CONCLUSIO II.

Probabilius est intellectum Angelicum, & humanum distingui specie. Est communis inter Scotistas, & Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui videtur quidem problematicus quoad actus, & objecta, sed quoad essentias, censet eas distingui. *Dico, quod licèt natura Angelica sit principium intelligendi, & volendi, & anima similiter, ita quod istæ potentiæ nihil dicunt animæ additum, tamen, primum hic, & ibi est hæc natura, & illa natura ad se, & ista distinctio prima est, ad quam sequitur illa distinctio principiorum operandi, sive ejusdem actus, sive operationum aliarum: quia enim est hæc natura, ideo est principium talis operationis, & non è contra*, ergo ex Scoto, sicut essentia Angeli, & animæ distinguuntur specie, & illa distinctio venit ex intrinseca illorum natura, ita & intellectus utriusque ob illorum identitatem cum illis naturis.

Prob. 2. Essentia Angeli, & animæ distinguuntur specie, ergo & intellectus. Prob. conf. Quæ distinguuntur specie, sunt inæqualia perfectione substantiali, ergo perfectiora exigunt potentias perfectiores, saltem secundum se, ergo Angelus, qui est substantia perfectior, exigit, & sine dubio habet intellectum de se perfectiorem, ergo & diversum.

Prob. 3. Quia intellectus, qui non dependet, nec dependere potest à sensibus materialibus in sua operatione, est differens essentialiter ab illo, qui vel sic dependet, vel saltem dependere potest: sed tales sunt intellectus Angeli, & hominis, ille nec dependet, nec dependere potest à sensibus, quia illis uniri non potest, benè verò iste, ergo differunt specie.

Probant Thomistæ, quia humanus habet pro objecto adæquato res materiales, & Angelicus immateriales, & iste non est discursivus, sicut noster, sed in nostris principiis utrumque est falsum.

Objic. 1. Intellectus Angeli, & hominis non sunt inæ-

[1] 2. d. 1. q. ult. B. n. 4.

inæqualis perfectionis, ergo nec diversæ speciei. Conseq. patet ex dictis de inæqualitate specierum. Prob. ant. Si Angelicus esset perfectior humano, omnis ejus cognitio esset perfectior omni cognitione humana, & per consequens cognitionibus Beatissimæ Virginis, & Christi ut hominis, quod est falsum, & absurdum.

Resp. neg. ant. nam 1. Entitativè Angelicus potest esse perfectior substantialiter, & in entitate, & dist. prob. esset perfectior cæteris paribus, conc. ant. absolutè, neg. ant. Nam intellectus Christi, & Mariæ aliunde superant omnem intellectum creatum, & ita est de omnibus cognitionibus eorum; v. g. per auxilia gratiæ, & per lumen gloriæ, & alias dotes supernaturales. 2. cùm cognitiones specificentur ab objectis, & ex aliis principiis, possent dari in Angelo, & homine cognitiones ejusdem, vel diversæ speciei, quidquid sit de illorum intellectu. 3. non est dubium, quin sensationes aliquæ brutorum sint perfectiores aliquot sensationibus humanis, & tamen non dubitatur de majori dignitate animæ hominis, quæ est principium sensationum ejus.

Objic. 2. ex Doctore. Potentiæ, quæ conveniunt in objecto adæquato, non differunt specie, sed intellectus Angeli, & hominis habent eadem prorsus objecta, ergo sunt ejusdem speciei. Prob. maj. Nam potentiæ specificantur ab actibus, & actus per objecta, ergo intellectiones Angeli, & hominis non differunt specie, ergo nec intellectus.

Resp. neg. maj. & dist. ant. prob. Specificantur ab actibus extrinsecè, conc. ant. intrinsecè, neg. ant. Nam, ut ait ipse Doctor, potentiæ differentes specie ex parte fundamenti, & non ex parte objecti, possunt habere actus differentes specie, in quantùm illi actus dependent à fundamento illius potentiæ, licèt isti actus sint ejusdem speciei, in quantùm pendent ab objectis, scilicet intellectiones hominis, & Angeli ex parte objecti sunt ejusdem speciei: sed ex parte principiorum, scilicet intellectuum, & naturarum Angeli, & animæ, distinguuntur, & hoc debent omnes fateri de ipsismet intellectibus, & intellectionibus Angelicis: nam ipsi differunt specie inter se, ergo & intellectus eorum, & tamen conveniunt in objecto adæquato. Prob. conseq. Diversæ naturæ habent

bent diversas proprietates, & diversas potentias; quæ sunt notabiliores eorum proprietates.

Objic.3. Intellectiones Angeli, & hominis non differunt specie, ergo nec intellectus. Prob. conf. Intellectus perfectior debet habere perfectiores actus, ergo& differentes ab actibus imperfectioribus.

Respond.1. neg. ant. vel dist. ex dictis. Non differunt extrinsecè, & penes objecta, conc. ant. intrinsecè, & penes fundamenta, seu principia, neg. ant. & conseq.

Objic.4. ex Augustino. [1] Angelus, & anima sunt natura pares, officio impares, ergo & eorum intellectus sunt ejusdem speciei.

Respond. neg. conseq. Nam paritas illa est quoad extrinseca, nempe quoad ultimum finem, qui est utrique idem, nempe Deus.

Inst. Quilibet Angelus esset capacior perfectioris Beatitudinis, quàm quælibet anima, etiam Christi: sed consequens est falsum, ergo, &c. Prob. min. Nam sic haberet intensiorem Beatitudinem, quia hæc debet implere capacitatem cujuslibet, ergo capacior intellectus debet esse beatior.

Respond. neg. min. & ant. prob. Nam beatitudo non commensuratur capacitati naturali, sed gratiæ, & meritis, quæ sunt majora in quibusdam hominibus, quàm in Angelis, & infinita in Christo.

QUÆSTIO III.

De objecto intellectus.

LOquor de objecto adæquato intellectus nostri, & pro omni statu tam naturali, quàm supernaturali: certum enim est, quod illi secundum se conveniunt multæ cognitiones, quæ non conveniunt in statu unionis cum corpore mortali, & in statu viæ, in quo alligatur sensibus, nec quidquam directè cognoscit, nisi dependenter ab eis, & aliqua potest cognoscere supernaturaliter, quæ viribus suis naturalibus non potest attingere, ut sunt multa mysteria, & veritates fidei.

[1] *de lib. Arb. l.3.*

Objectum adæquatum intellectus distinguit Doctor vel secundum *naturalem attingentiam*, quod scilicet viribus suis naturalibus cum ordinario Dei concursu potest attingere, vel secundum *naturalem inclinationem*, cujus de se quidem est capax, sed viribus naturæ consequi non potest. Rursus objectum *naturalis attingentiæ* est vel purè *motivum*, quod movet potentiam ad actum, imprimendo illi speciem sui, vel purè *terminativum*, quod non concurrit per ullam propriam sui speciem ad sui cognitionem, sed purè illam terminat, vel *motivum* simul, & *terminativum*, quod movet, & terminat: sic essentia divina movet, & terminat cognitionem sui in Deo, & movet purè ad cognitionem creaturarum, & istæ terminant purè. Sic sol movet, & terminat sui visionem, hircus, & cervus movent purè ad cognitionem hircocervi, & iste purè terminat. Item aliud est *adæquatum adæquatione virtutis*, aliud adæquatione *communitatis*. 1. est, quod continet in se omne intelligibile, & ad illud intelligendum movere potest. 2. est illud, quod est commune, seu prædicabile univocè, aut analogicè, aut aliquo modo de omni intelligibili.

CONCLUSIO I.

Objectum adæquatum humani intellectus secundum se absolutè, & ex natura potentiæ, est ens ut sic in tota sua latitudine, at secundum naturalem attingentiam est ens finitum, non autem quidditas rei materialis, nec ens ut verum: pro hoc autem statu objectum ejus motivum primum est ens sensibile.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam dico, inquit, quod *ens est primum objectum nostri intellectus, quia in ipso currit duplex primitas, scilicet communitatis, & virtualitatis: nam omne per se intelligibile aut includit essentialiter ens, vel continetur virtualiter, aut essentialiter in includente essentialiter rationem entis, &c.*

Prob. 2. quoad 1. partem. Objectum adæquatum potentiæ dicitur illud, quod sic adæquatur, vel commensuratur illi, ut omne, quod attingit, quomodocumque sit id ipsum, aut aliquid ejus, & nullum sit tale, quod illa non possit aliqualiter attingere: sed tale

[1] *31. d. q. 3. F. n. 10. & quodlib. 3. 13. & 15. &c.*

tale est ens in communi *ut sic* respectu intellectus nostri: omne, quod intelligit, est ens, & nullum est ens, nihilque sub eo, vel in eo continetur, quod non possit intelligere aliquo modo, ergo ens *ut sic*, & in tota sua latitudine est objectum adæquatum intellectus, & quidem naturalis inclinationis, seu secundum se absolutè, comprehendit autem sub illa latitudine entia *realia*, & *rationis*, *finita*, & *infinita*, *spiritualia*, & *materialia*, *naturalia*, & *supernaturalia*, *positiva*, & *negativa*, *universalia*, & *singularia*, &c. min. prob. experientia: nullum enim est assignabile, quod non intelligatur, alioqui non assignaretur.

Prob. quoad 2. partem. Illud est objectum naturalis attingentiæ ab intellectu nostro, ad quod viribus suis ordinariis, & ex se potest attingere clarè, & distinctè secundum totam quidditatem ejus, & absque elevatione, aut alieno auxilio: sed non potest sic attingere, nisi *ens finitum*, ergo objectum intellectus nostri quoad naturalem attingentiam est ens limitatum. Maj. patet ex dictis, nam, licèt Deus possit à nobis naturaliter cognosci, non tamen clarè, & distinctè secundum totam quidditatem ejus: habemus non tantùm de illo aliquos conceptus communes, aut proprios ex communibus, ut dicemus in Theologia. Prob. min. Nam omne tale ens est proportionatum attingentiæ nostræ naturali, & nullum est tale, quod de facto non attingatur, vel quod non possit attingi, ut patebit solutione argumentorum pro illis, qui illud restringunt ad quidditatem materialem.

Prob. 3. pars. Naturaliter cognoscimus naturas communes, & spirituales: sed illæ non continentur sub quidditate materialis, ergo quidditas materialis non est objectum adæquatum naturalis attingentiæ nostri intellectus. Prob. maj. Naturaliter, & per discursum habemus multas cognitiones de Deo, de intelligentiis, de anima rationali, & hoc etiam pro statu conjunctionis cum corpore; nam *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Item cognoscimus ens sub ratione entis, nihil cogitando de materialitate, & ut tale est universalius materiali: nulla autem potentia potest cognoscere aliquid universalius

lius suo objecto adæquato: tunc enim non esset sibi adæquatum.

Prob.2. Quidditas rei materialis non est objectum adæquatum, seu primum intellectus, neque ex natura potentiæ, nec pro statu unionis cum corpore, ergo nullo modo dici potest objectum primum. Prob. ant. argumento Scoti: *Nulla potentia eadem manens habet actus circa aliquid, quod non est objectum ejus, vel sub objecto ejus contentum: sed intellectus Beatus est eadem potentia, & Beatus intelligit essentiam Divinam, quæ non est materialis*, ergo Deus saltem continetur sub objecto intellectus ex natura potentiæ; licèt non sit materialis, ergo quidditas materialis non adæquat intellectum in ratione objecti. Prob. etiam idem ant. quoad statum unionis, quia post resurrectionem Beati videbunt eamdem essentiam, & erit eadem potentia, ergo etiam quidditas materialis non est objectum adæquatum intellectus pro statu unionis cum corpore: plura vide apud Scotum citatum.

Prob.4. pars 1. ex Scoto. [1] Primum objectum, *hoc est adæquatum, vel adæquatur secundum communitatem, vel secundum virtutem, vel secundum utrumque*: sed verum nullo istorum modorum adæquatur intellectui: ens autem adæquatur, ergo ens ut verum non est objectum adæquatum intellectus. Prob. min. 1. non secundum communitatem, *quia non dicitur in quid de omnibus per se intelligibilibus*, v. g. de *ente*, nec de *uno*, nec de *bono*, nec de aliquo per se inferiori ad ens: & *verum* est passio entis, & inferiorum entis, & sic non prædicatur de illis in *quid*, sed accidentaliter. 2. non secundum virtutem, quia inferiora ad *verum*, licèt includant ipsum essentialiter, non tamen includunt omnia alia intelligibilia, nec essentialiter, nec virtualiter, v. g. *verum*, quod est proprietas lapidis, non includit essentialiter, vel virtualiter lapidem ipsum, sed potius lapis, & ens, quod est in lapide, includit *verum*, ergo *verum* non est objectum adequatum intellectus secundum virtualitatem.

Prob.5. pars 1. ex Scoto sic discurrente: *Objectum primum potentiæ assignatur illud, quod adæquatur potentiæ in ratione potentiæ: nihil autem potest adæquari intel-*

[1] 1.d.3.q.3.A.n.20.

intellectui nostro ex natura potentiæ in ratione primi objecti, nisi communissimum: tamen pro statu isto ei adæquatur in ratione motivi quidditas rei sensibilis, & ideo pro statu isto non naturaliter intelliget alia, quæ non continentur sub illo primo motivo: & si quæritur, quæ sit ratio istius status. Resp. status non videtur esse nisi stabilis permanentia legibus divinæ sapientiæ firmata: stabilitum est autem illis legibus sapientiæ, quod intellectus non intelligat pro isto statu, nisi illa, quorum species relucent in phantasmate, & hoc sive propter pœnam originalis peccati, sive propter naturalem concordantiam potentiarum animæ in operando, &c.

Prob. 2. Quia experientia docet non nos moveri pro hoc statu mortalis vitæ ad quidquam cognoscendum, nisi à sensibilibus: unde est illud effatum, *nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu*, ergo primum, & adæquatum objectum motivum intellectus pro hoc statu est *ens sensibile*, prout comprehendit omnia, quæ aliquo modo cadunt sub sensus externos, vel de præsenti, vel de præterito, vel mediatè, vel immediatè. Dico autem, *motivum*, nam evidens est plura insensibilia terminare posse intellectiones nostras in hac vita.

Objic. 1. contra 1. partem. Intellectus humanus non adæquat divinum: sed divinus non habet majus objectum, quàm ens in ea latitudine, & illum adæquaret, si haberet idem objectum, ergo ens in ea latitudine non est objectum adæquatum nostri intellectus. Prob. min. maximè quoad 2. partem. Haberet *ens* infinitum pro objecto, ergo esset infinitus æquè, ac divinus.

Respond. neg. min. & dist. ant. Haberet infinitum pro objecto *supernaturalis, & limitatæ attingentiæ*, conc. min. *naturalis, & illimitatæ attingentiæ*, neg. min. & cons. ex eo, quod nullum sit ens reale, quod attingi non possit ab intellectu creato, sequitur aliqualis infinitas extrinseca, & extensiva in illo: at semper infinitè superatur à divino, qui non potest solum intelligere ens infinitum, & infinita divisivè, ut nos: sed naturaliter, & simul, & per actus intrinsecè infinitos, &c.

Objicies 2. Si ens in ea latitudine esset objectum

adæquatum nostri intellectus, posset ipse Deus à nobis cognosci quidditativè, & sub ratione deitatis: sed hoc est falsum, ergo & illud. Prob. maj. Deitas formaliter sub ratione deitatis continetur sub ente ut sic, ergo si ens ut sic sit objectum intellectus, poterit cognosci & ipsa Deitas sub illa ratione.

Resp. dist. maj. & ant. prob. Cognosci naturaliter, aut supernaturaliter, conc. maj. & neg. min. Naturaliter, neg. maj. & conf. Deus sub ratione deitatis continetur sub ente *ut sic*, & est objectum intellectus nostri, *sed supernaturalis attingentiæ*.

Inst. Ens, prout comprehendit infinitum, & ipsam Deitatem, est objectum naturalis inclinationis nostræ, ergo & naturalis attingentiæ. Prob. conf. Omni appetitui correspondet potentia proportionata, & ejusdem ordinis: sed ille appetitus est naturalis, ergo & potentia attingentiæ.

Resp. ex Doct.[1] neg. conf. & ant. prob. Ut enim potentia passiva, & appetitus naturalis non sit frustra, sufficit, ut possibilis sit activa, & satiabilitas quomodocumque, & in toto ordine agentium, & entium, sive supernaturaliter, sive naturaliter: sic materia appetit uniri etiam animæ rationali, licèt ista sit altioris ordinis, nec possit illi uniri per ullam potentiam activam creatam.

Inst. 2. In potentiis sensitivis non datur illa distinctio naturalis inclinationis, & naturalis attingentiæ, ergo gratis fingitur in anima rationali.

Resp. neg. conf. & ratio disparitatis petitur ex eminentia dignitatis animæ supra sensus omnes. Antecedens etiam non est adeo certum.

Inst. 3. Si naturalis inclinatio intellectus respiceret ens infinitum, cognitio Dei intuitiva deberetur nobis naturaliter: sed consequens hoc est falsum, ergo &c. Prob. maj. Creatio animæ debetur corpori organizato, quia illam in ea dispositione appetit, & exigit, ergo ita esset de intellectu, si naturaliter inclinaretur ad illam visionem.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Sive quia res creatæ non obligant Deum, sive quia non potest poni in intellectu naturaliter ultima dispositio ad intuitivam Dei visionem, sicut potest poni ab homine organizatio,

[1] q. 1. prol. Q.

tio, & ultima dispositio ad animam rationalem, lata ergo est disparitas.

Objic.3. Objectum adæquatum debet esse unum, & quidem univocum ad omnia contenta sub illo: sed *ens ut sic* non est unum univocum ad omnes creaturas, ad Deum, ad chimæras, ad entia rationis, ad negationes, &c. ergo *ens ut sic* non est objectum intellectus. Maj. patet. quia unius potentiæ debet esse unum objectum, & istud dat unitatem potentiæ. Min. etiam constat ex metaphysica.

Resp. dist. maj. Objectum motivum, conc. maj. terminativum, neg. maj. & idem est de ratione ejus. Conclusio est de objecto terminativo adæquato, non de motivo, quod dicimus esse sensibile pro hoc statu, & absolutè ens reale positivum.

Objic. contra 2.p. Possumus naturaliter habere aliquam cognitionem de quidditate Deitatis, de Trinitate, de unione hypostatica, quæ sunt entia infinita, ut patet de hæreticis, ergo malè assignatur pro objecto naturalis attingentiæ ens finitum.

Resp. dist. ant. aliqualem cognitionem dependentem proximè, aut saltem remotè ab auxilio, vel revelatione supernaturali, aut cognitionem imperfectissimam, & confusam, conc. ant. Cognitionem claram independentem omnimodè ab omni auxilio, vel revelatione supernaturali, saltem remota, neg. ant. quia, licèt illæ cognitiones sint in se naturales, verbi gratia, quia Doctor aliquis hæc scripsit, aut dixit, tamen ille Doctor, aut alius, à quo id accepit, ea intellexit ex revelatione, ac lumine supernaturali, & si cognitiones sint admodum confusæ, ac imperfectæ, non facit contra nos.

Objic. contra 3. partem pro Thomistis. Inter potentiam, & objectum debet esse proportio: sed nulla est inter intellectum nostrum, saltem pro hoc statu, & ens merè spirituale, ergo istud non potest esse objectum nostri intellectus, saltem pro hoc statu, ergo nullum aliud potest esse objectum ejus, nisi quidditas materialis. Prob. min. Potentia alia est prorsus extra materiam tam in essendo, quàm in operando, ut intellectus Angeli, alia est prorsus immersa materiæ tam in essendo, quàm in operando, ut potentia sensitiva, alia est in materia in essendo tantùm, non

autem in operando, quia non utitur organo, dum operatur, ut noster intellectus: sed objecta illis proportionata sunt res purè spirituales, pro 1. & purè materiales, pro 2. & abstractæ à materia, ut quidditates materiales, pro 3. ergo nullum est objectum proportionatum nostro intellectui præter quidditatem materialem.

Resp. neg. absolutè ant. vel sic distinguo. Proportio in modo aliquo operandi, verbi gratia, in attingendo, conc. ant. in modo essendi, neg. ant. alioqui anima separata non posset videre Deum, nec Angelum, quia idem est intellectus in separatione, & unione, nec Angelus rem materialem, & semper anima dicit aptitudinem ad esse in materia. Ratio ergo D. Thomæ probat tantùm, quod in statu unionis intellectus debet moveri ad intellectionem à rebus sensibilibus, quod ultrò concedimus: sed non sequitur, quin secundum se possit intelligere res secundum se spirituales, aut res universales præcisè ab omni materia, & singularitate. Præterea quærerem à Thomistis, si quæ sint magis inter se proportionata, quàm duo intellectus, & tamen sunt purè spirituales, ergo non possent sese intelligere juxta hoc argumentum.

Objic. contra 4. p. Objectum voluntatis est ens, *ut bonum*, ergo objectum intellectus est ens, *ut verum*. Prob. conseq. Potentiæ distinguuntur per objecta, maximè formalia, quales sunt *veritas*, & *bonitas* in entibus.

Respond. dist. conseq. Verum materialiter ita, ut nullum ens sit cognitum, quod non sit verum suo modo, conc. conf. ita ut nullum cognoscatur, nisi sub ratione veri, formaliter, neg. conf. Nisi enim intellectus cognosceret ipsam formaliter bonitatem in entibus, non posset voluntas ferri in illa sub illa ratione, quia *nihil volitum, quin præcognitum*. Inde sequitur falsitas prob. in hoc sensu. Potentiæ autem distinguuntur 1. per proprias suas formalitates, 2. per actus, & modos tendendi, sed à posteriori, & extrinsecè.

Inst. Illud est objectum formale potentiæ, quod illam movet, sed ens movet intellectum, quatenus verum, ergo est objectum ejus, ut verum. Prob. min.

Nam

Nam movet intellectum, quatenus est illi conforme, ergo quatenus est verum.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam calor non movet visum, prout est visibile, sed prout coloratum, & generaliter potius movet, ut difforme, quàm ut conforme: si oculus esset coloratus, non moveretur à colore.

Objic. 2. Ens est objectum intellectus, ut intelligibile, ergo ut verum, nam esse verum, idem est ac esse intelligibile, seu manifestativum. Prob. ant. non movet sensus, nisi ut sensibile, ergo nec intellectum, nisi ut intelligibile, & per consequens ut verum.

Resp. neg. absolutè ant. vel sic dist. ut intelligibile materialiter, seu fundamentaliter, conc. ant. Ut intelligibile formaliter, & sub ratione intelligibilitatis, neg. ant. Idem dico ad prob. nam est objectum intellectus, & sensus secundum suam absolutam rationem entis, & talis entis.

Objic. contra ultimam partem. Multa intelligimus in statu viæ, quæ non cadunt sub sensus, v. g. *entia rationis*, ficta, & non ficta, animas rationales, Angelos, Deum, &c. ergo malè ponimus objectum intellectus nostri in statu viæ *ens sensibile*.

Resp. dist. ant. quæ non cadunt sub sensus directè, per se, & per proprias species, conc. ant. & cognoscuntur terminativè, directè, vel indirectè, per proprias, vel alienas species, per se, vel occasionaliter, & cognoscuntur motivè, & in se neg. ant. Ratio negati patet ex probatione hujus partis conclusionis. Objectum motivum est semper quid sensibile, sed terminativum non item. Formamus nobis idola, seu imagines materiales rerum spiritualium, ut diximus sæpe.

CONCLUSIO II.

Non solum universalia, sed etiam singularia materialia formaliter sunt de objecto intellectus, & ab eo cognosci possunt, non tamen distinctè, ita ut unum ab aliis, seu ipsa inter se discernere possit. Est contra Thomistas.

Prob. 1. pars, & quidem quoad universalia nulla est controversia. Certum enim est nos cognoscere hominem, & alia entia substantialia, & accidentalia se-

cundum rationes communes, secundum quas conveniunt inter se. Major est quæstio de singularibus, de quibus dicitur communiter, quod *de illis non datur scientia*.

Prob. 2. pars ex Scoto [1] dicente, quod *singulare est à nobis intelligibile secundum se, quia intelligibilitas sequitur entitatem, quod ergo secundum se non diminuit de ratione entis, nec intelligibilitatis, sed singulare secundum se non diminuit de ratione entis, imo est ens actu perfectum* (nam ex Arist.) [2] *singulare subjectum est maximè substantia*, ergo singulare secundum se est intelligibile. Præterea, *quod secundum se non est intelligibile, à nullo intellectu potest intelligi: sed singulare ut singulare ab aliquo intellectu potest intelligi, ut ab intellectu divino, & Angelico*, ergo ut singulare est intelligibile de se. 3. *singulare nihil addit ultra universale præter gradum singularitatis*: sed gradus singularitatis non excludit intelligibilitatem, nam multa singularia intelliguntur, Deus, Angeli, animæ separatæ, &c. Nec tantùm secundùm se, sed etiam quoad nos in statu isto singulare est intelligibile, quod probatur, quia sicut conclusiones cognoscimus syllogismo, ita principia inductione: sed inductio est processio à singularibus ad universalia, & sic discurrere pertinet ad intellectum, ergo cognoscit singularia. 2. incognita non possumus diligere, sed priùs diligimus singularia, quàm universalia, quia præceptum est magis respectu singularis, quàm universalis, juxta illud: [3] *qui non diligit fratrem suum, quem videt, &c.* 3. nulli non intellecto nobis possumus nomen imponere: sed nomina imponimus singularibus, ergo hæc intelligimus, 4. experimur, & cognoscimus nos intelligere singularia, hoc autem non est per potentiam sensitivam, quia hæc non est reflexiva super actum suum: sed intellectus non potest cognoscere se intelligere singularia, nisi de facto intelligat, ergo de facto intelligit.

Prob. 3. pars, scilicet quod non possumus cognoscere singularia distinctè, ita ut per differentiam intrinsecam singularitatis, & præcisè ab accidentibus exter-

[1] *de Anima q.22.n.4.* [2] *2. prior.c.29. & 1. Top. c.10.* [3] *1. Joan.*

ternis, ac sensibilibus, formæ, figuræ, loci, &c. possimus unum ab alio discernere, v.g. unum ovum ab alio. Prob. inquam ex eodem, [1] quia nihil est in uno individuo, quod non sit in alio, v.g. si proponātur visui „ duo alba, vel intellectui duo singularia quæcum- „ que, quæ in rei veritate essent distincta essentiali- „ ter, si tamen haberent consimilia accidentia, ut lo- „ cum, utpote duo corpora in eodem loco, vel duo ra- „ dii in medio eodem, & haberent figuram omnino „ similem, & magnitudinem, & colorem, & sic de aliis „ conditionibus enumeratis, nec sensus, nec intelle- „ ctus ea distinguerent, sed judicarent esse unum „ (saltem pro hoc statu) ergo neuter cognoscit singu- „ lare secundum propriam rationem singularitatis.

Objic. 1. contra 2. partem. Materiale, ex Philosopho, [2] non est actu intelligibile, sed tantùm potentia: sed singulare est materiale, ergo non est intelligibile, ergo debet abstrahi à materia, ut intelligatur: sed abstractum à materia non est amplius singulare, sed abstractum à singularitate, ergo singulare formaliter non est per se intelligibile.

Resp. dist. cons. Debet abstrahi à materia per species intelligibiles, quæ sint spirituales, ut imprimantur intellectui, conc. cons. Abstrahi à singularitate, neg. cons. Thomistæ hac auctoritate Philosophi abutuntur, quia censent materiam esse principium singularitatis, quod ostendimus falsum esse. Id ibi non vult Aristoteles, sed tantùm quod materialia non sunt actu, & proximè intelligibilia, ni si depurentur, non à singularitate, sed à materialitate per species intelligibiles impressas, de quibus infra. In spiritualibus ipsis dantur individua, quæ sunt similiter intelligibilia.

Objic. 2. Si singulare secundum se esset intelligibile, frustra esset intellectus agens: sed hoc est contra nos: ergo, &c. Prob. maj. Munus intellectus agentis est abstrahere à phantasmatibus repræsentātibus singularia species repræsentantes universalia: sed hoc esset frustra, si possent intelligi singularia, ergo, &c.

Resp. neg. maj. utramque, nam usus intellectus agentis non est abstrahere à singularitate, quæ est per se intelligibilis, sed à materialitate phantasmatum species immateriales, ut diximus.

[1] *ibid. n. 6.* [2] *3. de An. 1. 10. & 18.*

Objic. 1. contra 3. partem. Intellectus distinguit inter universale, & singulare, ergo cognoscit utrumque distinctè, & per propriam differentiam, alioqui non distingueret. Prob. ant. definit utrumque, ergo cognoscit distinctè, & per propriam differentiam.

Resp. dist. ant. & cons. prob. Distinguit negativè, conc. ant. positivè, neg. ant. Cognoscit unum non esse aliud, & definitionem unius non convenire alteri: at non cognoscit distinctè differentiam individualem, qua constituitur singulare.

Inst. Voluntas potest velle unum individuum præ alio, ergo intellectus inter illos discernit clarè, alioqui voluntas non posset eligere, quia non fertur in incognitum.

Resp. neg. cons. Nam ad electionem sufficit cognitio confusa, qualem non negamus. Posset etiam negari ant.

Quæres, *an illa cognitio sit intuitiva, an abstractiva.*

Resp. illam non esse *intuitivam* pro statu isto, benè verò in statu separationis. Ratio est, quia individua non intelliguntur ab intellectu conjuncto, nisi mediantibus speciebus abstractis à phantasmatibus materialibus, quæ ex sensibus progignuntur: pro statu isto talia objecta non intrant intellectum, nisi per sensus, nec sunt illi præsentia, nisi per speciem: sed quia hæc ratio non valet, nisi pro intellectu separato, sicut nec pro Angelico, qui possunt attingere res materiales per se ipsas, ideo ab eis singularia possunt intelligi intuitivè, & præterea vident ea in essentia Dei etiam intuitivè, ut dicetur alibi.

Scotus etiã docet [1] posse sustineri aliquam cognitionem *intuitivam*, quando scilicet objectum est immediatè præsens sensibus, & actio intellectus comitatur ipsam sensationem: sic enim est de objecto præsenti, ut est præsens, terminatur ad præsentiam realem objecti. Do verba Scoti: [2] *si teneatur, quòd intellectus hic posset cognoscere intuitive, potest dici, quod omnem actum distinctum sensus comitatur aliquis actus intellectus circa idem objectum, & ista intellectio est visio: sed non in primo gradu perfectionis, qui consistit in hoc, quod non solum est de re præsente, & non tantum per speciem, nec tantum sub ratione cognoscibilis, sed in* pro-

[1] *2. metaph. q. 3. n. 24.* [2] *ibid. n. 23.*

propria natura, nam in statu unionis non possumus cognoscere substantias in propria natura.

Quæres 2. *An substantia materialis sit per se immediate intelligibilis pro hoc statu.*

Resp. negativè cum Doctore, [1] & ratio est, quia pro hoc statu nihil intelligimus, nisi per sensus, sed substantia per se immediatè non cadit sub sensus, sed tantùm per accidentia, & hæc non pertingunt ad intellectum nostrum, nisi per species erutas à phantasmatibus, ergo substantia de se non est à nobis pro hoc statu intelligibilis per proprias species; sed per species accidentium relucentium in phantasmatibus.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit primum cognitum ab intellectu nostro.

NOn quærimus hìc, quodnam sit primum inter diversa objecta, quod primò sese repræsentet intellectui, aut debeat primò cognosci, v. g. inter lapidem, lignum, signum, cœlum, terram, sed quærimus de diversis singulorum entium prædicatis, quorum alii sunt universales, alii singulares, alii aliis universaliores, loquimur etiam de primitate ordinis, seu originis, non verò dignitatis, vel perfectionis, vel adæquationis. Certum enim est universaliora præferri singularibus in dignitate. In Petro sunt conceptus *substantiæ corporeæ*, *viventis*, *sensitivæ*, *rationalis*, & petreitatis, quæritur sub quo ex istis prædicatis Petrus primo sit conceptibilis, primò primitate originis, seu ordinis, & cognitione non perfecta; sed confusa, & imperfecta, certum enim est, quòd secundum perfectam debet cognosci distinctissimè secundum totam suam essentiam. Item de cognitione actuali, nam de habituali, aut virtuali perinde est, siquidem illud primò cognoscimus habitualiter, cujus cognitione assuefacti sumus.

Quærimus ergo, quidnam in singulis rebus primò nobis objiciatur cognoscendum. Quæ sit prima cognitio, quæ nobis imprimitur, ita ut nulla prior præ-

[1] 2.*metaph.q.*3.

præcedat ordine originis, & id de cognitione incomplexa, seu prima, & simplici apprehensione, rudi, ac imperfecta, natura enim incipit à rudioribus, & progreditur ad perfectiora.

Notitia confusa est, qua cognoscitur totum non cognitis partibus definitionis ejus, *Distincta* verò est, quæ habetur de toto mediante notitia partium ejus, v. g. quæ habetur de homine per notitiam animalitatis, & rationalitatis, unde fit, ut hæc numquam possit esse prima, quandoquidem supponit notitiam partium, ex qua oritur. Alia dicitur prior originaria, qua actu cognoscimus rem antea prorsus ignotam. Alia collectitia, quæ ex aliis colligitur, ut cum cognoscis, quod homo est visibilis, quia nosti eum esse rationalem, alia *habitualis*, qua apprehendimus rem antea cognitam, & de qua iteratis actibus habitum contraximus, & ideò ista numquam potest esse prima, quia supponit multas præcedentes circa idem objectum, ex quibus generatus est habitus, *originaria* igitur necessariò est prima, quia præcedit omnes alias, velut origo illarum; *collectitia* verò non potest esse prima, quia supponit priores, ex quibus colligitur, & quæri potest, quænam ex illis prioribus sit absolutè prima, & quod sit prædicatum, quod intellectus in re primùm agnoscit, an magis universale, v. g. *Ens*, *substantia*, *corpus*, *vivens*, *sensitivum*, *rationale*, *an denique petreitas*. Illud enim erit primum cognitum primitate originis, & comparatio fieri potest, vel inter conceptus universales, vel inter universales, & particulares, vel inter plures singulares.

CONCLUSIO I.

INter universalia, & particularia prædicata cujusque rei, primò cognoscuntur singularia materialia sensibilia speciei atomæ: inter universalia verò, prius cognoscuntur minus universalia primitate originis.

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] pono inquit, *ordinem originis in cognitione eorum actuali, quæ concipiuntur confuse, & quoad hoc dico, quod primum actualiter cognitum confu-*

[1] 1.*d*.3.*q*.2.*L*.*n*.14.

confusè est species specialissima, cujus singulare efficacius & fortius primò movet sensum, sive sit audibile, sive visibile, sive tangibile; quodcumque enim individuum fortius movet sensum ejus. Species primo cognita est cognitione confusa, & hoc supposito, quod singulare sit in proportione debita præsens sensui. Item *species primò repræsentat naturam in individuo vago, quia illud se primò repræsentat intellectui. 2. naturam absolutè. 3. Ipsam intellectus determinat addendo sibi circumstantias singulares, sic intelligendo, singulare signatum, non sub ratione propriæ singularitatis* (v.g. petreitatis) *ut dictum est.* [1] Item *singulare non est natum intelligi; ut pars inclusa in primo intellectu, sed tantùm, ut primum intellectum, in quo alia quæcumque superiora* (prædicata) *per se intelliguntur*, & si aliquando videtur dare primitatem speciei specialissimæ, id dicit, non per comparationem ad singularia, sed ad alia universalia, & prædicata superiora, quod docemus in 2. p. conclusionis.

Prob. 2. quoad 1. partem ex Arist. [2] quod *notiora nobis sunt & primò nota, quæ sunt sensui proximiora*, ut singularia, & ideò universalia dicit cognitu difficiliora, quia sunt à sensu remotiora, & à singularibus ab universalia procedit. Unde formatur argumentum; [3] illa sunt primò cognita à nobis pro hoc statu, quæ primò sensibus objiciuntur, sed singularia primo sensibus objiciuntur; ergo sunt primò cognita, prob. min. nihil objicitur sensui, quod non existat realiter, & nihil existit realiter, quod non sit singulare, & id maximè verum est de singulari materiali, & sensibili; illud enim solum per se cadit sub sensus: Unde Arist. [4] *Sensus est singularium; scientia verò universalium*, & Doctor ait, quod *phantasma non est propriè nisi singularis, & hoc in quantum est singulare speciei specialissimæ, & hoc si phantasma sit impressum ab aliquo debitè applicato.*

Prob. 2. *pars* ex eodem: causa naturalis benè disposita facit effectum perfectissimum, quem potest, quia talis causa agit ex determinatione naturæ, & non liberè; ideo agit ad ultimum potentiæ suæ, sed talis est pro

[1] *De an. q.* 22. *n.* 8. [2] *Post.* 12. 1. *M. c. ph.* 2.
[3] *Top.* 10.
[4] *De an. q.* 16. *n.* 13.

pro intellectu cognitio speciei specialissimæ post cognitionem confusam individui, ergo post illam primò cognoscit naturam specialissimam, maj. supponitur ab omnibus, prob. min. species enim specialissima est perfectissima universalium, nec causæ naturales possunt quidquam perfectius operari.

Prob. 2. Abstractio universalior est difficilior; ergo universaliora non cognoscuntur prius, patet conseq. Natura enim incipit à facilioribus, prob. ant. quæ sunt abstractiora sunt remotiora à sensibus, ergo eorum notitia est difficilior, nam cognitiones nostræ pendent à sensibus; ideo, quæ sunt proximiora singularitati, sunt proximiora sensibus, & fortiùs illos movent, tactus movetur à singulari calore, & sic percipit calorem, & intellectus illum cognoscit secundum naturam suam caloris, tum ascendit ad entitates universaliores. Quod patet in puero, si tangat calidum, fugit illud non propter rationem generalem entis, aut accidentis, sed propter ipsam naturam caloris.

Dices, hoc probaret etiam in cognitione distincta speciem specialissimam esse primum cognitum, quia illa cognitio est effectus perfectissimus, quem illæ causæ possint causare, sed hoc est contra nos; ergo nostrum argumentum nimis probat, & ideo nihil.

Contra. Nam argumentum procedit de perfectissimo, quod causa in tali statu, & circumstantiis potest producere, in hoc autem statu infirmitatis prima perfectissima cognitio, quam possimus habere, est semper confusa, quia cogimur ex hac infirmitate incipere ab imperfectioribus. Ideo ignis in aqua, vel ligno non statim ignem producit, sed priùs calorem, & sic gradatim.

Objic. contra utramque partem ex Scoto, [1] minus universale non est primo cognitum; ergo vel Scotus sibi contradicit, vel singulare non est primum cognitum.

Resp. neg. conseq. Cùm Scotus dicit hoc de minùs universali, facit comparationem inter universalia, cum verò id dicit de singulari, comparat inter universalia, & singularia, & idem nos cum ipso asserimus.

Inst.

[1] *De an. q. 16. n. 3.*

Inst. Saltem Scotus id docet de singulari magis universali, non autem de singulari infimæ speciei; v. g. Petrus cognitione confusa prius cognoscitur, *ut hoc ens*, aut ut *hoc corpus*, quàm ut *hic homo*, ergo ipsum singulare est prius cognitum sub conceptu magis universali, prob. ant. quia illud singulare est vagum, & prius cognoscimus aliquod singulare ignorantes, in qua specie sit, ergo prius cognoscitur sub conceptu generico, quàm sub specifico, & minus universali.

Resp. neg. ant. & dist. prob. si objectum non sit sufficienter, & debitè applicatum, v. g. si sit nimis distans, conc. ant. si sit debitè applicatum, neg. ant. & conseq. quod patet ex textu allato Scoti, scilicet, *phantasma non est propriè nisi singularis, si sit impressum ab aliquo debitè appropinquato*. Præterea sufficit pro hac parte, ut singulare sit primum cognitum.

Objic. 2. Cognitio confusa præcedit distinctam; quia, ex Doctore, [1] *cognoscere confusè est medium inter scientiam, & ignorantiam*, sed cognitio rei sub communiori conceptu est confusa, & cognitio singularis est distinctior, ergo cognitio conceptus communioris præcedit singularem, ergo universale est priùs cognitum, non autem singulare, & ratio generica, non verò specifica.

Resp. dist. min. cognitio confusa, & non sola, conc. min. sola, nec datur alia etiam confusa de eadem re, neg. min. & conseq. cognitio confusa duplex est, & utraque potest precedere distinctam. 1. cum concipitur res sub aliquo conceptu universali, v. g. sub ratione entis, aut corporis. 2. cum cognoscitur sub conceptu alicujus totius aliquo nomine significati absque cognitione partium ejus, v. g. cum audis *domum*, concipis aliquod totum nihil cogitans de partibus, de scalis, de cubiculis, de ostiis, & aliis, quæ deindè clariùs, & distinctiùs cogitantur; sic dum audis *hominem*, cogitas confusè aliquod unum totum, nil intelligens de partibus, verbi gratia *de animalitate*, & *rationalitate*, & aliis prædicatis ejus, quæ postea cognoscuntur distinctiùs. Utraque cognitio confusa præcedit distinctam. 1. se offert, ut aliquod totum sub certis accidenti-

[1] *1.d.3.q.6.cit.*

dentibus externis, & tale. 1. cognoscitur nihil penetrando circa principia ulla. 2. se offert, & cognoscitur, *ut ens*, aut *animal*, aut *corpus*, sub ratione entis, corporis, aut animalis, & 3. sub ratione *animalis rationalis*, quæ est cognitio distincta, & quidditativa, & denique sub ratione distincta *talis hominis*, v.g. *Petri*, aut *Pauli*, nam in prima ipsa singularitas concipiebatur confusè, & vagè, ut notat Doctor citatus.[1]

Inst. Quod transit de potentia ad actum, transit de imperfecto ad perfectum, nam priora generatione sunt posteriora perfectione, sed conceptus universalissimus rei, v.g. *entis*, est imperfectissimus, ergo est prior origine in cognitione intellectiva. Prob.min. alii omnes conceptus addunt enti aliquem gradum perfectionis; v.g. *substantia* addit gradum perseitatis, *corpus* addit gradum corporeitatis, &c. ergo conceptus universalissimus est imperfectissimus.

Resp.neg.maj. nam sæpe de perfecto ad minus perfectum progredimur, v.g. in argumentatione progredimur à noto ad ignotum, præmissæ enim sunt notiores, & causæ conclusionis, & ideo perfectiores, aut quando ex cognitione causæ procedimus ad cognitionem effectus.

Respondeo 2. dist. maj. quando adest impedimentum, ne prius attingatur perfectius, aut quando actus imperfectior est dispositio ad perfectiorem, conc. maj. si nullum sit impedimentum, aut si imperfectior non est dispositio ad perfectiorem, neg. maj. ad minorem dico potiùs esse impedimentum, ne prius concipiantur universaliora, quia sunt remotiora à sensibus, & illorum notitia non est dispositio ad cognitionem confusam individui specialissimi, sed è contra, nam istud sese primum offert sensibus, & per illos intellectui, & istius cognitio est confusior, quàm *entis*, ista enim cum sint simpliciora, illorum cognitio est distinctior, & ideo perfectior, simplicia totaliter sciuntur, aut ignorantur; imò & cùm magis recedant à materialitate, & sensibilitate, quàm specialissima, & singularia, hoc sensu etiam dici possunt conceptus perfectiores.

Inst. 2. Licet ens in se præcisè, & ut quid actuale sit con-

[1] 5. *Metaph.* c.15.

conceptus simplex, tamen est totum potentiale continens sub se plures partes potentiales, & subjectivas. Unde, quò aliquid est universalius, eò plura sic continet; ergo sub hoc respectu conceptus universalior est magis confusus, & imperfectior, quàm speciei, aut singularis. Ant. patet, *ens* enim sub se continet *substantiam*, & *accidens*, *corpus*, & *spiritum*, &c. *homo* verò (& ita est de omni specie atoma) non continet nisi individuum, & individuum est indivisibile.

Resp. neg. conseq. quia in hac difficultate non considerantur prædicata universaliora, sed universalia, nec per consequens sub totalitate potentiali, sed potiùs sub totalitate actuali, & individua, nam adversarii non prætendunt primò concipi *ens* in abstracto, sed *ens* in singularitate, v. g. cùm mihi objicitur *Petrus*, volunt quod primò cognoscam illum, non ut *hunc hominem*, ut contendimus, sed ut *hoc ens*; ergo considerant ens, ut contractum, non ut abstractum; sic ruit objectio.

Objic. 3. Qui videt hominem à longe, prius cognoscit secundum universaliora, v. g. *ut ens*, quàm secundum speciem, ergo primum cognitum est universalius.

Resp. neg. ant. Nam priùs cognosco tunc, quod magis movet, & illud est *corpus*, quod est minus commune, quàm *ens*. Quod autem non statim moveat secundum humanitatem, accidit propter improportinatam positionem objecti, quod ex distantia illa non emittit speciem humanitatis propter resistentiam medii, est tamen ipsa humanitas, quæ movet à longe; & de propinquo, nam *ut ens*, vel *corpus*, homo, non habet accidentia diversa ab humanitate, ergo per eadem movet ubique, sed diversitas impressionis venit ab impedimento distantiæ.

Objic. 4. Ens est adæquatum objectum intellectus; ergo hic primo quærit cognoscere ens; ergo primum cognitum est universalissimum.

Resp. dist. conseq. primitate adæquationis, conc. conseq. primitate originis, neg. conseq. Præterea cùm dicimus, *ens* esse objectum adæquatum intellectus, non loquimur de ente in abstracto, & secundum præcisum conceptum entis, sed pro omni ente sive generico, sive

speci-

specifico, sive individuali, & sic omne ens est æquè primò cognoscibile.

Colligis ergo, quod prima conditio objecti intellectus est singularitas, non quòd ipsa singularitas cognoscatur, nec moveat, sed quid sit conditio, sine qua natura specifica non moveret, quia non moveret, nisi esset sensibilis, & existens, & per consequens singularis, unde singulare est primum objectum, *quod*; natura verò specifica in individuo existens objectum primum, *quo*.

QUÆSTIO V.

An intellectus possit plura, ut plura simul, & distinctè cognoscere.

DIco, *ut plura*, & *distinctè*, nec enim dubitatur, quin plura possit cognoscere confusè, & per modum unius, sive diversis actibus, sive uno, quædam enim possunt concipi simul in uno, in quo sunt subordinata, ut in homine *ens*, *substantia*, *corpus*, *vivens*, *animal*, & *rationale*: Dico etiam, *simul*, nam de cognitione successiva plurium nullus dubitat. Intelligitur de actuali cognitione, nam de habituali, non est etiam difficultas, certum enim est, quod intellectus potest in se habere species plurium; & diversarum rerum, quibus mediantibus est in proxima dispositione cognoscendi illa successivè, aut divisivè. Quæstio ergo procedit de cognitione actuali, & distincta, & simultanea rerum entitativè distinctarum, ita ut una, vel pluribus cognitionibus cognoscat eodem tempore lapidem, lignum, aurum, argentum, aquam, aerem, &c.

CONCLUSIO.

INtellectus noster potest propria virtute simul plura ut plura cognoscere unico actu, si sint subordinata; & pluribus, si non sint subordinata, non tamen plura in infinitum, seu syncategorematicè.

Prob. 1. ex *Scoto*,[1] dicente, quod *intellectus propria virtute potest uti multis speciebus simul ad concipiendum*.

[1] 1. d. 2. q. 3. n. 18. F.

dum illa simul, quorum istæ sunt species, puta, specie boni, specie summi, specie actus ad concipiendum summum bonum & actualissimum. Quod apparet sic per locum a minori. Imaginativa enim potest uti speciebus diversorum sensibilium ad imaginandum compositum ex diversis illis; sicut apparet in imaginando montem aureum; Fateor, in illa hypothesi loquitur de intellectione plurium per modum unius, sed illa sunt disparata, non autem sibi subalternata, ut *animal viventi, substantiæ*, & *enti* in homine, unde tam facilè uti posset speciebus illis objectorum disparatorum ad illa simul intelligenda distinctè, quàm per modum unius. Et Lichetus in commentario, [1] positivè docet, quod simul possumus intelligere plura, nontamen ita perfectè illa plura, sicut quodlibet ipsorum, & confirmatur ex innumeris aliis locis, in quibus negat quidem intellectui vim intelligendi simul infinita, non verò plura: [2] *Potentia finita non simul per se primò concipit infinita*, & quod habere *actum circa infinitum in multitudine non est nobis possibile propter defectum, seu limitationem intellectus nostri, quia nec simul, nec successivè circa omnia*, non dicit, *circa plura*, sed *circa omnia*. [3] Denique dicit, nos experiri, *quod attentio circa plura objecta est minus perfecta*; ergo simul possumus attendere ad plura distincta.

Prob. 2. Experientia de sensibus, qui attingunt simul diversa, & opposita; oculus videt simul albedinem cartæ, & nigredinem litterarum, auditus percipit diversos sonos ex diversis speciebus delatos, tactus sentit simul, & percipit, & judicat de his omnibus; ergo intellectus, qui est potentia longè perfectior, plura intelligit simul per modum plurium. De facto experimur nos simul intelligere non solùm plura correlativa, ut patrem, & filium; servum, & herum, sed etiam plura disparata, ut lapidem, & lignum, plures eodem tempore pluribus scriptoribus dictant epistolas de rebus diversissimis, ergo intellectus noster potest simul plura, ut plura cognoscere propria virtute.

Prob. 2. pars, de unico actu 1. ex Doctore, [4] quia illud

[1] *Lich. ibid. n.* 1. [2] *Theor.* 19.*n.*1.
[3] 3.*d.*14.*q.*2.*O.* [4] 1.*d.*3.*q.*2. *F.n.*18.

llud, *quod potest causare speciem minùs universalis v. g. rationalis, aut animalis, potest etiam causare speciem cujuscumque universalioris*, &c. v. g. *viventis, substantiæ*, & *entis*, quia quæ sunt subordinata, aut correlativa, & connexa induunt unitatem quandam objectivam, sed, quæ faciunt unum objectum, possint uno actu cognosci; ergo plura subordinata possunt unico actu, & simul intelligi. Unde uno actu judicii attingo parietem, & albedinem, in hac propositione *paries est albus*, & lignum, & lapidem in ista, *lignum non est lapis*, &c. & qui cognoscit distinctè hominem cognoscit eodem actu rationale, animal, vivens, substantiam, & ens, quæ sunt diversa.

Prob. 3.p. ex eodem, [1] non potest dari una species impressa repræsentans diversa objecta, ut probabitur suo loco; ergo neque expressa, qualis est cognitio. Prob. conseq. omnis actus determinatus, & limitatus habet suum objectum adæquatum, à quo sumit unitatem, & specificationem; ergo tam species expressa, seu intellectio, quàm impressa limitatur ad unum objectum adæquatum; ergo intellectus eodem actu non potest plura, ut plura intelligere, nam unumquodque illorum esset adæquatum objectum ejusdem actus.

Confir. Actus intellectionis est naturalis, ac formalis imago objecti, sed objecta diversa non possunt eadem imagine repræsentari; ergo nec eodem actu intelligi, prob. min. singula objecta producunt suam imaginem, & illa speciem impressam, & singulæ species impressæ, quantum est ex se, producunt expressam; ergo diversorum objectorum intellectiones, seu species expressæ sunt diversæ.

Prob. 4. pars de infinitis, ex Doctore cit. quia intellectus habet virtutem limitatam, & finitam; ergo non potest plura, & plura in infinitum cognoscere, imo quando duo, vel tria simul cognoscuntur, virtus ejus distrahitur, atque remittitur, & ideò minùs perfectè intelligit plura, quàm unum, unde manavit proverbium; *pluribus intentus minor est ad singula sensus*; ergo multò minùs poterit innumera intelligere simul. Id uni divino intellectui reservatum est, ut

[1] 2. d. 3. q. 10.

ut omnia simul intelligibilia unico, & indivisibili actu intelligat.

Objic. I *contra I. partem*, *ex Arist.* [1] plura sciri, id est, habitualiter intelligi, *& unum intelligi* (actualiter) *& qui unum intelligit, nihil intelligit*, & ex Scoto, *plures intellectiones distinctæ non* possunt esse simul in intellectu, ergo intellectus non potest simul intelligere plura, ut plura, sive unico, sive diversis actibus.

Resp. neg. conseq. nec enim id sequitur ex illis textibus: Aristoteles vult, quod habitualiter multa sciantur, non propterea necessarium est, ut multa simul, & actu intelligantur, & in 2. loquitur de nominum significatione, quæ debet esse univoca, nam æquivoca non generant scientiam. Scotus loquitur ex sententia Thomistarum contra ipsos, non verò ex propria, loquitur de duabus intellectionibus adæquatis, & perfectis, nos verò non prætendimus illas de diversis objectis esse singulas adæquatas, nec adeò perfectas, sicut esset una sola.

Objic. 2. Idem subjectum non potest perfici duabus, aut pluribus formis ejusdem generis simul, ergo nec idem intellectus habere duas, aut plures intellectiones, patet conseq. quia intellectiones sunt formæ intellectus, & ejusdem generis, sunt qualitates ejusdem speciei, prob. ant. non potest corpus affici diversis coloribus, aut figuris; ergo, &c.

Resp. neg. ant. & conseq. prob. & disparitas est, quia diversæ figuræ important diversos situs, diversi colores opponuntur inter se, non autem diversæ species, & habitus, ita est de diversis actibus.

Objic. 3. Quælibet intellectio est actus adæquatus intellectus, sed intellectus non potest habere plures actus adæquatos simul; ergo nec plures intellectiones, ergo nec intelligere plura, ut plura, ne diversis quidem actibus, prob. maj. omnis potentia naturaliter agens agit, quantum potest, sed intellectus est naturaliter agens, ergo agit per singulas intellectiones quantum potest, ergo singulæ sunt actus ejus adequati

Resp. neg. I. maj. & dist. 2. Agit quantùm potest ad singula, nisi ad plura distrahatur, conc. maj. Si distrahatur, neg. maj. si unicum objectum proponatur, vires,

[1] 2. *Topic. c. 4. & 4. metap. c. 4.*

vires, & activitatem suam omnem exhauriet in ejus intellectione, si plura proponantur, attendet ad illa simul totis viribus, sed respectu singulorum attentio erit minor, & plures intellectiones partiales simul component unam totalem.

Objic. 3. contra 2. p. Voluntas unico actu appetere potest plures fines disparatos, v. g. potest diligere deambulationem propter sanitatem, propter recreationem, & ad vitandos hostes, & hoc est appetere sanitatem, recreationem, & salutem ab hostibus; ergo intellectus poterit unico actu intelligere plura objecta disparata, prob. conseq. tum quia non est minoris virtutis, quàm voluntas. Tum quia possum uno actu concipere tres homines currere, & unico actu dico, *Petrus non est Paulus*, quod non dicerem nisi eodem tempore conciperem Petrum, & Paulum.

Resp. neg. conseq. quidquid sit de ant. disparitas est, quia voluntas est magistra suorum actuum, & objecta non concurrunt ad illos nisi terminativè, at intellectus est causa determinata per ipsa objecta, quæ per se, aut per species concurrunt partialiter ad sui cognitionem, inde est, quod voluntas non tantam petat unitatem in suis objectis, quantam intellectus, qui eadem imagine nequit eadem repræsentare, sed singula debent habere suam. Ad illas propositiones, sunt quidem veræ, sed non habent illos homines diversos pro objectis, sed cursum, aut distinctionem eorumdem, nec ipsi respiciuntur nisi indirectè, directè asseritur cursus trium, & negatur identitas Petri, & Pauli.

Inst. Visus percipit eadem visione quantitatem, & colorem, & album, & nigrum; ergo à fortiori intellectus potest ea intelligere uno actu, ant. patet ex Doctore, dicit enim, quòd sensus percipit contraria unica sensatione, prob. cons. intellectus est majoris virtutis, &, quod tribuitur potentiæ inferiori, non debet negari superiori.

Respond. dist. ant. & prob. ejus, percipit illa sub una aliqua ratione, conc. ant. & prob. ejus, ut plura, & sub diversis rationibus; neg. ant. neque id docuit Scotus, imò expressè ibi docet, quod *intellectus noster unica intellectione non potest plura objecta intelligere, si sunt disparata, sed hoc tantùm potest, sub una* ratio-

ratione objectiva, & sic etiam visus potest album, & nigrum cognoscere simul, secundum quod conveniunt in quadam differentia, vel contrarietate, quæ est una ratio objectiva cognoscendi simul utrumque.

QUÆSTIO VI.

De tribus operationibus intellectus.

TRes famosiores intellectus operationes sunt. *Prima* dicitur *simplex apprehensio*, quia per illam quasi trahitur, & accipitur objectum, sed nudè, ac simpliciter, nihil de illo affirmando, vel negando. *Secunda* dicitur *judicium*, seu *composita*, quia per illam intellectus, postquam objectum apprehendit, de illo fert judicium affirmando aliquid, aut negando. 3. dicitur *discursus*, quia per illam intellectus unum judicium infert de alio, & quasi ab una propositione, ac judicio discurrit in aliam: postquam judicavit de Petro, quod est homo, transit in aliud judicium dicens, ergo *est animal*, ergo *est risibilis*, &c. De objectis primæ, quæ sunt termini simplices, diximus in proœmio, & in prima parte Logicę, ubi de terminis incomplexis, de universalibus, & prædicamentis. De 2. item, ubi de enunciatione, seu de propositionibus, & de 3. ibidem. ubi de argumentatione, ac speciebus ejus, restant tamen aliquot circa singulas dubia, quæ huc remisimus examinanda, ut meliùs natura animæ nostræ, & facultatis ejus intellectivæ capiatur.

Alios quosdam actus tribuimus intellectui, qui tamen facilè ad unum trium prædictorum revocantur, ut *Attentio*, *Dubitatio*, *Imperium*, *Opinio*, *Fides*, *suspicio*, &c. similiter, *Cognitio abstractiva*, & *intuitiva*. *Attentio*, prout ad intellectum pertinet, est conatus quidam ejus, quo se applicat considerationi alicujus rei, quo sensu inservit singulis tribus prędictis operationibus, ut perfectiùs apprehendat, aut judicet, aut discurrat de objectis suis. *Dubitatio* videtur potiùs suspensio quædam actionis, quàm actio, quia dubitans hæsitat, & suspendit mentem suam de veritate propositionis, aut de bonitate discursus, & consequentiæ, tamen facilè reduci

potest ad 2. si dubium sit circa connexionem, seu copulam prædicati cum subjecto, vel ad 3. si sit de bonitate consequentiæ. Potiùs tamen dicendum, quòd dubitatio est potiùs cessatio actus, quàm operatio positiva, quia per illam non proficit, nec perficitur.

Imperium denique ad voluntatem propriè pertinet, potiùs, quàm ad intellectum, ut videbimus, *cognitionis, intuitivæ*, & *abstractivæ* naturam, & conditiones examinabimus. *Opinio* est actus intellectus deductus ex principiis intrinsecis, quæ veritatem, aut falsitatem non ostendunt evidenter, ideò non assentitur illi, nisi cum formidine de opposito. *Fides humana* est assensus propter testimonium hominis: *Divina* innititur testimonio divino, ideò est certissima; *Suspicio est* opinio mali ex levibus signis. De his aliàs, si Deus dederit.

Porro circa 1. operationem quæri solet, 1. an versetur tantùm circa simplices terminos, an verò etiam circa complexos, seu positiones, 2. an tunc sit unus simplex actus distinctus ab apprehensionibus singulorum terminorum simplicium ejusdem propositionis, & 3. an in illa sit veritas, & falsitas. Circa 2. an intellectus eodem actu judicet, & assentiatur propositioni. 2. an sit simplex unus actus, an duplex, an triplex, sicut sunt duæ, aut tres voces, sc. duo termini, & copulæ. 3. quomodo ibi sit veritas, aut falsitas. Circa 3. quæritur, 1. an essentialiter differat à duabus primis, & 2. in quo consistat formalis ejus ratio.

CONCLUSIO I.

Objecta 1. operationis sunt termini non tantùm simplices, sed etiam complexi, seu propositiones integræ, & in eam cadit veritas simplex, non tamen falsitas.

Prob. 1. pars ex Scoto docente, quòd *intellectus simplex potest apprehendere æqualitatem Dei sine errore, et sufficit sola simplex apprehensio ad hoc, quod appetitus appetat illud apprehensum alteri*; æqualitas autem Dei non est aliquis terminus simplex, & si addas, quòd non solùm apprehendi potest in se, sed

etiam

etiam ut bona sibi, aut alteri, videbis integram propositionem objici tali actui, quem Scotus vocat simplicem apprehensionem. Docet etiam, [1] quòd *contradictoria possunt simul apprehendi, & illa apprehensio praecedit necessariò judicium de illis.*

Prob.2. Non est major ratio, cur possit intellectus apprehendere simpliciter extrema propositionis, v. g. animal, & hominem nihil affirmando, vel negando de utrisque, quàm unionem illorum, etiam sine affirmatione, vel negatione ejus: sed intellectus potest apprehendere talia extrema propositionum, ergo & unionem illorum, seu propositiones integras. Prob. maj. Tàm dari potest species repraesentans illa unita, quàm seorsim, ergo tàm possunt apprehendi unita, quàm seorsim.

Dices quidem esse possibile, sed illa cognitio pertinebit ad 2. operationem, non ad primam, quia includit judicium.

Contra. Cognitio pertinens ad secundam operationem affirmat, vel negat unionem extremorum: sed simplex cognitio talis unionis nihil affirmat, aut negat de unione, ergo non pertinet ad 2. operationem.

Prob.2.p. de veritate, ex Scoto. Nam verum in intellectu duplex *est secundum duplicem ejus operationem* (1. sc. & 2. nam 3. seu discursus non dicitur verus, aut falsus, sed bonus, aut malus) *secundum quarum utramque natus est conformari objecto, ut mensuratum mensurae. Est autem inter istas veritates differentia, quòd primę falsitas non opponitur, sed ignorantia tantùm, veritati autem 2. operationis opponitur ignorantia privativè, et falsitas contrarie.* Vide, quae diximus in Metaphysica de veritate, & falsitate.

Prob. 2. Veritas formalis est conformitas cognitionis cum objecto cognito; sed in simplici apprehensione reperitur talis conformitas, sive objectum sit terminus incomplexus, sive sit complexus, ergo & veritas, quae circa objectum complexum dicitur incomplexa, quia tàm est sine affirmatione, & negatione, quàm alia, & tota complexio ejus est ex parte objecti, non verò ex parte actus, ergo est veritas haec signi ad significatum, & repraesentativi ad repraesentatum.

[1] *d* 1. *q.* 3. *D.n.*14.

Prob.3.p.de falsitate, tam ex Scoto [1] mox allato, quàm ex Aristotele dicente, quòd non contingit intellectum falli per simplices conceptus, sed potiùs non attingere, aut ignorare objectum, Scotus verò dicebat, quòd veritati 1. operationis non opponitur propriè falsitas, sed ignorantia.

Prob.2.Quia vel intellectus attingit objectum tàm simplex, quàm compositum, & tunc actus verus est, quia verè repræsentat, vel non attingit, & tunc non est falsus, sed tantùm ignorans, quia non percipit, non concipit objectum, ergo non fallitur, sed ignorat.

Objic. contra 1.p.ex Arist. Prima operatio est *indivisibilium intelligentia*, ideò dicitur simplicium apprehensio: sed termini complexi, & propositiones non sunt simplices, nec indivisibiles, ergo non sunt objecta primæ operationis. Prob.maj. Nam alioquin non differret à secunda.

Resp.dist.maj. Indivisibilium formaliter, quatenus actu indivisibili, & simplici sine compositione judicii ex parte intellectus concipiuntur, conc. maj. & neg. min. Indivisibilium objectivè, & materialiter, quasi verò objecta ejus sint indivisibilia, & prorsùs incomplexa, neg.maj.& ant. prob. Nam prima operatio differt à 2. præcisè, quia ex parte sua non componit, non judicat, non affirmat, aut negat quidquam circa objecta sua, & sic formaliter est indivisibilis ex parte actus, non ex parte objecti.

Inst. Talis apprehensio, saltem virtualiter, est judicativa, percipit enim connexionem prædicati cum subjecto, ut cùm apprehendo hanc propositionem, *homo est animal*, ergo hoc pertinet ad 2. operationem.

Resp. neg.ant. & conseq. prob. Nam intellectus per hanc operationem sic percipit illam propositionem, ut maneat indifferens ad quodcunque judicium, ad assensum, vel dissensum, & ad affirmationem, vel negationem.

Inst. 2. Sensus visus, v.g. percipit objectum, quoad existentiam: nam videt Solem esse lucidum, ergo à fortiori intellectus per apprehensionem: hæc enim est perfectior sensatione.

Resp. dist. ant. Percipit simpliciter, & sine judicio, conc. ant. componendo, seu judicando, quòd existat, vel

[1] 9. *Metaph. t.ult.*

vel non, neg. ant. & rationem ejus: nam idem est de sensu, & à fortiori, quia non attingit rem, nisi materialiter, & valde imperfectè.

Objic. contra 3. p. Falsitas formalis est difformitas cognitionis cum objecto: sed talis est in apprehensione terminorum complexorum, & maximè propositionum, ergo in simplici apprehensione datur falsitas, saltem simplex. Prob. min. Apprehensio aurichalci pro vero auro, vel hujus propositionis: *Petrus est lapis*, est difformis objecto, sc. auro, vel Petro, sicut est conformis, si apprehenderet falsum aurum, vel *Petrus est homo*, ergo in apprehensione simplici terminorum complexorum datur difformitas actus cum objecto.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam si hæc apprehendantur sine affirmatione, vel negatione, sine assensu, vel dissensu, nulla erit in ipso actu difformitas, vel conformitas positiva. Propositio apprehensa est quidem falsa in se materialiter, sed apprehensio simplex falsi non est falsa; intellectus non decipitur, nec errat, quamdiu sic se habet.

Inst. Tunc intellectus decipitur, & errat, cùm non attingit id, quod intendit, sed quid diversum, nam apprehendere unum pro alio est errare: sed qui apprehēdit aurichalcum pro vero auro, non attingit id, quod intendit, ergo in illa apprehensione est propriè falsitas, & deceptio.

Resp. neg. maj. Nam falsitas cognitionis consistit in difformitate ejus cum objecto, non autem in defectu attingentiæ rei intentæ; hic defectus est ignorantia, non error, ideò illa apprehensio est vera, quia id, quod apprehendit, est verè aurichalcum, quod apprehenditur, ut est.

Quæres. *An illa, quæ apprehendit integram propositionem, sit unus simplex actus terminatus ad prædicatum, subjectum, & copulam, an vero triplex, ita ut unus apprehendat Petrum, alter lapidem, alter copulam affirmativam.*

Resp. Probabilius esse unicum, & indivisibilem actum distinctum, & superadditum apprehensionibus singulorum terminorum.

Ratio est, quia actus comparativus distinguitur ab absolutis, & actus distinguuntur per objecta,

 sed

sed actus, quibus apprehenduntur singuli termini, sunt absoluti, & habent diversa objecta formaliter ab illo, quo attingitur tota propositio, quia attinguntur in se, & secundum se, actus verò, quo attingitur tota propositio, est comparativus, & habet pro objecto formali, & adæquato totam propositionem repræsentantem indivisibiliter copulam prædicati cum subjecto, ergo iste est unus, simplex, ac distinctus ab illis aliis.

CONCLUSIO II.

Probabilius est 2. operationem esse actum unum simplicem ab apprehensione distinctum, actus verò judicii non distinguitur ab assensu, vel dissensu.

Non negamus, quin in omni judicio interveniant plures actus, sc. apprehensio subjecti, & prædicati seorsim, & identitatis, aut distinctionis eorum, deinde accedit adhæsio, seu affirmatio, seu assensus, vel negatio, seu dissensus identitatis eorumdem, quo sensu diximus in Logica, quòd enuntiatio non est una simplex qualitas, sed composita, sed dicimus, quòd actus judicii quamvis supponat illos priores actus apprehensionis, tamen in se est unus simplex actus, qui affirmat, aut negat illam copulam, aut assentit, vel dissentit illi copulæ. Hoc supposito

Prob. 1. p. ex Scoto. *Dico*, inquit, *quòd actus collativus est unus, & tamen duorum, aliter nullo actu cognosceretur conclusio vera propter principia, nec intenderentur (uno actu) quæ sunt ad finem propter finem*, &c. & alibi docet, quòd operatio intellectus est quid per se unum, quod ponitur in prima, vel 3. specie qualitatis.

Prob. 2. Si judicium esset actus in se compositus, esset ex apprehensione subjecti, & prædicati, & copulæ; sed id non potest dici, ergo est quid in se simplex. Prob. min. Tres illæ apprehensiones possunt esse in intellectu sine judicio, ergo ille, quo affirmamus, vel negamus illorum unionem, est actus novus ab illis distinctus, qui eos supponit quidem, sed non includit.

Confir. Quia si includeret illas apprehensiones tanquam partes, fieret successivè, & indivisibiliter, sicut illi

[1] *Repor. 2. d. 38. G. n. 3.*

illi actus sibi succedunt, & propositio ipsa vocalis proferretur successivè, quod falsum est, nam judicium non formatur, nisi in fine totius prolationis, & dum totus sensus illius comprehenditur. *Conceptus*, inquit Doctor, [1] *quod causam per orationem prolatam non habetur per eam, nisi in ultimo instanti prolationis*, ergo nec judicium, quod non est aggregatum ex pluribus vocibus, ut propositio vocalis, sed unicus actus ambo extrema conjungens in mente, & ideo dicitur compositus non in se formaliter, & entitativè, sed objectivè, & quia ipse actus superadditur aliis, quos præsupponit, sc. apprehensionibus prædicati, & subjecti, quæ unit per affirmationem, aut dividit per negationem.

Prob. 2. pars breviter. Quia certum est, quòd affirmatio nequit esse regulariter sine adhæsione, nec negatio sine dissensu, & nulla est necessitas distinguendi assensum à judicio affirmativo: nec dissensum à negativo, ergo non distinguuntur.

Confirm. Affirmatio est cognitio, qua aliquid alteri tribuimus, & negatio est cognitio, qua aliquid ab alio removemus; sed sic cognoscere est ipsummet assentiri, aut dissentiri unioni extremorum, ergo judicium, quo affirmamus, aut negamus, nihil est distinctum ab assensu, vel dissensu.

Objic. contra 1. p. Secunda operatio est compositio, ergo constat ex pluribus actibus, ergo non est unus simplex actus.

Resp. dist. ant. Compositio objectivè, quatenus unum cum altero ponit, aut quatenus est actus superadditus alteri; conc. ant. quatenus plures actus sunt partes essentiales, vel integrales ejus, neg. ant. & conseq. nam in hoc sensu hic actus non potest dici compositus, ut patet ex dictis.

Objic. contra 2. p. Cognitio propositionis affirmativæ potest haberi sine assensu, ergo judicium affirmativum, & assensus distinguuntur. Prob. ant. Potest quis cognoscere hanc propositionem, *Deus est trinus*, & illi non assentiri, ut hæretici quidam non assentiuntur, ergo assensus, & cognitio propositionis affirmativæ distinguuntur.

Resp. dist. 1. & 2. ant. Cognitio, quæ sit simplex ap-

[1] 4. *d.* 8. *q.* 2. *G. n.* 14.

prehensio, conc. ant, quæ sit propriè judicium, & affirmatio, neg. ant. & conseq. Nam cognitio illius propositionis in hæretico, vel alio, non est 2. operatio, nec judicium, sed nuda apprehensio, est affirmativa objectivè, & materialiter, non formaliter; de veritate enuntiationis, seu propositionis diximus in Logica;

CONCLUSIO III.

Tertia mentis operatio verè, & essentialiter distinguitur à 2. & consistit in illo uno actu illativo, quo judicamus unam propositionem deduci ex alia, & exprimi solet per particulam Ergo. [1] Patet ex dictis in Logica de argumentatione, & syllogismo.

Prob. 1. pars. [2] Quia licèt discursus contineat tres propositiones, quæ sunt tria judicia, in hoc tamen à 2. differt, quia includit illationem unius ab alia, quod non habet 2. Item habent diversa objecta materialia, 2. enim respicit veritatem immediatam propositionum, 3. verò mediatam, sc. conclusionis deductæ ex duabus præmissis, quæ ad 2. pertinent. Ista respicit, & asentitur præmissis propter se immediatè, 3. verò asentitur conclusioni propter præmissas, &c.

Prob. 2. p. Quia certum est, quòd per illam formalitatem discursus, seu argumentatio differt essentialiter non solùm à simplici apprehensione, sed etjam à judicio, ut mox dicebamus, ergo tertia operatio consistit formaliter in illo judicio illativo, nec in his diutiùs immorandum.

QUÆSTIO VII.

De intellectione, & verbo mentis.

INtellectio nihil est aliud, quàm cognitio spiritualis, sicut sensatio est cognitio materialis, & quod de natura illius statuemus, inserviet ad intelligentiam sensationum: sicut enim se habet intellectus ad suas operationes, sic sensus ad suas, cum proportione.

Porrò in cognitione intellectiva (idem est de sensatio-

[1] *Disp* 9. q. 4. *et* 5. [2] *Disp.* 11. q. 1. *et seq.*

tionibus) tria præcipuè concurrunt, objectum, seu species ejus vicaria, quæ impressa dicitur, species expressa, & actio productiva istius, actio, qua producitur species expressa, quæ est qualitas, & terminus productus per illam actionem, & denique passio, qua intellectus ipse recipit in se hanc qualitatem, & per illam immutatur, & fit formaliter intelligens. Unde ex Doctore, omnis potentia vitalis creata, & cognitiva est *productiva*, *receptiva*, & *operativa* secundum diversos respectus. 1. est *productiva* sui actus in genere causæ efficientis, 2. est *receptiva* ejusdem actus in genere causæ materialis, 3. est *operativa*, quatenus habens actum illum tendit vitaliter in objectum; species *impressa*, ut patet ex dictis de sensibus, est imago objecti immissa ab objecto ipso in potentiam, & pro intellectu est similitudo objecti ab ipso mediante phantasmate cum intellectu agente producta in intellectu possibili, per quam fœcundatur, ut possit intellectionem parere; species *expressa* est imago objecti ab ipsomet intellectu producta, per quam constituitur formaliter intelligens. *Habitus* est notitia habitualis parta per iteratas intellectiones actuales, qua intellectus redditur promptior, & habilior ad eliciendos similes actus.

Verbum autem communiter describitur signum à dicente prolatum, per quod manifestat id, quod habet in mente, & triplex est. 1. *Vocis*, quod voce profertur, quia voces sunt notæ sensibiles eorum, quæ sunt in mente. 2. *Scriptum*, quod scriptis exaratur. 3. *Imaginationis*, quod est imago eorum, quæ in imaginatione latent, & relinquuntur ex sensationibus, 4. *Mentale*, quo exprimuntur ea, quæ latent in memoria fœcunda, informata specie impressa, vel cum ipso objecto præsente. Quærimus ergo hic, in quo consistat formalis ratio intellectionis, & an, & quomodo distinguatur à verbo mentis, an consistat in illa actione, an in passione, an in qualitate producta, an illud sit species expressa, vel impressa objecti, vel ipsum objectum, ut cognitum.

CONCLUSIO I.

INtellectio formaliter non consistit in aliqua actione, vel passione, sed in sola qualitate vitali, quia intellectus assimilatur intentionaliter objecto.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui de intelligere Dei Patris docet, quòd *Actus secundus, quo pater intelligit, vel operatur formaliter, non producit*, &c. *Quia illud intelligere ex ratione sua est operari patris, et non est producere, productione autem, sive dictione producit, sicut ignis calefactione calefacit. Dicere non est aliquis actus intelligendi formaliter, est tamen aliquis actus intellectus. Nullus autem actus intelligendi formaliter est productivus.* Et infra loquens de intellectione, & volitione sic rem totam docet. *Cùm hujusmodi operationes aliquid sint, et probatū est, quòd non sint substantia, nec actio, nec relatio, aut passio, neque quantitas, vel aliud extrinsecùs adveniens, relinquitur, quòd sint de genere qualitatis, et quidem in prima specie, in qua credo est omnis perfectio substantiæ spiritualis, quæ non est Deus.* Habes hìc totam conclusionem ex Scoto.

Prob. 2. de actione ex eodem. Actionis realis est aliquis terminus realis per ipsam productus, per id enim hoc prædicamentum distinguitur à cæteris: sed per intellectionem nullus terminus realis producitur, ergo non est formaliter actio de prædicamento actionis. Prob. min. Tum quia intellectio dicitur actio immanens, quia non producit ullum opus, ut actio transiens, tùm quia operationes vitales, quarum præcipua est intellectio, sunt actus, & perfectiones ultimæ operantis, & finis ultimus potentiæ, & id non esset verum de intellectione, si aliquid produceret in intellectu, ergo intellectio non est actio ullius termini realis productiva. Prob. ant. ex Arist. sic operantes immanenter explicante, *quorum non est aliud opus præter actionem, in ipsismet actis est, ut visio in vidente, et speculatio in speculante.*

Dices. Quare ergo vocatur actio? Resp. ita vocari ob duplicem convenientiam, quam habet cum actione prædicamentali, quia operatio, sicut actio est sem-

per

[1] *1. d. 2. q. 7. Q. n. 26. et d. 3. q. 6. n. 32.*

per in fieri, semper pendet actualiter ab operante in ultimo æquè,ac in primo instanti, & quandiu durat. 2. quia sicut actio tendit in terminum per eam productum, sic operatio in objectum, quod tamen nullum esse intrinsecum ab illa recipit; benè verò terminus per actionem. Accipit quidem esse cognitum, sed illud est esse extrinsecum, & diminutum, terminus verò per actionem accipit esse simpliciter.

Prob 3. ex eodem. Actio productiva albedinis, non est formaliter dealbatio, & non facit album; idem est de calore, frigore, &c. id enim est effectus formalis albedinis, & esse album est habere albedinem, non autem facere, ergo actio productiva intellectionis, seu verbi mentis, seu speciei expressæ, non est formalis intellectio. Confirm. Nam si Deus se solo produceret intellectionem, seu speciem expressam, & illam in intellectu aliquo creato merè passivè se habente reponeret, non minùs diceretur intelligens, seu habens intellectionem, quàm paries albus, cùm accipit albedinem, ergo intellectio formaliter, qua intellectus fit intelligens, non est formaliter actio.

Prob. 2. p. de passione. Quia, inquit Scotus, *potentiæ animæ respectu suarum operationum sunt activæ*; alioqui nimis vilescerent, ergo intellectio, quæ est præcipua operatio animæ intellectivæ, non consistit formaliter in passione. Prob. ant. Omne agens, ut agens, est nobilius patiente, ut patiens est, ergo si intellectio esset formaliter passio, & ipse intellectus patiens vilesceret, & esset vilius objecto, vel specie ejus. Idem est de potentia sensitiva respectu suæ sensationis.

Prob. 2. De ratione intellectionis est, ut respiciat objectum, non autem subjectum: sed in ratione passionis non respicit, nisi subjectum, ergo ut passio non est formaliter intellectio, seu non consistit formaliter in receptione speciei impressæ, vel expressæ.

Dices. Non consistere in pura passione, quæ sit nuda, & materialis velut mortua receptio speciei, sed in passione viva, quæ fit cum attentione, & conatu potentiæ.

Contra. Sed attentio, & conatus intellectus cum spe-

cie id intelligendum est, quoddam agere, ergo intelligere non est formaliter pati.

Prob. 3. p. de qualitate, ex Scoto. [1] Non potest assignari melius, in quo alio genere entis consistat, quàm in qualitate, ergo ita dicendum est. Prob. ant. Non enim est de genere substantiæ, quia potest adesse, vel abesse sine animæ corruptione, nec potest naturaliter esse, quin hæreat. 2. non est de genere quantitatis, quia non exigit impenetrabilitatem. 3. non est relatio intrinsecùs adveniens, nec pura alia relatio, quia *ultima perfectio substantiæ vivæ non est sola relatio*, inquit Scotus, *sed intellectio est ultima perfectio substantiæ vivæ, quę nata est operari*, ergo intellectio non est pura relatio prędicamentalis. Prob. maj. Quia pura relatio non summè appetitur appetitu naturali, qualiter appetitur visio Dei, &c. 4. non actio, nec passio, ut probatum est, ergo restat, ut sit qualitas.

Dico 1. *In sola illa qualitate*, nam licèt, ut notabam, interveniant actio productiva ejus, & passio, seu receptio ejusdem in intellectu, tamen neutram includit intrinsecè, alioqui intellectio non esset ens per se unum, sed per accidens, & aggregatum ex rebus diversorum prædicamentorum. Non potest quidem intelligi sine relatione tendentiæ in objectum.

Dico 2. *Vitali*, quia intellectus assimilatur, & unitur intentionaliter objecto, & per hoc significantur duo respectus comitantes inseparabiliter omnem cognitionem. 1. est repræsentantis ad repræsentatum, & hic communis est speciei impressæ, & expressæ; illa enim est virtualis imago objecti, ista verò formalis. 2. respectus attingentiæ passivæ in termino, & activæ, seu tendentiæ in potentia, & iste convenit illi qualitati, ut vitalis est.

Objic. 1. Intelligere est agere vitaliter, ergo intellectio est formaliter actio vitalis. Prob. ant. Est operari immanenter, & exercere potentiam vitalem activam, ergo est agere.

Resp. d ist. utrumque ant. Est agere, & exercere potentiam per actionem grammaticalem, & intentionaliter, con c. ant. agere physicè, aliquid verè producendo, neg. ant. Aliud est operari, aliud agere physicè per

[1] *Quodlib.* 13. *A.A.n.* 25.

perationem verè productivam alicujus termini illud est intelligere, & velle, aut sentire, non verò istud.

Inst. 1. Illa operatio ad aliquid terminatur, & dicitur actio immanens, ergo aliquid producit in ipsa potẽtia. Prob. conseq. Ideò enim dicitur immanens, quia, quod producit, remanet in ipsa potentia, & in hoc differt à transeunte, quæ relinquit opus post se, & extra potentiam.

Resp. dist. ant. Terminatur ad aliquid in ratione objecti, conc. ant. in ratione effectus producti, neg. ant. & conseq. dicitur actio propter similitudinem, quam habet cum actione physica, ut diximus.

Inst. Per actionem intelligendi generatur habitus, ergo aliquid producitur.

Resp. dist. ant. Generatur habitus per actus intelligẽdi, velut per conditionẽ, & principium *quo*, sicut ignis calefacit calore, conc. ant, velut per actionẽ, & principiũ activum, neg. ant. Principium activum, & actio productiva consistit in productione qualitatis, quæ est ipsa intellectio formalis, sicut calefactio effectiva est productio caloris, formalis verò est ipsa communicatio caloris, sed hæc potest esse sine productione ab igne, sicut intellectio sine productione intellectionis per intellectum, ut esset, si produceretur à solo Deo.

Objic. 2. Intelligere est vivere in actu secundo: sed vivere in actu secundo est operari aliquid ab intrinseco, ergo intelligere est agere, & ipsa intellectio actualis est actio productiva. Prob. min. Non potest de vivente in actu 1. transire ad actum 2. viventis, nisi per aliquam actionem productivam, ergo, &c.

Resp. dist. min. Est operari formaliter intentionaliter percipiendo objectum, conc. min. operari physicè producendo aliquid reale, neg. min. Ad prob. dist. pariter ant. Ordinariè per actionem physicam, quæ præcedit, aut comitatur operationem illam intentionalem, conc. ant. absolutè, & adeò ut ipsa actualis intellectio sit formaliter productio physica, neg. ant. Diximus, quòd regulariter potentia vitalis, & maximè intellectus agit, patitur, & operatur, agit producendo speciem expressam: patitur, & recipit illam in se, & operatur, ac percipit objectum in actu 2. per illam, sed negamus, hanc operationem, seu intellectionem consistere formaliter in illa actione.

Ibi.

Inst. In omni intellectione producitur verbum mentis per veram actionem physicam : sed non potest assignari alia actio, per quam illud producatur, quàm per intellectionem, ergo intellectio est verè productiva.

Respond. neg. min. nam productio verbi fit per actum,qui vocatur dictio, & præcedit intellectionem, ut videbimus.

Inst.2. Sequeretur dari posse creaturam intellectivam, quæ non sit activæ intellectionis : sed hoc est absurdum, ergo & illud.

Respond. Conc. maj. & neg.min. nulla enim ibi implicantia, ut patebit infra.

Objic. contra 2. par. 1.[1] ex Philosopho, *intelligere est quoddam pati*, & sensus est passivus, & intellectus est pura potentia, & alia non est ejus natura, quàm passibilis, ergo intellectio, sicut & sensatio est pura passio.

Respond. ex Scoto neg. conseq. nam aliud est intelligere formaliter, aliud intellectio in sua entitate formali : intelligere formaliter est habere, seu recipere intellectionem velut formam, & qualitatem, quia intellectus redditur formaliter, & actu intelligens, sicut paries per receptionem albedinis fit formaliter albus, at intellectio ipsa in sua entitate est qualitas absoluta sicut albedo, ideo Philosophus sic loquens de intellectu debuit dicere eum esse passivum, & quod *intelligere est quoddam pati*, hoc est quod,qua formaliter intelligimus, est forma quædam recepta in intellectu. Et non probat quod intelligere sit per se, sed *intelligere est recipere intellectionē*: nam recipere est pati. Non ergo negamus,quin passio, seu receptio intellectionis adsit in actuali operatione intelligendi: sed negamus, quod sit ipsa formalis entitas intellectionis.

*Objic.*2. per id formaliter intelligimus, & est intellectio,per quod intellectus fit formaliter similis objecto in esse intentionali, sed id fit per receptionem speciei expressæ, vel impressæ, ergo intellectio est formaliter passio.

Respond. neg. maj. nam similitudo illa per speciem impressam, vel expressam præcedit quidem formaliter

[1] 1. d.3. q.7. n 37. Y.

ter intellectionem, sed non est ipsa, hæc consistit in illa tendentia, & unione, qua percipit objectum.

Inst. Cùm intellectus percipit objectum, nihil est de novo in eo, nisi actio, qua producit actum; & passio, qua illud recipit: sed intellectio non consistit in illa actione per nos, ergo in ista passione.

Respond. neg. maj. nam est præterea ipsa operatio, nempe qualitas vitalis per actionem producta, per quam attingit, & unitur objecto, & in hac consistit formaliter actio.

Objic. contra 3. par. 1. ex Arist. [1] *virtutis operationes non sunt qualitates, neque felicitas*, ergo neque operationes intellectus erunt qualitates, eadem enim est ratio de operationibus intellectus, ac voluntatis. Item ex eodem, *in intellectu non est alteratio*, ergo nec qualitates, quia non potest advenire qualitas sine alteratione, & toties alteraretur, quoties adveniret, aut cessaret intellectio.

Respond. cum Scoto neg. conseq. nam Arist. ibi loquitur de qualitate in sensu rigoroso pro qualitate permanenti post actionem ejus productivam, quales sunt calor, albedo, &c. hæc autem, de qua loquimur, est transitoria, & finit cum actione potentiæ, per quam producitur. Eodem sensu loquitur de alteratione: non enim negat omnem prorsus mutationem in potentia, quæ de non cognoscente fit cognoscens, vel è contra: sed negat alterationem per stabilem qualitatem.

Objic. 2. Qualitas est ens absolutum, sed intellectio (idem est de volitione, & de sensationibus) non est ens absolutum, ergo nec qualitas, prob. min. omnis intellectio tendit in objectum, nec potest intelligi sine illa tendentia: sed in illa tendentia non est ens absolutum, sed relativum, ergo intellectio non est ens absolutum, sed relativum.

Respond. neg. 1. min. & dist. 2. Illa tendentia formaliter, & præcisè, conc. min. realiter, & specificativè, neg. min. & conseq. nam, ut diximus multa entia sunt talis entitatis, ut non possint concipi sine ordine ad aliud, & talem relationem habet sibi realiter identificatam, estque illis transcendentalis: sed non sequitur, quin sint in se entia absoluta, & talis est in-

[1] 1. *Ethic.* c. 3. [2] *Ibid.* FF.

intellectio, quæ dicit necessariò tendentiam in objectum.

Inst. ex Scoto. Intellectus Beatorum eodem actu potest tendere in plura, vel pauciora objecta secundaria, ergo relatio, qualis est tendentia, non est transcendentalis actui, nec illi identificatur. Prob. conseq. Nam in illis actibus relatio illa est separabilis, & illi possunt esse sine ipsa.

Resp. dist. conseq. Non identificatur actibusquoad objecta secundaria, conc. cōs. quoad primaria, neg. conf. & ant. probat. Objectum primarium visionis beatæ est essentia divina, & attingentia ipsa est inseparabilis ab illa visione, creaturæ verò, personalitates, & attributa sunt objecta secundaria, & quoad hæc, visio eadem potest variari, & attingere modò plura, modò pauciora.

Objic. 3. Intellectio specificatur ab objectis, ergo non est qualitas absoluta. Prob conseq. Absoluta specificantur à sua propria differentia intrinseca, relativa autem ab extremis, maximè à termino.

Resp. dist. ant. Specificatur [1] ab objectis specificatione extrinseca, conc. ant. intrinseca, neg. ant. & conseq. Nam ideò dicitur intellectio specificari ab objectis, quia distinctio objectorum est manifestior, inquit Doctor, at vera, & prima specificatio venit ab intrinseca natura ejus.

CONCLUSIO II.

Verbum mentis non est quid distinctum ab ipsa intellectione actuali, seu *est ipsa actualis intellectio*. Ita Scotistæ.

Prob. 1. ex Scoto. [2] qui verbum describit ex S. August. *Verbum est actus intelligentiæ, notitia enim correspondet intelligētiæ, & nō est sine actuali cogitatione, est genitum de memoria, vel de scientia, et memoria, vel de objecto relucente in memoria, & ista omnia sunt eadem, quia secundum ipsum*, à cognoscente, & cognito paritur notitia, *quæ duo sunt una causa integralis respectu notitiæ genitæ*, seu Verbi. Posset igitur describi Verbum, *actus intelligentiæ productus à memoria perfecta, non habens esse sine actuali intellectione, repræsentans Verbum divinum*. *Sequitur ergo,*

[1] *ibid. HH.* [2] *1. d. 27. q. 3. E. n. 11.*

ergo, quod *Verbum est actualis intellectio. Confirmatur per August. cogitatio quippe nostra perveniens ad illud, quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum est, & ideo dico, quod non quælibet intellectio actualis est verbum, sed tantum notitia genita*,&c. Unde ad rationē Verbi requirit, 1. ut ea notitia sit verè genita, seu producta, & hujus conditionis defectu intellectio essentialis in Deo non est Verbum, quia non producitur, sed emanat, 2. ut sit producta per modum naturæ, id est per actionem non liberam, sed naturalem, prout naturale opponitur libero, & hujus defectu visio Dei in Beatis non est propriè Verbum, quia est aliqualiter libera: nam Deus concurrit ad eam volens. Dixi, *propriè*, nam aliquo sensu dici etiam posset Verbum, & ita eam vocat non semel. *Memoria* autem est intellectus ipse fœcundatus objecto, vel specie impressa ejus, & *intelligentia* est idem intellectus informatus ipsa intellectione, seu Verbo, quia constituit intelligentem.

Prob. 2. Quia omnia, quæ dicuntur de Verbo mentis, conveniunt actuali intellectioni productæ ab objecto, & potentia, & omnia, quę conveniunt illi intellectioni, conveniunt etiam Verbo, nec ulla est necessitas multiplicandi entitates illas, ergo non distinguuntur saltem realiter.

Objic. 1. ex August. *Verbum* vocale, *quod foris sonat, est sonus verbi* (mentalis) *quod intus latet*, sed verbum vocale non est signum intellectionis, sed rei intellectæ, ergo intellectio non est verbum mentis. Min. patet ex dictis de signo, & voce.

Resp. neg. min. absolutè; nam verbum vocale est signum utriusque, sc. rei intellectę principaliter, & primariò, & intellectionis minùs principaliter, & secundariò, nam loquimur de rebus, prout cognitis relativè, aut præsuppositivè ad cognitionem.

Instabis. Verbum exhibet objectum præsens secundum esse intelligibile; est enim similitudo ejus formalis: sed id præstat species impressa, ergo Verbum est species intelligibilis, non verò expressa.

Resp. dist. maj. Exhibet objectum præsens per esse intelligibile, seu potius esse intellectum in actu 2. conc. maj. & neg. min. in actu primo tantùm, neg. min.

min. species quidem impressa id facit, reddit objectum habitualiter, & in actu 1. intelligibile, expressa verò, quæ est verbum mentis, reddit illud intellectum in actu secundo.

Objic. 3. Verbum producitur per intellectionem, ergo non est intellectio, prob. ant. effectus intellectionis est reddere objectum præsens intra intellectum per aliquid à se productum: sed hoc facit per verbum productum, ergo verbum producitur per intellectionem.

Respond. neg. ant. & dist. min. reddere objectum præsens formaliter se ipsa, & in actu 2. conc. maj. effectivè per productionem alicujus entitatis à se distinctæ, neg. maj. & min. nam in hoc sensu falsum est, quod intellectio id faciat per verbum, velut per aliquid à se productum, sed velut per se ipsum diversis nominibus, & officiis significatum.

QUÆSTIO VIII.

A quo, & quomodo producatur intellectio, seu Verbum. An possit produci in intellectu creato à solo Deo.

TRia hìc examinamus circa intellectionis causam effectricem. 1. an verè, & à quo producatur. 2. per quem actum. 3. an ita pendeat in esse, & produci ab intellectu, à quo est, ut non possit produci à Deo solo effectivè in intellectu nostro, qui per illud intelligat vitaliter æquè, ac si per ipsummet produceretur.

CONCLUSIO I.

I*Ntellectus de facto est causa verè productiva intellectionis suæ non quidem solus, sed cum objecto in se, vel in phantasmate, seu specie impressa relucente, & hoc non per intellectionem, sed per dictionem.* Est communis quoad 1. & 2. partem, quoad 3. est Scotistarum.

Prob. 1. *ex Scoto* [1] *cit. in præcedenti*: Nam 1. *verbum est notitia genita, & producta*. 2. post August. docet, quod à (potentia) *cognoscente* (objecto *cognito* pari-

[1] 1.*d*.2. *q*.7. *Q n*.26.

patitur notitia, seu verbum, & 3. *verbum est actualis intellectio*, & quidem non omnis, *sed intellectio genita*, ergo non est genitum per intellectionem, sed per alium actum, quem vocamus *dictionem*, & ubique distinguit duos actus in intellectu nostro. 1. *dicendi*, & 2. *intelligendi*, qui est terminus prioris: *Quare ergo actus 2. quo pater intelligit, vel operatur formaliter, non producit? &c. Quia illud intelligere ex ratione sua est operari Patris, & non est producere; sua autem productione sine dictione producit*, ergo productionem vocat *dictionem*.

Confir. ex S. August. *conceptam rerum veracem notitiam tamquam verbum apud nos habemus, & dicendo intùs gignimus*, ergo ex August. verbum verè gignitur per dictionem, non per intellectionem, ipsum enim est verax notitia, seu intellectio rerum.

Prob. 2. *quoad* 1. *part.* 1. quia id colligitur ex Concil. Trident. quod definit liberum arbitrium in suis actibus justificativis non se habere merè passivè, sed activè concurrere cooperando gratiæ, ergo & intellectus, & quidem à fortiori in actibus naturalibus, prob. conseq. tum quia liberum arbitrium non solùm comprehendit actus voluntatis, sed etiam intellectus, quibus dirigit voluntatem, & illi obsequitur in actibus fidei, tum quia non est major ratio tribuendi activitatem voluntati circa suas operationes, quàm intellectui.

Prob. 2. Illa qualitas, per quam intellectus intelligit, est ab aliqua causa effectivè: sed non potest assignari alia, quàm intellectus: saltem partialiter, ergo ita est. maj. patet, non enim manat se ipsa, alioqui non posset produci à solo Deo, quod videbimus esse falsum, prob. min. 1. non enim recurritur ad Deum sine urgenti necessitate, & quamdiu potest assignari causa. Secunda non producitur ab objecto, vel specie, aut phantasmate, saltem totaliter, sive quia intellectio est actus vitalis, & ideo produci debet à causa vitali, sive quia objectum, (seu species ejus) esset nobilius intellectu: sed hæc sunt absurda, ergo non producitur totaliter ab objecto, vel specie. prob. maj. *Omne agens, ut agens est nobilius patiente, ut patiente*, inquit Scotus post Philos. [1] sed objectum

[1] Q. 12. *de An. n.* 7.

ctum, aut species, aut phantasma se haberet, ut agens, & intellectus, ut merè patiens, ac recipiens intellectionem, ergo esset nobilius intellectu, seu anima. ergo ab intellectu producitur verbum.

Confir. quia productio propriæ intellectionis est magna perfectio in anima, & id non superat virtutem ejus, ergo illi non est deneganda.

Prob. 2. ex eodem Scoto, operationes vitales sunt activè à principio vitali intrinseco: sed omnes actus sentiendi, & intelligendi sunt vitales operationes, ergo sunt activè à principio vitali, ergo intellectio est activè ab intellectu.

Prob. 3. ex eodem. Si intelligere esset pati; intelligi esset agere; nam contraria se se mutuò inferunt: sed agere est nobilius, quàm pati sibi contrarium, ergo intelligi esset nobilius, quàm intelligere, ergo inanimata, quæ non intelligunt, sed intelliguntur, essent quoad hoc nobiliora homine, qui intelligit. Sed hoc absurdissimum esset, ergo intellectus concurrit activè ad suam intellectionem.

Prob. 4. Anima vegetativa est activa suarum operationum, ergo à fortiori sensitiva, & rationalis, quæ sunt nobiliores. Vide alias rationes apud doctorem, & suos.

Prob. 2. pars de concursu partiali ex parte objecti 1. ex S. August. cit. ab objecto, & potentia paritur notitia. 2. si à solo intellectu produceretur intellectio, & objectum nihil concurreret, in omnibus essent similes intellectiones; imò in eodem intellectu essent semper eædem; sed conseq. est falsum, ergo intellectus non est causa totalis intellectionis, sed ad eam concurrit objectum, prob. maj. Ubi est eadem causa, est idem effectus: sed est idem specie intellectus in omnibus, & idem perseverat in eodem homine, ergo eadem ubique, & semper esset intellectio, prob. maj. sol ubique similem lucem, & calorem causat, quantùm est de se, & nisi aliunde impediatur, vel determinetur. 3. quia in intellectione non solùm est formalitas respondens intellectui: nempe spiritualitas: sed etiam objecto, nempe similitudo in repræsentando, ergo intellectus non est totalis causa intellectionis, licèt sit principalis, sed objectum partialiter concurrit.

Prob.

Prob.2. Nisi objectum concurreret, intellectio non esset similitudo ejus, nullo enim modo esset partus ejus: sed est similis, ergo & effectus.

Prob.3. pars de dictione; Verbum debet produci aliqua actione à se distincta: sed illa actio nequit esse ipse actus intelligendi, ergo verbum mentis non producitur per intellectionem: maj. patet: nam posito, quod producatur, non potest se ipso produci, & actio distinguitur à termino per ipsam producto, prob. min. actus intelligendi est operativus, non productivus, & ultima perfectio potentiæ, non autem via ad ulteriorem, est actio de genere qualitatis, non relationis, ergo intellectio non potest esse actio productiva verbi, sed alia, quæ aptè vocatur *dictio*, per metaphoram ab ea ductam, qua profertur verbum vocale, & quæ solet appellari *dictio*, & hoc nomine uti solent SS. PP. dum loquuntur de productione Verbi Divini.

Et confir. ex Theologia. Nam Deus pater producit verbum suum ex memoria fecunda, ergo ita est in creatis: sed hæc intellectio in Deo non est productio formaliter, ergo nec in creatis, prob. min. in Deo intellectio est ingenita, & est perfectio essentialis, & operatio communis tribus personis, & prior natura, quàm actus dictionis, seu generationis verbi, qui est actus notionalis, & solius patris constitutivus. Similiter in creatis omnes agnoscunt aliquod verbum mentale, quod est species producta, seu expressa, & illud non est quid improductum, sed verè productum per actionem physicam intentionalem, quam vocamus dictionem.

Objic. 1. contra 1. partem verbum, seu intellectio, est actio potentiæ vitalis, ergo ad illud non datur alia actio: sed se ipsa manat à potentia, prob. conseq. nam ad actionem non datur actio, nec operatio ad operationem, alioqui daretur processus in infinitum.

Respond. dist. ant. ex dictis, est actio grammaticalis, & impropriè, conc. ant. propriè & de vero genere actionis, neg. ant. & conseq. productio verbi est quidem actio, sed ipsum verbum, seu intellectio est qualitas absoluta, ut dictum est.

Objic. 2. Actus vitalis dicit intrinsecum ordinem ad potentiam, quia sine illa nec fieri, nec esse potest,

test, ergo non fit per actionem à se distinctam, sed est ipsamet actio: alioqui posset conservari sine illa actione, sicut calor est sine actione, qua producitur.

Respond. neg.ant. nam Verbum,seu intellectio potest produci, & conservari extra intellectum, ut dicemus.

Objic.3. Intellectio est actio immanens, ergo non habet terminum à se distinctum, prob. ant. per hoc enim actio immanens differt à transeunte.

Respond. dist. ant. est actio impropriè, conc. antec. propriè, neg. ant. & hoc sensu dicit philos. quod intelligere non est motus propriè, & formaliter, sed terminus actionis.

Objic.4. Ex Arist. intelligere est pati, & ideò intellectus dicitur passivus suæ intellectionis, ergo non producit suam intellectionem.

Respond. dist. ant. est pati,quatenus intellectus non constituitur formaliter intelligens precisè per productionem verbi conc. ant. adeo ut non producat illud saltem partialiter. neg. ant. nec aliud intendit Arist. ut jam notavimus.

*Inst.*Nihil agit in se ipsum: nam agens,& passivum distinguuntur realiter:sed, si intellectus produceret activè suam intellectionem, ageret in se ipsum, ergo non producit.

Respond dist. maj. Nihil agit in se ipsum actione univoca, conc. maj. & neg. min. actione æquivoca, n. maj. & conseq. intellectus est substantia, verbum mentis est accidens, & sic actio,qua ille producit istud, est æquivoca.

Objic. contra 2. part. Operatio vitalis nequit produci à principio non vivo: sed intellectio est operatio vitalis; & objectum non vivit, ergo istud non potest illam producere, prob. maj. effectus non potest excedere causam suam: sed ens vitale excedit non vivens, ergo &c.

Respond. dist. utramque maj. non potest produci à principio non vivo, ut à causa totali, vel partiali principali, conc. maj. ut à causa partiali, & minùs principali, neg. maj. objectum autem concurrit ad intellectionem, ut causa partialis minùs principalis; ideo effectus potest illud excedere in aliquo,quod accipit a concausa nobiliori.

Objic.

Objic. 2. Intellectus producendo intellectionem judicat: sed objectum non judicat, ergo non producit.

Respond. 1. neg. maj. nam patet ex dictis, quod producendo non intelligit formaliter, sed recipiendo.

Resp. 2. neg. suppositum maj. diversæ enim causæ possunt concurrere ad eundem effectum, singulæ suo modo; ideo non oportet, ut ambo judicent producendo intellectionem.

Objic. 3. Inanimata ut elementa sunt causæ totales suarum operationum, ergo à fortiori anima, quæ est longè nobilior, ergo objectum non concurrit.

Respond. neg. conf. nam aliunde compensatur hæc dependentia intellectus ab objecto, nec in ea minuitur nobilitas, objectum est velut materia.

Objic. contra 3. part. 1. ex August. *mens apud se verbum habet cogitando*, quia nihil est aliud apud se dicere, quàm apud se cogitare, & id conforme est phrasi Evangelicæ. *Dixerunt Pharisæi intra se*, id vocat Christus, *cogitare mala in cordibus suis*, ergo idem est cogitare, & dicere, seu intelligere, ergo intellectio est ipsa dictio.

Respond. negando 1. conseq. neque enim Scriptura, nec SS. PP. semper in rigore Scholastico loquuntur. Sic loqui materialiter vocat cogitare, 2. quia dictionem vocant cogitationem causaliter, quia producit cogitationem, non formaliter, quod competit ipsi intellectioni, seu verbo mentis.

Objic. 2. Unius potentiæ est unicus specie actus; ergo dicere, & intelligere sunt iidem actus, prob. ant. quia potentiæ distinguuntur per actus.

Respond. neg. conf. Nam dictio, & intellectio non sunt propriè actus duo, sed actio, & effectus: Dictio est de genere actionis, & intellectio est qualitas per illam producta, per quam intellectus assimilatur objecto, & illud percipit formaliter, vel, si mavis, sunt duo actus subordinati, dicere est actus productivus, & intelligere operativus per priorem productus.

Inst. tàm 1. quàm 2. est actus intellectus, ergo uterque est intellectio, & idem actus: omnis enim actus intellectus est intellectio.

Respond. dist. conf. Uterque est intellectio diverso modo, & respectu: conc. conf. eodem sensu, & modo neg. conf. Dictio est intellectio effectivè, & causaliter

ter, verbum autem formaliter, & entitativè est effectus, & ultimus terminus dictionis, & ultima perfectio intellectus.

Inst. 2. Ut se habet cognitio ad loquutionem vocalem, sic ad mentalem: sed loquutio vocalis est à cognitione, nemo enim loquitur, quod non cognoscit, ergo cognitio, seu intellectio est formalis loquutio.

Resp. neg. maj. Nam loquutio vocalis supponit intellectionem mentalem, ac verbum mentis, loquutio verò mentalis illud producit.

Inst. 3. Dicere mentaliter est exprimere objectũ, non simpliciter, sed ut intellectũ, ergo dictio mentalis tam supponit intellectionem, quàm vocalis, ergo dicere mentaliter est formaliter intelligere æquè, ac dicere vocaliter.

Resp. neg. maj. Non enim exprimit rem, ut intellectam, sed ut intelligibilem, atque conceptam per speciem impressam. Aliud est de dictione vocali.

Certũ igitur est, quòd intellectus, & objectum sunt causa totalis, & adequata notitiæ genitę, seu verbi mẽtis, qualiter autẽ hoc sit intelligendũ, ait Scot. sc. quòd diversæ adeò causæ possint cõcurrere ad eũdẽ effectũ: *Distinguo de pluribus causis concurrentibus ad eumdem effectum. 1. Quædam ex æquo concurrunt, sicut duo trahentes aliquod unum corpus. 2. Quædam non ex æquo, sed habentes inter se ordinem essentialem, & hoc dupliciter. Vel sic, quod superior moveat inferiorem, ita, quòd inferior non agat, nisi, quia movetur à superiore, & tunc inferior habet à superiore* (ut causa 2. a. 1) *virtutem illam, qua movet. Quandoque autem superior non movet inferiorem, nec ei dat virtutem, qua movet, sed superior habet de se virtutem perfectiorem agendi, & inferior habet imperfectiorem virtutem agendi, quam non accipit à superiori. Exemplum 1. membri hujus 2. divisionis sit de potentia motiva, quæ est in manu, baculo, & pila. Exemplum 3. membri, si mater ponatur virtutem activam habere in generatione prolis, illa, & potentia patris concurrunt, ut duæ causæ partiales, ordinatæ quidem, quia una est perfectior altera, sed imperfectior*, sc. mater, *non recipit suam virtutem à causa perfectiore*, sc. à patre, *nec tota illa causalitas est eminenter in superiore causa* (sicut est in Deo respectu creaturæ) *sed aliquid*

quid addit causa imperfectior; in tantum quod effectus potest esse perfectior à causa perfectiore, & imperfectiori simul, quàm (si esset) *à sola causa perfectiore. Ad propositum objectum intelligibile præsens in se, vel in specie intelligibili, & potentia intellectiva non concurrunt ex æquo ad intellectionem, sed concurrunt, ut habentes ordinem essentialem 2. modo, quia objectum non accipit virtutem concurrendi ab intellectu, & virtus ejus est imperfectior*, &c.

Quæres, *an dictio spectet ad intellectum agentem; an verò ad possibilem.*

Resp. Doctor [1] Problematicè supposita identitate reali inter agentem, & possibilem, & quod illa duo nomina conveniant eidem realiter potentiæ sub diversis muneribus. Unde ad mentem ejus, & valde probabiliter dici potest, quòd intellectus agens habet duas actiones ordinatas. 1. est extrahere ex phantasmatibus species intelligibiles impressas. 2. verò cum his speciebus impressis verbum producere, seu speciem expressam, seu intellectionem, *posset dici, inquit, quod intellectus agens habet duas actiones ordinatas. 1. est facere de intelligibili in potentia intelligibile actu, vel de universali in potentia universale actu. 2. est facere de intellecto in potentia intellectum actu.* Nam quamdiu objectum non relucet nisi in phantasmate, seu specie materiali in sensu interno, objectum non est intelligibile nisi in potentia, cùm verò jam relucet in specie spiritali extracta per actionem intellectus, & impressa in intellectu possibili, velut in memoria fœcunda, tunc est intelligibile proximè. Cùm autem fœcundatus illa specie intelligibili producit speciem expressam, seu verbum mentis, objectum fit actu intellectum. Similiter, *in intellectu possibili posset poni duplex passio ordinata respondens huic duplici actioni intellectus agentis. 1. esset receptio speciei intelligibilis à phantasmate* (extractæ) *per 1. actionem intellectus agentis, & 2. esset receptio intellectionis à specie intelligibili per 2. actionem intellectus agentis, hæc 1. via probabilis videtur.*

Quæres 2. *Sub qua formalitate præcisè intellectus exerceat* actum intelligendi vitaliter.

[1] *Quodl. 15. N. & O. n. 16.*

Respond. cum Mastrio, [1] quod illum non exercet nec ut agens, nec ut possibilis præcisè, sed ut *operativus*; nam intellectus tripliciter considerari potest. 1. ut productivus sui actus, & dicitur *agens*. 2. ut receptivus ejusdem sui actus, & dicitur *possibilis*. 3. ut exercens actum intelligendi vitaliter, & dicitur *operativus*, quod valde notandum est pro conclusione sequenti.

CONCLUSIO II.

Intellectio potest produci à Deo solo in intellectu, vel in alio objecto, vel conservari extra omne subjectum. Ita Scotistæ communiter.

Prob. 1. *ex Scoto*, [2] *qui quoad* 1. *partem*, non solum supponit id fieri supernaturaliter, ut cum dicit posse fieri, *quod summa fruitio informet voluntatem, à quocumque causetur*, nam fruitio importat cognitionem summam essentiæ Dei, & summum amorem, in quo præcipuè consistit fruitio, & uterque actus potest causari ab alio, quàm ab anima fruentis, sed etiam naturaliter, cùm docet, quod [3] *Angelus loquitur Angelo, causando in eo conceptum immediatè illius objecti, de quo loquitur*, quod ita intelligitur, ut ille conceptus non causetur effectivè ullo modo etiam partialiter ab angelo audiente, in quo producitur, nec ab ullo inexistente ipsi, sed Angelus loquens sit totalis causa effectiva istius conceptus, quia *in auditione intellectus audientis est tantum passivus*, ergo ex Scoto intellectio potest produci ab alio, quàm ab intelligente.

Prob. 2. Quia in hoc nulla est repugnantia, saltem in ordine ad potentiam Dei absolutam: An de facto ita sit de Angelis, videbimus in Theologia.

Prob. 3. Potest Deus supplere causam efficientem, & se solo efficere, quidquid causat efficienter cum causa 2. efficiente, sed intellectus non causat intellectionem suam, nisi ut causa efficiens; ergo Deus potest se solo eam producere.

Prob. 2. & 3. *p.* 1. Quia si potest conservari extra omne subjectum, à fortiori poterit poni, & produci, vel in

[1] *Disp.*6.*n.*158. [2] 3.*d.*1.13.*q.*4.*O.n.*18.
[3] 2.*d.*9.*Ante B.n.*15.

in intellectu, vel in alio subjecto. 2. quia in hoc nulla apparet manifesta repugnantia.

Prob. ultima p. ex dictis; nam intellectio in sua entitate non pendet ab ullo subjecto, nisi ut à causa extrinseca materiali, sed Deus potest hanc causam supplere, ergo & conservare intellectionem extra omne subjectum, min. patet ex mysterio Eucharistiæ ubi accidentia conservantur extra subjectum, prob. maj. nam intellectio sua entitate est accidens absolutum de prædicamento qualitatis, ut patet ex dictis: ergo non aliter dependet à subjecto, quàm alia accidentia ejusdem generis. Denique nulla etiam in hoc apparet evidens implicantia, ut patebit solutione objectionum.

Objic. 1. Illa intellectio esset vitalis, & non vitalis, sed hoc implicat, ergo & implicat illam produci à Deo solo, prob.maj. esset vitalis, ut supponitur, non esset autem; quia actio vitalis est essentialiter immanens, sed hæc non esset immanens; ergo non esset intellectio vitalis.

Resp.neg.maj. & dist.maj.prob. est essentialiter immanens in operante per eam, & si ab eodem producatur, conc.maj. si producens non operetur per eam, neg. maj. intellectus recipiens talem intellectionem operaretur quidem per illam, & respectu ejus esset immanens, sed non respectu Dei, nec illud est de essentia ejus, sicut nec produci ab eo, qui per eam operatur.

Inst. Ad intellectionem vitalem requiritur attentio potentiæ, sed nulla est attentio sine actione ejus, ergo illa intellectio non esset vitalis.

Resp.dist.maj. Attentio, quæ sit perceptio, & repræsentatio objecti, conc. maj. quæ sit aliqua actio physica, & productiva termini, neg. maj. & min. saltem de actione productiva, nam Deus nō producit suam intellectionem, qua intelligit se, & creaturas, licet de facto id ita fit in nobis.

Inst. 2. Verbum essentialiter dicit relationem ad objectum, quod repræsentat, & ad dicentem, seu producentem; ergo non potest produci nisi ab intellectu, in quo est.

Resp.dist.ant. Sub ratione formali verbi, conc. ant. sub ratione intellectionis, neg.ant.& conseq. non enim

omnis intellectio habet rationem verbi, sed tantum illa, quæ producitur ab ipso intelligente.

Inst. 3. De ratione viventis est habere in se principium intrinsecum activum propriæ perfectionis, sed id non esset verum de tali intellectione, quia veniret ab extrinseco, ergo non esset vitalis.

Resp. dist. maj. De ratione viventis vita productiva, & physica, conc. maj. vita intentionali, & operativa neg. maj. illa intellectio non esset vitalis vitalitate Physica, sed intentionali, & operativa, quatenus intellectus posset per illam percipere, & repræsentare formaliter objectum.

Objic. 2. Intellectio, vel visio posita in lapide faceret illum intelligentem, aut videntem; sicut albedo faceret album. Sed implicat lapidem esse intelligentem, quia sic lapis viveret, ergo implicat intellectionem produci in lapide, & extra intellectum.

Resp. neg. maj. Nam intellectio, vel sensatio poneretur quidem in lapide quoad entitatem physicam, non quoad operationem propter incapacitatem subjecti.

Inst. Nulla forma potest esse in subjecto sine effectu suo formali, sed facere intelligentem est effectus formalis intellectionis, ergo lapidem faceret intelligentem, prob. maj. calor non potest esse in ligno, quin faciat calidum, ergo nec intellectio in lapide, quin faciat intelligentem.

Respond. dist. maj. Sine effectu formali primario, & aliis, quorum capax est subjectum, conc. maj. sine omni effectu formali, neg. maj. Facere intelligentem non est primarius effectus formalis verbi, & lapis non est capax ejus, nec aliorum: Primarius est informare accidentaliter per sui inhæsionem, & sine hoc inesse non potest, & lapis denominaretur quidem habens intellectionem, sed non intelligens, sicut si entitas gratiæ sanctificantis poneretur in eodem, esset habens gratiam, sed non gratus, nec sanctus.

Inst. 2. Esse formaliter intelligens nihil est aliud, quàm habere in se intellectionem; sed ex concessis, lapis haberet formaliter intellectionem; ergo esset formaliter intelligens.

Resp. neg. maj. Formaliter esse intelligens, seu intelligere, est per intellectionem operari, & percipere objectum, quod non faceret lapis. Et confirmatur

hoc

hoc, nam ex adversariis, nulla forma physica potest intimius uniri ulli subjecto, quàm intellectio divina unitur ejus voluntati propter summam simplicitatem, & tamen per illam intimam unionem voluntas divina non fit formaliter intelligens, nec intellectus fit volens. Non tamen dico absolutè, quod intellectio poni possit in lapide, quia fortè id repugnat aliundè, scilicet ex spiritualitate; si repugnet accidens spirituale recipi in subjecto materiali, de quo diximus.

Objic. 3. Sequeretur intellectum humanum Christi intelligere per intellectionem divinam, idem est de voluntate, sed consequens est falsum, ergo &c. prob. maj. intellectio producta à Deo non uniretur intimiùs meo intellectui, quàm intellectus humanus Christi intellectui, & intellectioni Dei, ergo si per illam meus intelligeret, ita & Christus per istam.

Resp. neg. maj. Nam ex illa unione non magis fit, ut intellectus intelligat per scientiam Dei, quàm ut fit ubique, immensus, omnipotens per immensitatem, & omnipotentiam Dei, sed de hoc viderint Theologi. Instantiam, quam dabamus in responsione praecedenti, etiam ad hoc facit.

Objic. 4. Volitio non potest poni à Deo solo in voluntate; ergo nec intellectio in intellectu, quia est eadem ratio, prob. ant. illa volitio esset voluntaria, & non esset, sed hoc implicat contradictionem, ergo, &c. prob. maj. esset, ut supponitur, non esset verò, quia omne voluntarium debet oriri à voluntate.

Resp. neg. ant. 1. & maj. 2. argum. & dist. prob. pro 2. parte, omne voluntarium liberum, conc. maj. non liberum, neg. maj. volitio illa esset voluntaria, prout uniretur voluntati, quae per illam vellet, aut nollet, non esset autem libera, quia non penderet ab ipsa illam habere, non autem habere libertas non est essentialis omni volitioni.

Inst. Deus se solo non potest in voluntate producere odium Dei, nec errorem in intellectu, ergo nec intellectionem, quia eadem est ratio de omnibus.

Resp. neg. conseq. & rationem ejus, quod enim Deus non possit istos actus se solo producere, venit à natura particulari illorum, quia dedecent ejus sanctitatem, & sapientiam, non verò à ratione communi intellectionum, aut volitionum.

QUÆSTIO IX.

De speciebus intellectualibus an sint necessariæ in intellectu, & de illarum productione, & conservatione.

EX iis, quæ diximus de speciebus sensibilibus, facilè intelligetur natura intelligibilium, quod enim sunt illæ ad sensationes, istæ sunt ad intellectiones, videlicet qualitates speciales, quasi permanentes, quæ sunt vicariæ objectorum, & semina, quibus fœcundatur intellectus ad illorum intellectiones pariendas. Sunt ergo imagines spirituales objectorum, non in essendo, sed in repræsentando, non formales, sed virtuales, & actuales, quatenus vicem gerentes objectorum concurrunt pro eis partialiter cum intellectu ad productionem verbi mentis. Dicuntur 1. *intelligibiles*, quia pertinent ad intellectum, sicut *sensibiles* ad sensum. 2. *impressæ*, quia per negociationem intellectus agentis eruuntur ex phantasmatibus, & imprimuntur intellectui possibili ad eum fœcundandum, & manent ibi etiam transacto actu. De sensibilium existentia paucissimi dubitant, de intellectualibus plurimi, putantes ad eadem phantasmata, quæ concurrunt, & sufficiunt intellectui ad species istas, sufficere ad expressas, seu, ad intellectiones, & quæstio procedit de illarum necessitate pro cognitione tàm intuitiva, quàm abstractiva, de quarum natura brevi dicemus, nunc sufficiat illam dici *intuitivam* quæ est de re præsente, ut præsente, *abstractivam* autem de absente, aut quasi absente, aut in communi. Tum videbimus, à quo producantur.

CONCLUSIO.

S*Pecies intelligibiles necessariæ sunt ad cognitiones abstractivas, non verò ad intuitivas.* Est communior.

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] qui putatur problematicus, *una opinio*, inquit, *communis est, quod intellectus habet spe-*

[1] Q. 17. de An. n. 13.

speciem sibi impressam necessariò requisitam ad actum intelligendi, quod multis rationibus, postea tamen addit. [1] *Alia opinio est, quod nulla species à phantasmate, vel objecto extrinseco imprimitur in intellectu, nec etiam actus intelligendi.* Et id similiter probat aliquot argumentis, & solvit ea, quæ adduxerat pro prima, & tandem; *tene, quam partem volueris; prima tamen verior est.* Sed alibi stat pro parte affirmativa, dico, *quod necesse est ponere in intellectu speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi propter rationes jam positas ex parte objecti, in quantum universale, & in quantum præsens intellectui.* Hæc etiam videtur intentio Arist.[2] ergo Scotus non problematicè, sed assertivè, ac determinatè stat pro specierum necessitate, & quidem in libris sententiarum, qui longè majoris sunt ponderis, quàm alia ejus opera, & licèt non distinguat de cognitione *abstractiva*, vel *intuitiva*; tamen rationes ejus militant potiùs pro illa, quàm pro ista.

Prob. 2. quoad 1. p. Eisdem rationibus, quibus probantur species sensibiles. 2. quia datur memoria intellectiva, & recordatio præteritorum etiam in anima separata, quippe recordatur eorum, quæ cognovit, & gessit in corpore, sed hoc non posset fieri sine speciebus impressis in intellectu, quæ ibi perseverant. ergo necessariò admittendæ sunt species intelligibiles, maj. patet ex script. dum dicitur Epuloni: [3] *Recordare, quia recepisti bona in vita tua:* Et damnati dicunt [4] *nos insensati vitam illorum*, (sc. justorum) *æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Item ex August. [5] *memoriæ tribuentes omne, quod scimus.* Prob. min. talis enim recordatio non potest fieri sine speciebus rerum, quæ maneant in anima, non enim id potest tribui solis speciebus phantasiæ, quia in statu separationis illæ non juvant, ergo non potest dari memoria intellectiva sine speciebus intelligibilibus.

Dices, illas species infundi à Deo in anima separata, non autem esse acquisitas. *Sed contra* 1. quia recurritur gratis ad Deum. 2. quia improbabile est illas animas

A a 4

[1] *Ibid. n.* 8. 10. & 12. [2] 1. *d.* 3. *q.* 6. *G. n.* 13.
[3] *Luc.* 16. [4] *Sap.* 5. 4.
[5] 15. *de Trin.* 21.

mas relictas propriæ naturæ non posse recordari ullius rei cognitæ in statu unionis.

Prob. 3. [1] Dantur species impressæ in sensu interno distinctæ à speciebus sensuum externorum, ergo & in intellectu debent dari distinctæ à speciebus sensus interni, ant. patet ex dictis, prob. cons. quia intellectus non est deterioris conditionis, quàm phantasia. Imò *necessitas est semper dignificare naturam nobilem, quando non apparet aliquid manifestè repugnans*, inquit Scotus, *sed magna esset naturæ intellectivæ, ut intellectiva est, vilificatio, si non posset habere objectum sibi præsens in se absque mendicata præsentia à potentiis inferioribus, cum quibus contingenter conjungitur in ratione potentiæ, & tamen potentiæ inferiores* (ut sensus internus) *possunt habere objectum sibi præsens, ut in se*. Intellectus verò, nisi dentur in eo species expressæ, quas conservat, non haberet illud sibi præsens in se, sed in phantasmatibus, ad quæ semper deberet recurrere, ut intelligeret quæcumque objecta; ergo debent admitti tales species in intellectu.

Dices illam dependentiam à phantasmatibus esse necessariam ad primam productionem illarum specierum, seu ad primam intellectionem objectorum, ergo tam facilè poterit ab eadem recurrere ad omnes absque multiplicatione entium sine necessitate.

Contra. Si ille recursus, & dependentia pro semel est imperfectio, & vilificatio intellectus, & sequela quædam peccati, ut supra notatum est, tantò major erit, si debet esse sempiterna, ita ut numquam intellectus possit retinere in se species spirituales rerum, per quas compleatur ad intelligendum. Hæc ratio Doctoris videtur satis urgens; nam phantasia habet vim retinendi species rerum semel cogitatarum, per quas in se habet illas semper præsentes, intellectus verò non haberet illam virtutem, sed semper teneretur mendicare illam præsentiam à phantasia, & semper dependere ab ea.

Prob. 2. *p.* 1. ex Doctore, [2] qui asserit necessitatem specierum intelligibilium ante cognitionem actualem objectorum, *quantum ad cognitionem abstra-*

[1] *ibid.* P. n. 22. [2] *ibid.* K. & O. n. 16. & 21.

abstractivam, de qua est sermo in proposito. Et patet ex differentia istarum cognitionum, quam dicit non consistere in hoc, quod *intuitiva* petit existentiam, & præsentiam objecti in se, ut rationem motivam, ac terminativam talis actus, *abstractiva* autem movetur, & terminatur ad objectum, prout repræsentatum in specie, ergo species impressa non est necessaria in cognitione *intuitiva*.

Prob. 2. Quia in hac cognitione cessant rationes admittendi species pro abstractiva, ergo si non sunt demonstrativæ, nec penitùs convincentes pro *abstractiva*, longè minùs erunt pro *intuitiva*, prob. ant. illæ species admittuntur ad supplendam absentiam objecti, si est absens, vel improportionem cum intellectu, ut quando illud est materiale, & ideò non est proximè intelligibile propter immaterialitatem intellectus, vel quando excedit facultatem naturalem potentiæ, ut essentia Dei pro anima nostra in statu viæ, & in puris naturalibus, sed hæc omnia cessant in cognitione intuitiva, quia objectum supponitur per se præsens, & proximè intelligibile, ac proportionatum; quandoquidem actu, & per se movet, ac terminat illam, vel si adsint species, illæ dependent in fieri, & conservari à præsentia realis objecti, ergo ad cognitionem intuitivam non requiruntur species, sed potiùs illi repugnant; quia cognitio intuitiva dicit actualem relationem attingentiæ ad objectum in propria existentia, si verò daretur species illa, terminaret immediatè attingentiam, saltem *ut quo*.

Objic. 1. contra 1. p. Nulla est necessitas talium specierum, sufficiunt enim phantasmata, vel ipsamet objecta, nec potest ostendi, ad quid conducant, ergo non sunt asserendæ.

Respond. neg. ant. & rationes ejus, nam patet ex dictis eas esse necessarias pro objectis materialibus, & præsentibus, ut fiant proximè intelligibilia per propriam speciem, & pro rebus præteritis ad recordationem.

Objic. 2. Cognitio abstractiva per speciem causatur vel à specie, vel ab objecto, sed neutrum dici potest, ergo species non datur, prob. min. 1. Si causaretur à specie, illa intelligeretur, non verò objectum

per illam repræsentatum, quod falsum est. 2. Si ab objecto, ergo frustra esset species, & præterea ipsum non habet in intellectu nisi esse diminutum, & intentionale per speciem, ergo non posset causare physicè cognitionem.

Resp. neg. min. & ad prob. dico, speciem causare partialiter cognitionem, *ut quo*, & objectum cognosci, *ut quod*, & hinc nullum sequitur inconveniens.

Inst. Illæ species sunt de prædicamento qualitatis, ut supponitur; ergo debent intendi, & augeri per iteratas cognitiones, & remitti per cessationes cognoscendi; sed hoc dici non potest, ergo non dantur, prob. min. si enim intenderentur iteratis cognitionibus, sic magis inclinaretur intellectus ad tales actus, & isti fierent postea intensiores, & clariores, quod est contra experientiam, & frustra essent habitus, quod nemo dicet, nam iteratio actuum generat habitus, non species.

Resp. neg. subsumptum. Quid enim in hoc absurdi, quòd ex iteratis actibus cognitionis alicujus rei faciliùs excitentur species ejus? quia novæ semper adduntur species similes prioribus, quæ sic intensiores evadunt, sicut gradus caloris additus alteri intendit illum. Nonne altius memoriæ mandatur concio, quò sæpiùs cogitatur, & repetitur? nec propterea fit habitus, nam habitus dat facilitatem potentiæ ad operandum, species verò inservit, ut reddat objectum præsens, ut clarius, & distinctius percipiatur, ergo eorum munera diversa sunt.

Objic. 3. Si daretur species impressa præcedens, & manens post intellectionem, daretur etiam memoria intellectiva præter sensitivam, sed hoc est contra Arist. ergo talis species non datur.

Resp. neg. min. Imò longè meliùs, & faciliùs conservantur species in intellectu, qui non turbatur, nec læditur in sua substantia, sicut organum memoriæ sensitivæ, in quo per consequens faciliùs possunt deleri, aut corrumpi, & illæ sunt spirituales, & ideo corruptibiles, istæ sunt materiales, nec id umquam negavit Philos.

Inst. Si remanerent species, haberemus simul plures cognitiones, vel omnia simul cognosceremus, sed

sed hoc est falsum, & contra experientiam, ergo non conservantur, nec dantur species intelligibiles impressæ, prob. maj. intellectus, & species sunt causa totalis intellectionis, ergo haberemus simul plures cognitiones, sicut plures species, prob. cons. causa naturalis debitè applicata necessariò agit, quantum potest, sed talis est intellectus informatus specie intelligibili; ergo, &c.

Resp. neg. maj. 1. argum. & conseq. 2. & dist. maj. 3. agit, nisi impediatur, conc. maj. Si impediatur, neg. maj. intellectus habens plures species non propterea habet simul plures actus, quia impeditur, & ad unum limitatur per suam imperfectionem, & virtutis limitationem.

Inst. 2. Non posset se determinare ad unam præ alia ex omnibus, quæ posset habere, sed hoc est inconveniens, ergo responsio non salvat difficultatem.

Resp. neg maj. nam determinaretur aut à voluntate, aut ab aliqua occasione excitante unam speciem præ alia, vel quia una præ aliis altius, & fortiùs moveret phantasiam, & per istam intellectus, nam videmus nos non posse distrahi ab aliquibus rebus cogitandis, quæ fortiùs nos movent, aut altiùs inhærent menti.

Inst. 3. Ut voluntas imperet, ac determinet intellectum ad unum cogitandum præ alio, deberet illud cognoscere, ergo illa determinatio prævenit voluntatis imperium, & ab eo venire non potest.

Resp. dist. ant. debet cognosci confusè, ac indeterminatè, conc. ant. distinctè, ac determinatè, neg. ant. idem dico ad conseq. cognoscuntur confusè plura, aut aliqua per intellectum, & voluntas imperat, ut intellectus meliùs attendat uni, quàm aliis.

Objic. contra 2. p. Cognitio sensuum externorum est intuitiva, & per species, ergo ita esse potest de intuitiva intellectus, est enim par ratio de utroque.

Resp. neg. conseq. & disparitas est, quia species materiales sensuum pendent in fieri, & conservari ab objecto præsente, non ita est de intelligibilibus, quæ remanent, imò & fiunt absente objecto.

Inst. Sensus videt in speculo rem à tergo existentem per species, & tamen hæc visio est intuitiva, ergo absentia, vel præsentia objecti non impedit intuitionem per species.

Respond. 1. neg. conseq. quia licèt objectum repræ-

sentatum in speculo videretur per species, tamen illud non esset propriè absens, quia illæ species dependent in fieri, & conservari ab objecto, quod est præsens speculo. 2. neg. ant. nō enim species, sed ipsummet objectum videtur in speculo, ut diximus supra.

Objic. 2. Scotum, [1] qui dicit primam cognitionem de objecto sensibili repræsentato in phantasmate esse intuitivam, modo sit de quidditate rei, *secundum existentiam ejus actualem, vel quæ est rei præsentis secundum talem præsentiam*; & species negat in Beatis pro intuitione, non propter incompossibilitatem, sed tantùm propter superfluitatem, ergo ex Scoto, [2] cognitio per speciem non repugnat intuitioni.

Respond. neg. ant. Nam in primo loco docet potiùs contrarium, quod sc. *Sensus particularis est objecti, secundum quod est per se, vel in se existens; phantasma cognoscit idem, secundum quod est præsens per speciem, quæ species posset esse ejus, licet non esset præsens, vel existens. Ita quod cognitio phantastica, & abstractiva respectu sensus particularis*, ergo à fortiori intellectiva. In 2. dicit tantùm, quod *si objectum in se præsens sufficit ad actionem visionis causandæ, quantum ad illud, quod requiritur ex parte objecti; non requiritur species*. Non decidit quæstionem præsentem, nec erat occasio rejiciendi speciem ex incompossibilitate, sufficiebat rejicere ex superfluitate.

Objic. 2. Objectum materiale potest cognosci intuitivè, sed id fieri non potest sine specie: ergo ad cognitionem intuitivam requiritur species, prob. min. intellectus non sufficienter fœcundatur ad cognitionem objecti, nisi perfectè uniatur potentiæ, sed objectum materiale non potest perfectè uniri intellectui nisi per speciem, nam illud in se est materiale, & iste spiritualis, & sic sunt improportiònata inter se, ergo, &c.

Resp. dist. utramque min. & Doct. sine specie, pro intellectu sensibus alligato, con. min. pro intellectu separato, & secundum se, neg. min. utramque, ut patet ex dictis supra de intellectu agente. Loquimur de intellectu secundum se.

Objic. 3. Omnis cognitio etiam intuitiva fit per assimilationem, sed assimilatio non fit nisi per spe-

[1] 2.d.13 L.n.5. [2] 4.d.45.q.11.H.n.19.

speciem impressam, ergo est necessaria etiam in cognitione intuitiva.

Resp. neg. min. Illa enim assimilatio non fit per speciem impressam, sed per expressam: non negamus tamen, quin sæpè in nobis præcedat species objectorum, quæ videmus, quia relicta sunt ex cognitionibus præcedentibus, & etiam concurrunt, ac juvant in intuitivis, sed dicimus tantum, quòd non sunt necessariæ, nec debent intervenire, ut cognitio sit intuitiva.

CONCLUSIO II.

Species intelligibiles non causantur à solo objecto, seu phantasmate, nec à solo intellectu, sed ab utroque simul, velut à causa totali: intellectus quidem principalior est.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui probat nec intellectum sine phantasmate, vel objecto, nec istud sine intellectu causare intellectionem. *Concurrunt ista duo, ut habentia ordinem essentialem, quia nec intellectus dat objecto, vel speciei rationem suæ causalitatis, &c.*

Prob. 2. ex dictis de intellectu agente, cujus munus est transferre objectum de ordine sensibilium, & materialium ad ordinem intelligibilium, & spiritualium: species illa intelligibilis, quam producit, est similitudo objecti: sed non potest produci talis similitudo sine concursu objecti, ergo ambo concurrunt. Prob. min. Si enim à solo intellectu causaretur, nihil haberet de objecto, & si à solo objecto, nihil haberet de natura intellectus, ergo cùm habeat similitudinem, seu repræsentationem de uno, & spiritualitatem de altero, producitur ab utroque simul.

Prob. 2. p. Quia intellectus est causa universalior, ergo & perfectior, ac principalior.

Objic. Causa æquivoca habens in sua virtute totum effectum potest se sola illum producere in passo disposito: sed intellectus agens habet in sua virtute totam speciem intelligibilem, ergo potest se solo eam causare. Prob. min. Intellectus est causa superior phantasmate, & causa superior continet totam virtutem inferioris, ergo, &c.

Resp. dist. maj. Causa æquivoca totalis, conc. maj. &

[1] *1. d. 3. q. 7. L.*

& neg. min. æquivoca partialis, neg. min. & conf. intellectus est causa æquivoca, & superior, sed partialis: sic pater se solo non potest generare filium sine matre, licèt sit nobilior, & principalior.

CONCLUSIO III.

Species intellectuales transactis actibus perseverant in intellectu possibili. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] & Phil. *Intellectus est locus specierum, quia salvans, sicut dicitur, quod ipsius loci est servare locatum. Species quippe intelligibiles non videntur deleri, sicut sensibiles, quia species sensibilis ita est in organo, quod potest corrumpi formaliter per contrarium, vel per dispositionem in subjecto disconvenientem tali potentiæ. Ideo juvenes, & senes sunt malè reminiscitivi propter nimiam abundantiam humorum, & propter indispositionem, & læsionem organi. Isto utroque modo species intelligibilis non est in intellectu, ut per se deleatur per contrarium, nec per læsionem, vel indispositionem receptivi*.

Prob. 2. ratione ejus. Forma permanens, & absoluta non destruitur, nisi per destructionem subjecti, vel introductionem formæ contrariæ, vel amotionem causæ conservativæ: sed species intelligibiles sunt formæ permanentes, & absolutæ, & non destruitur, vel corrumpitur subjectum, nempe intellectus, nec introducuntur in illum formæ contrariæ: non enim habent contrarias, nec destruitur causa conservativa, quæ est intellectus, saltem principaliter, ergo species, transactis actibus, & semel habitæ perseverant. Prob. maj. quia non potest assignari alia causa delebilitatis illarum, præter unam ex prædictis.

Objic. Si hoc esset, non oblivisceremur cognitorum: sed conf. est contra experientiam, ergo species non conservantur, saltem indelebiliter in intellectu.

Resp. neg. seq. majoris. Nam quòd vocamus oblivionem, non venit ex deletione specierum, sed ex defectu excitationis earum: unde uno tempore non possumus recordari rerum, quæ postea redeunt. Prima, vel secunda vice post auditionem, vel lectionem non statim recordamur concionis, quia non possunt excitari species eo ordine, quo impressæ sunt.

QUÆ-

[1] 1. d. 3. q. 6. N. n. 19.

QUÆSTIO X.

De cognitionibus intuitiva, abstractiva, & comprehensiva, & aliis.

SÆpe mentionem fecimus in præcedenti de cognitionibus *intuitiva*, & *abstractiva*: non diutiùs debet differri earum explicatio: intuitiva repræsentat rem existentem, ut existens est, & ideo solet vocari visio. *Abstractiva* autem repræsentat rem, præscindendo ab existentia, seu præsentia reali ejus, non verò intentionali: nam debet esse præsens in specie, & dicitur *quidditativa*, quia maximè attendit ad quidditatem, & essentiam absolutè, & præcisivè ab existentia, immò & à singularitate, non quòd essentia non possit attingi intuitivè, & in se ab Angelo, & anima separata, v. g. & res existens, ac singularis abstractivè, sed quia sic magis ordinariè accidit. Difficultas est, an ad *intuitivam* requiratur, ut cognitio causetur ab existentia, & præsentia objecti, an verò sufficiat, ut terminetur ad illam: an verò utrimque debeat esse, & ab objecti præsentia, & ad ejusdem præsentiam, ita ut, si intellectus determinaretur per speciem ad cognoscendum objectum, & ipsa cognitio terminaretur ad præsentiam realem ejus, id non sufficeret ad cognitionem intuitivam. 2. an *intuitio* possit esse de re absente. 3. an distinguantur inter se specie.

Quoad *comprehensivam*, hæc videtur excedere limites Philosophiæ naturalis, & ad Theologiam pertinere: ideo pauca, & breviter de illa dicemus, quantum satis Philosopho.

Hoc porro nomine communiter intelligitur visio Beatifica, unde Beati in cœlo dicuntur comprehensores: quo sensu dicit Apostolus, [1] *sic currite, ut comprehendatis*. Et [2] *sequor si quo modo comprehendã*. Et idem est ac *consequi*, & *tenere*, & opponitur *insecutioni*, & *statui viæ*. Sed hic à nobis sumitur pro adæquata rei cognitione, cùm res cognoscitur ab intellectu clarissimè, & distinctissimè secundum omnes suas formalitates absolutas, & relativas, & omnes gradus cognoscibilitatis ejus, est ergo cognitio ple-

nè

[1] 1. *Cor.* 9. [2] *Philip.* 3.

nè certa, & evidens, & intuitiva est omnium cognitionum præstantissima, quæ de aliquo possit haberi. Nomen enim sumpsit à *comprehensione reali*, *& corporea*, quia, ut dicimus unum corpus aliud comprehendere, cùm illud adæquatè continet, & circumscribit, ita ut nihil contenti sit extra continens, ita est de cognitione ista, quæ debet ita complecti rem, ut nihil ejus lateat cognoscentem.

CONCLUSIO.

Cognitio intuitiva distinguitur ab abstractiva, tàm ex parte motivi, quàm termini: hæc distinctio est essentialis, ac specifica. Sensus est, quod intuitiva debet esse de re existente, ut existente, ita ut ab ea, ut tali, moveatur, & ad eam terminetur: & sic dependeat, ut si res non existeret, dum cognoscitur, aut cessaret existere, cognitio cessaret esse intuitiva.

Prob.1. ex Scoto, distinguo de duplici cognitione, inquit. *Potest enim aliqua esse cognitio objecti, secundum quod abstrahit ab omni existentia actuali, & potest esse aliqua ejus, secundum quod existens est vel secundum quod præsens in aliqua existentia actuali, primam voco abstractivam, quæ est ipsius quidditatis, secundum quod abstrahitur ab existentia actuali, & non existentia. 2. quæ est quidditatis rei, secundum existentiam actualem, vel quæ est rei præsentis secundum talem existentiam, volo intuitivam*, &c. Certè cognitio non potest esse de re præsenti secundum præsentiam ejus realem, nisi causet eam per se immediatè secundum esse suum reale, vel mediante specie, quæ pendeat ab illa tàm in fieri, quàm in conservari: alia loca citat Mastrius. [1]

Prob.2. ratione quoad 1. p. Nam, ex omnium sententia, notitia intuitiva est cognitio de re præsente, ut præsente realiter, & abstractiva est de re taliter, quod sive existat, & præsens sit, sive non, perinde est, & eodem modo causatur, ac terminatur, scilicet secundum præsentiam intentionalem: sed non potest esse cognitio de re secundum realem

[1] *Disp.6.n.334.*

lem ejus præsentiam, si non excitatur, & terminatur secundum eamdem, ergo ratio distinctiva ejus ab abstractiva petitur utrimque, scilicet ex parte motivi, & termini. Prob. ant. cognitio abstractiva causatur à specie supplente vices objecti, quæque eodem modo concurrit ad illam realiter, sive præsens sit, sive absens, & terminatur similiter ad illud secundum aliquam formalitatem præscindentem, & indifferentem ad actualem præsentiam. Uno verbo, causat, & terminat secundum esse intentionale, ergo cognitio, quæ determinatè pendet utrimque ab actuali, & reali præsentia, erit intuitiva.

Confir. ex Scoto. *Nulla potentia reservans speciem, vel formale principium cognoscendi in præsentia objecti potest se cognoscere (sc. intuitivè) quia illa habet idem principium re præsente, & non præsente: unde si visus posset habere speciem in absentia objecti, numquam illa species esset principium intuitivè cognoscendi.* Dico *actuali, & reali præsentia*, nam ipsa etiam existentia, singularitas, & præsentia possunt habere esse intentionale in intellectu, & tamen non causabunt notitiam intuitivam, sed abstractivam, quod valde notandum est.

Prob. 2. p. Illi actus specie differunt, qui habent diversa principia, terminos, & effectus, sed tales sunt istæ duæ notitiæ, ergo specie differunt. Prob. min. nam 1. intuitiva Dei, v. g. procedit à lumine gloriæ, & abstractiva à lumine fidei: intuitiva naturalis est ex præsentia objecti per se, aut per species dependentes in esse, & fieri ab ejus præsentia reali, abstractiva est per species ab illa præsentia independentes. 3. Visio intuitiva est fruitio, & satietas Beatorum: notitia abstractiva ejusdem non satiat, nec beatificat animas, quantacumque sit, & intuitiva terminatur ad esse reale actuale objecti, abstractiva ad esse intentionale, ergo earum principia, effectus & termini differunt specie.

Confir. ex Scoto. [1] Nam intuitiva necessariò est *rei existentis, & habet annexam relationem realem, & actualem ad ipsum subjectum .... quia talis cognitio esse non potest, nisi cognoscens habeat actualiter talem habitudinem ad objectū, quę necessariò requirit extremę in*

[1] *Quodl. 15. L. n. 10.*

in actu, & realiter distincta, & quae consequitur necessario naturam illorum: sed talis non est relatio, nec habitudo notitiæ abstractivæ, ergo specie, & essentialiter differunt.

Objic. contra 1. p. Notitia Dei circa creaturas est intuitiva: sed hæc non est de objecto existente, ut existente, ergo notitia intuitiva non est de re existente, ut existente. Prob. min. Creaturas Deus non videt in propria entitate, & existentia illarum: visio ejus æterna est: existentia verò creaturarum est temporalis. Uno verbo, Deus videt creaturas in sua essentia divina.

Resp. ex Scoto dist. min. Non est de re, ut existente, & in propria entitate, conc. min. Non est in aliquo, in quo eminenter, & nobiliori modo continentur, ac magis visibiles sunt, quàm in se ipsis, neg. min. & cons. Creaturæ enim habent esse repræsentativum, & eminentiale in essentia Dei longè nobilius, & perfectius, quàm in sua reali existentia, & entitate, ideò talis cognitio est eminenter intuitiva.

Objic. 2. Scotus [2] cognoscit notitiam intuitivam, quæ terminatur ad objectū, ut existens pro præterito, vel futuro, ergo notitia illa non est necessario de re præsente, nec terminatur necessariò ad præsentiam rei.

Resp. dist. ant. Intuitivam imperfectam, conc. ant. perfectam, neg. ant. & conf. nam loquimur de propriè, & perfectè intuitiva. *Dico*, inquit, *quod illa est vel perfecta, qualis de objecto, ut præsentialiter existente, vel imperfecta, qualis est opinio de futuro, vel memoria de præterito*.

Objic. 3. Cognitio abstractiva potest esse de re existenti, & præsenti, ergo non bene explicatur ejus differentia ab intuitiva. Prob. ant. Per nos hæc cognitio est per species indifferentes ad præsentiam, vel absentiam realem objecti, ergo tàm potest esse de re præsenti, quàm intuitiva.

Resp. dist. utrumque ant. De re præsenti specificativè, conc. ant. de præsenti redu plicativè, & formaliter, ut præsenti, neg. ant. Nam hoc ipso, quod erit de re, ut præsenti, erit intuitiva, licèt enim abstractiva attingat objectum præsens, non sequitur, quod umquam attingat illud intuitivè, nisi attingat, ut præsens formaliter.

[1] 3. d. 14. q. 3. B. n. 6.

Ob-

Objic. contra 2. p. Utraque hæc notitia est de eodem objecto tàm materiali, quàm formali, ergo non differunt essentialiter, nam actus specificantur ab objectis materialibus, & formalibus. Prob. ant. Objecta illarum differunt tantùm penes absentiam, vel præsentiam: sed hæc non sunt, nisi circumstantiæ, & conditiones accidentales pertinentes ad solam applicationem objecti ad potentiam, ergo non faciunt differentiam in actibus, nisi accidentalem.

Resp. neg. ant. & min. prob. Præsentia enim realis hic se habet non ut pura conditio, sed ut ratio formalis, sub qua res causat, ac terminat actus: & ideo est specificativa ejus. Dato etiam, quod præsentia, & absentia non essent nisi conditiones applicationis intellectus ad objectum, adhuc possent inducere diversitatem specificam: nam, ex Doctore, intellectio viatoris, & visio Beati differunt specie, & similiter fruitio Beata, & non Beata, licèt intellectio, quæ ad illas concurrit, *diceretur causa, sine qua non, saltem essentialiter requiritur, quia plura ejusdem speciei non requirunt necessariò in causis aliqua alterius speciei*, &c. Sufficit igitur ad distinctionem specificam harum cognitionum, quod una requirat essentialiter præsentiam realem, velut sui causam, aut conditionem, altera verò non requirat.

Inst. Cognitio, quam intellectus habet de re absente, fit per easdem species, quas habuit de præsente, ergo cognitio de re præsente, & cognitio de absente sunt ejusdem speciei, ergo intuitiva, & abstractiva non differunt specie.

Resp. 1. neg. ant. Nam, ut diximus, species, quæ inserviunt cognitioni intuitivæ, pendent à præsentia reali objecti in fieri, & conservari, non verò, quæ inserviunt abstractivæ. Et præterea argumentum supponit, quod intuitiva fiat per species, quod negari potest, nam causatur, & terminatur ad esse reale objecti, saltem regulariter, non ad esse intentionale, seu ad species ejus. Unde neg. suppositum antecedentis.

Inst. 2. Sequeretur, quod absque mutatione ulla intrinseca in actu, mutaretur ejus essentia: sed consequens est absurdum, ergo illi actus non differunt speciei. Prob. seq. Si dum intelligo lapidem, ut præsentem ille

ille destrueretur, non cessarem intelligere, & lapis non esset amplius præsens, ergo actus de intuitivo fieret abstractivus, & alterius speciei absque mutatione ulla intrinseca.

Resp. neg. maj. Nam cùm cognitio dicat habitudinem transcendentalem ad objectum, non potest mutari illa habitudo, quin mutetur & ipsa cognitio, cui est identificata.

CONCLUSIO II.

D*Eus supplere non potest præsentiam objecti in notitia intuitiva, ita ut esse possit intuitio de re absente*. Ita meliores Scotistæ, & alii.

Prob. 1. ex Scoto [1] jam cit. Nam intuitiva *habet necessariò annexam relationem realem ad ipsum objectum, quæ necessariò requirit extrema in actu, & consequitur necessariò naturam illorum*, & id ubique supponit: sed quando abesset objectum, illa relatio non adesset, & relatio non potest suppleri à Deo, ergo Deus non potest supplere absentiam objecti in notitia intuitiva.

Prob. 2. ex ejusdem principiis. Cognitio intuitiva nequit actu repræsentare objectum sine respectu actuali tendentiæ ad illud: sed ille respectus terminatur ad objectum secundum esse reale, quod habet pro tunc, ergo illa nequit esse intuitiva, quin objectum pro tunc realiter existat præsens. Prob. conseq. Terminus relationis realis debet esse existens realiter secundum rationem illam, sub qua terminat, sed terminat respectum intuitionis secundum realem, & actualem præsentiam, ergo illam pro tunc debet habere.

Prob. 3. Quia intuitio est essentialiter de re existente, ut existente, ergo implicat eam esse intuitionem, & esse de objecto non existente, ergo hæc conditio suppleri non potest à Deo.

Objic. 1. Omnis intellectio, etiam intuitiva, est qualitas absoluta dependens ab intellectu, & objecto, ut ab efficiente: sed Deus potest supplere causam efficientem, & se solo producere, quidquid producit cum causis secundis, ergo se solo potest causare intuitionem.

Resp.

[1] *Quodl. 13. cit.*

Resp. dist. maj. Est qualitas absoluta cum respectu transcendentali tendentiæ ad objectum, conc. maj. absoluta simpliciter, neg. maj. & dist. min. Deus potest supplere quoad absolutum, conc. min. quoad relativum, neg. min. & conf. Licèt ergo Deus se solo posset causare, & conservare entitatem absolutam intellectionis, non tamen haberet respectum actualis tendentiæ ad objectum, ut præsens: unde non faceret intellectum actualiter intuentem objectum in se, quandoquidem in se non existeret realiter, sed ad summum intentionaliter, & repræsentativè: falsum etiam est, quod dependeat tantùm effectivè ab objecto, nam pendet etiam terminativè, quæ dependentia est formalis, & non supplebilis à Deo.

Objic. 2. Quæ distinguuntur realiter, possunt saltem divinitùs separari: sed intuitio distinguitur realiter à suo objecto, etiam ut existente, ergo potest ab eo separari.

Resp. dist. maj. Si sint omninò absoluta, conc. maj. si includant necessariam relationem, neg. maj. & conf. Nam licèt intuitio sit entitas absoluta, includit tamen relationem actualem tendentiæ ad objectum, ut existens, & præsens.

Objic. 3. Deus potest conservare visionem in oculo in absentia objecti, ergo & intuitionem intellectivam, quæ est species visionis.

Resp. dist. ant. Secundum entitatem absolutam, absque perceptione actuali objecti, conc. ant. ita ut oculus semper videat actu objectum, neg. ant. & ita esset de intuitione.

Inst. Tam posset Deus causare visionem in oculo sine reali existentia, quàm perceptionem saporis: sed potest facere perceptionem saporis absentis & per speciem, ergo & visionem. Prob. min. Nam Deus faciebat, ut Hebræi perciperent in manna omnem saporem, quem cupiebant: sed hoc non faciebat, nisi per species in organo gustus productas, alioqui debuisset mutare substantiam, vel temperamentum mannæ adnatum in comedentibus.

Respond. dist. min. utriusque argumenti, & dico minus inconvenienter asseri mutationem temperamenti mannæ, quàm productionem talium specierum, & hoc facit ad sensus litteralis veritatem magis rea-

realem, quod sc. ille cibus cœlestis verè habuerit in se *omne delectamentum, & saporem suavitatis*: de quo in Theologia.

CONCLUSIO III.

Ad cognitionem comprehensivam non requiritur, ut cognoscantur omnia, quæ continentur etiam eminenter, & virtualiter in re, nec sufficit, ut cognoscantur sola prædicata quidditativa intrinsecè constitutiva rei secundum omnes gradus cognoscibilitatis eorum: sed requiritur, & sufficit, quod intelligatur secundum omnia prædicata intrinseca, & extrinseca, quæ in ea continentur formaliter à parte rei, ita ut intellectio commensuretur intelligibilitati ejus, & eam adæquet.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui sic explicat allatam comprehensionis definitionem ex S. Augustino, *quod quidquid scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur*. Hoc (inquit) *non est intelligendum, quod absolutè finiatur: quia tunc Deus non comprehenderet se, sed finitur cognoscenti, quia respectu ejus ita se habet, ac si esset finitum. Videtur enim solus ille intellectus comprehendere aliquod intelligibile, cujus est tanta perfectio in intellectualitate, quanta est perfectio, vel intelligibilitas intelligibilis, & ideo ibi est commensuratio, & adæquatio, neutrum est excedens respectu alterius, & ita utrumque est quasi finitum alteri, quia simpliciter adæquatum*. Habes conclusionem in terminis.

Prob. 2. quoad 1. p. Ad talem comprehensionem, v. g. Dei, deberent cognosci non tantum omnia prædicata, quæ illi competunt à parte rei intrinsecè, vel extrinsecè, sed etiam omnes habitudines ejus ad creaturas, & creaturæ ipsæ, & omnia, quæ continentur in ejus omnipotentia, & scientia: ad cognitionem ignis deberent cognosci omnes ignes, quos posset per æternitatem producere, omnes cognitiones, quas posset Angelus habere, &c. Sed hoc est falsum, & absurdum, ergo comprehensio non exigit cognitionem omnium, quæ continentur eminenter, & virtualiter in re. Prob. min. ex August. cit. ad comprehensionem sufficit, ut *nihil rei lateat videntem*, sed quæ

[1] 3. d. 14. q. 2. F. n. 7.

quæ continentur virtualiter, & eminenter, non sunt quid rei, ergo non debent cognosci.

Prob. 2. Comprehensio intellectiva dicitur per comparationem ad corporalem: sed ad corporalem sufficit, ut comprehensum contineatur secundum totam suam molem intra superficiem concavam comprehendentis, non verò, ut contineantur ibi omnia, quæ illud potest producere, ergo ita est de intellectiva.

Prob. 3. Quæ coninentur eminenter, aut virtualiter in re, non habent esse distinctum realiter ab essentia ejus formali reali, ergo ut comprehendatur causa, sufficit, ut cognoscatur tota ejus essentia secundum totam suam essentiam realem, & formalitates in ea realiter contentas, non autem secundum ea, quæ possunt ab ea produci. Imò deberent etiam cognosci causæ ejus, & omnia, ad quæ habet relationem dependentiæ: & sic non posset comprehendi creatura ulla sine Deo ipso, saltem cognosci deberent non solùm effectus omnes possibiles naturaliter, sed etiam possibiles supernaturaliter, & per potentiam obedientialem, deberent cognosci omnes actus intellectus, & voluntatis unius Angeli, vel animæ per æternitatem, &c. quæ sunt absurda, vel nulla comprehensio esset possibilis, nisi Deo.

Prob. 2. p. ex eodem August. Ad comprehensionem nihil objecti debet latere videntes: Sed prædicata multa præter essentialia, & quidditativa sunt aliquid objecti, ergo non sufficit ad comprehensionem videre quidditativa, & essentialia, sed requiritur videre alia attributa, perfectiones omnes intrinsecas, modos, & passiones realiter identificatas. Maj. patet, quia comprehensio non est qualiscumque rei cognitio, sed ampla, integra, & adæquata, ut patet de comprehensione corporea, quæ nihil corporis relinquit extra complectentis capacitatem. Prob. min. Nam proprietates, virtutes, passiones, modi intrinseci, &c. sunt verè aliquid rei, ergo non debent latere videntem, si visio est comprehensiva.

Prob. 3. p. ex eadem comparatione ad corporalem comprehensionem, quæ ita ponit comprehensum in comprehendente, ut prorsus commensurentur ad invicem secundum comprehensionem, & comprehensibilitatem, seu secundum capacitatem continentis,

tis, & molem contenti, ergo intellectiva comprehensio consistit in pari commensuratione, & adæquatione in intelligendo, ut scilicet intelligens tàm perfectè rem videat, quàm res est de se visibilis, & intellectus exhauriat totam repræsentabilitatem, seu intelligibilitatem ejus.

Dico, in intelligendo. Non enim requiritur adæquatio, vel commensuratio in essendo inter objectum, & potentiam, seu cognoscentem, alioqui creatura à Deo comprehensa commensuraretur illi: sed intelligitur de adæquatione, & commensuratione in ratione intelligibilitatis, ita ut res tam plenè intelligatur, quantum est intelligibilis secundum ea, quę illi insunt.

Objic. 1. contra 1. p. Ad comprehensionem objectum debet finiri cognitione: sed non finitur, nisi cognoscatur secundum ea, quæ continet eminenter, & virtualiter, ergo debet etiam secundum illa omnia cognosci. Prob. min. Ut sic finiatur, debet cognosci secundum ea omnia, quæ sunt ejus: sed, quæ continet eminenter, & virtualiter, sunt aliquid ejus æquè, ac ea, quæ continet formaliter, ergo non finitur cognitione, nisi ea cognoscantur. Prob. min. Sunt aliquid in virtute, & eminentia rei, ergo, &c.

Resp. neg. utramque min. & dist. ant. prob. Sunt aliquid indistinctum ab esse, & proprietatibus rei, conc. ant. aliquid reale, & actuale distinctum, neg. ant. & consequentiam. Qui ergo cognoscit essentiam, & passiones, ac virtutes rei, sufficienter cognoscit omnia, quæ sunt ejus.

Inst. Si cognoscerentur omnes effectus rei possibiles, illa perfectius cognosceretur, ergo sine illis non comprehenditur. Prob. conf. Comprehensio enim debet exhaurire cognoscibilitatem: hoc enim significat Augustinus per *finire*, & Scotus per *adæquare*.

Respond. neg. conseq. & ant. prob. Nam *finire*, seu *adæquare*, seu *exhaurire* cognoscibilitatem est tantum cognoscere ea, quæ sunt actu in re, alioqui, ut comprehenderetur anima, deberent cognosci etiam ea omnia, quæ potest naturaliter, & supernaturaliter, & per æternitatem producere: sic enim perfectior esset cognitio: sic etiam deberet Verbum divinum produci ex cognitione, non tantum futurorum possibilium, sed etiam impossibilium, quia fu-

futuritio est quædam formalitas superaddita possibilitati. Hæc autem non admittent adversarii.

Objic. 3. Objectum habet ordinem transcendentalem ad omnes effectus possibiles, ergo ad comprehensionem debet cognosci ille ordo, ergo & illi omnes effectus, qui sunt ejus termini: relatio enim intelligi nequit sine termino, à quo specificatur.

Respond. neg. cons. & dist. prob. Relatio nequit intelligi sine termino adæquato, & saltem confusè, conc. ant. sine termino inadæquato, & distinctè, & ab isto specificatur: neg. ant. Relatio non specificatur à termino inadæquato, & concipi potest sine illo, saltem distinctè cognito. Sufficit ergo ad comprehensionem, quod termini confusè cognoscantur.

Quæres, an *hæc comprehensio sit possibilis in intellectu creato.*

Respond. 1. Hanc non esse possibilem respectu Dei, quia cùm sit infinitæ intelligibilitatis, & perfectionis, non potest comprehendi ab intellectu finito, qualis est omnis intellectus creatus.

Respond. 2. Non repugnare respectu creaturæ, saltem supernaturaliter, v. g. Angelus poterit comprehendere hominem, quia hic non habet intelligibilitatem, nisi finitam: & ideò non superat intellectivitatem, saltem supernaturalem Angeli: sed hæc ad Theologos, ubi de incomprehensibilitate Dei.

QUÆSTIO XI.

De memoria intellectiva.

MEmoria sumitur 1. pro potentia *conservativa specierum*, & sic nihil est distinctum ab intellectu, quatenus eas conservat, & per eas redditur maximè potens ad eliciendas intellectiones, & dicitur memoria fœcunda. 2. pro potentia *conservativa præteritorum*, ut præterita sunt, estque cognitio actus præteriti, ut præterit i, & dicitur *recordatio*, & habet duplex objectum, 1. *remotum*, & est objectum aliàs cognitum. 2. *proximum*, & est actus, seu cognitio habita circa illud, & hæc *memoria* est propria animæ rationalis: alia verò potest esse in brutis, ut diximus, quia ipsa non

sunt propriè reflexiva, & quæritur an sit, & an distinguatur ab intellectu.

CONCLUSIO I.

D*Atur memoria intellectiva, indistincta realiter ab intellectu*. Est communis.

Prob. 1. *ex Scoto*. [1] Certum est, inquit, *quod aliquis actus cognoscendi præteritum, ut præteritum, est in nobis: alioqui deesset nobis* 1. *pars prudentiæ, quæ est secundum Tullium recordatio præteriti... Hoc supposito tamquam certo, quod possit nobis inesse actus cognoscendi præteritū, ut preteritū, & ut objectum, addo, quod ille actus, qui dicitur recordari, non est cujuscumque præteriti immediatè: sed tantum alicujus actus præteriti, qui infuit ipsi personæ recordanti, & qui fuit in ipso actus humanus ad excludendos actus vegetativæ, & casuales, sive generaliter imperceptibiles. Non enim recordor, te sedisse, nisi quia recordor, me vidisse, aut nosse te sedisse.... Recordatio igitur est cognitio, seu cogitatio alicujus actus præteriti ipsius recordantis, & hoc in quantum præteriti.*

„ Addit, quod in quantum recordatio est de actu „ præterito, sequuntur quatuor certa, & totidem „ in quantum est de objecto etiam præterito. Circa „ recordationem objecti certum est, 1. quod potentia recordativa habet actum post tempus, alioqui „ non esset præteriti, ut præteriti.... Ita quod actus „ recordandi succedit recordato, 2. illa percipit flu- „ xum temporis inter illud instans, vel tempus, in „ quo fluit, quod est objectum recordationis, & in- „ stans præsentis perceptionis, 3. quod objectum re- „ cordationis, quando objicitur recordationi, non est „ in se præsens, quia tunc non esset recordatio ejus, „ ut præteriti (sed cognitio ut præsentis) 4. cum o- „ porteat objectum aliquo modo esse præsens ad a- „ ctum, si non potest esse in se præsens, oportet, quòd „ sit præsens per speciem, & tunc potentia erit con- „ servativa speciei objecti recordabilis. Ex recorda- „ tione objecti spiritualis, sc. actus præteriti ipsius re- „ cordantis sequitur 1. quod recordatio erit duplicis „ objecti, sc. *remoti*, circa quod habitus est actus hu- „ ma-

[1] 4. *d*.45. *q*.3. *A*. *n*.7.

„manus, & *proximi*, sc. actus humani præteriti ten-„dentis ad illud objectum. 2. quòd cùm potentia re-„cordativa debeat habere speciem integram requisi-„tam ad recordationem, & ista non possit imprimi „ab objecto, quando non est in se præsens, necesse est „eam imprimi ab ipso, quando est actu præsens: illud „autem objectum proximum est actus humanus pre-„teritus, ergo, dum ille fuit, imprimebatur species „necessaria. 3. nullus potest habere recordationem „nisi de actu proprio, & hoc humano, quia per il-„lum solum cognitum, ut objectum proximum, co-„gnoscitur objectum ejus, ut objectum remotum: „ideo non potest recordari actus ejusdem rationis in „alio, cujus in se ipso recordatur. 4. cum non possit „imprimi species actus humani præteriti in alia po-„tentia, quàm in illa ipsa, cujus actus ille est objectum, „oportet actum illum cognoscendi præteritum esse „*objectum potentiæ recordativæ*. Hæc placuit exscri-„bere ex Scoto, quia explicat clarè totam œconomiam „hujus facultatis.

Prob. etiam 1. pars 2. Nam ipsa experientia constat nos recordari rerum, & actuum nostrorum præteritorum, & de illis gaudere, aut tristari, ac pœnitere, id non fit per solam memoriam sensitivam: quia per illam non recordaremur, nec pœniteremus de actibus purè spiritualibus, cum non sit capax talium specierum, ergo id fit per memoriam intellectivam: ergo datur memoria intellectiva.

Prob. 3. *p.* Quia nulla est necessitas distinctionis, ac multiplicationis realis talium facultatum, & unica sufficit, ergo memoria intellectiva non distinguitur realiter ab intellectu ipso.

Objic. 1. *contra* 1. *p.* Objectum intellectus est ens *ut sic*, sed ens *ut sic* abstrahit à *fore*, & à *fuisse*, seu à *futuro*, & *præterito*, ergo non datur recordatio in intellectu, quia hæc respicit præterita, & singularia.

Respond. neg. ant. Nam ex dictis, cognitio etiam terminatur ad singularia, saltem specificativè.

Objic. 2. Arist. ponit reminiscentiam ex parte organi, sed intellectus non est potentia organica, ergo nec memorativa.

Respond. dist. maj. quatenus memoria sensitiva, & organica juvat ad intellectivam, conced. maj. quasi

verò nulla alia detur præter organicam,neg. maj. organica juvat quidem ad intellectivam: sed non impedit, quin etiam species spirituales conserventur in intellectu.

Objic. contra 2. par. Anima per tres potentias, intellectum,memoriam, & voluntatem est imago Trinitatis, sed in Trinitate tres personæ divinæ distinguuntur realiter, ergo & istæ potentiæ, ergo memoria distinguitur realiter ab intellectu.

Respond. ex Scoto, neg. conf. non enim est imago perfecta, nec ratio imaginis est in illa distinctione potentiarum, sed in operationis modo consistit.

Objic.2. Experimur aliquos promptos ad intelligendum, & ineptos ad retinendum, & memorandum, ergo intellectus, & memoria possunt separari, ergo distinguuntur realiter.

Respond. neg. conf. Hæc enim differentia venit non ex parte potentiæ intellectivæ, sed organorum, alioqui dicendum esset dari plures species intellectuum, quia quidam sunt prompti, quidam verò tardi ad intelligendum.

DISPUTATIO XIV.

De Voluntate.


HÆc est altera rationalis animæ facultas nobilissima, cæterarumque regina, & Imperatrix, per quam homo tendit liberè in finem suum, & suorum actuum Dominus est. Tractatum ejus plurimi rejiciunt in Philosophiam moralem, quia illa est sicut humanæ libertatis principium, sic & omnis moralitatis, quasi verò non debeat etiam suum habere locum in physica. Nos igitur de illa hìc agimus, quantum ad ea, quæ ad Philosophum naturalem spectant, quæ verò ad moralem, in suum locum reservamus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An, & quid sit voluntas humana, & quod ejus objectum.

Quod est appetitus in rebus omnibus, & maximè in viventibus, hoc est in anima rationali voluntas, sc. *Facultas appetitiva spiritualis, qua fertur in bonum suum actu elicito, & quidem liberè*, & sicut in brutis appetitus sequitur cognitionem sensitivam, illique proportionatur: Sic voluntas cognitionem intellectivam cum ea tamen differentia, quod hæc non terminatur ad actum per cognitionem quamcumque, quin sit libera ad prosequendum, vel non prosequendum id, quod ei per intellectum proponitur, quod non est in brutis.

Hujus appetitus rationalis existentiam, & à sensitivo distinctionem, non est, quod probem, ipsa constat experientia, & fides docet per scripturas sacras, ut cùm Deus dicit homini, *sub te erit appetitus tuus, & illius dominaberis*: apertè indicat facultatem rationalem in homine, quę dominetur appetitui sensitivo, & animali, & cùm dicebat Apostolus, quod *caro concupiscit adversus spiritum*: non solum distinctionem, sed etiam contrarietatem, & pugnam docet inter illos hominis appetitus, quorum unum vocat *spiritum*, alterum *carnem*. Et idem indicat, dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*.

Ejusdem facultatis ab intellectiva distinctio formalis ex natura rei satis liquet ex dictis supra de intellectu, & de potentiis animæ rationalis, nec id placet frustra repetere.

Voluntatis nomen 1. *impropriè* sumitur pro quocũq; appetitu etiam in brutis, 2. *minus impropriè* pro ipsis actibus, & volitionibus, ut cum dicitur *voluntatem timentiũ se faciet*. Et hoc sensu dixit Aug. [1] *nihil tam est in potestate nostra, quàm ipsa voluntas*, idest volitio. 3. *propriè* pro illa altera facultate animæ rationalis, qua appetit, aut fugit res sibi ab intellectu propositas.

Circa objectum verò, supponendum est 1. volunta-

[1] *Retract. 9. & 11.*

tatis actus esse duos, sc. *volitiones*, & *nolitiones*, seu *prosecutionem*, & *fugam*, seu *amorem*, & *odium*. 1. respicit bonum, & 2. malum. Bonum autem aliud *honestum*, quod propter se est volibile, habetque rationem finis, aliud *delectabile*, quod secundum se causat voluptatem, & *utile*, quod conducit ad acquisitionem honesti, seu finis. Alias boni acceptiones dedimus in metaphysica, & physica, ubi etiam notavimus bonitatem formaliter, & secundariò importare aliquam relationem convenientiæ: sed fundamentaliter, & primariò esse formalitatem absolutam.

CONCLUSIO I.

Voluntas sufficienter describitur appetitus cum ratione liber, & distinguitur non realiter, sed formaliter ex natura rei tum ab intellectu, tum ab ipsa substantia animæ.

Prob. ex Scoto, [1] quoad 1. part. Qui sic eam expressis verbis definit, & patet, quia sic explicatur quidditas hujus potentiæ sine superfluitate. Dicitur. 1. *appetitus*, & id habet rationem generis, sic enim convenit cum appetitu sensitivo. 2. *cum ratione*, & sic differt à sensitivo, quantùm ad illam unionem cum potentia cognoscitiva rationali, seu spirituali: cùm & ipsa sit spiritualis. 3. *liber*, estque ultima, & major differentia ejus tum ab appetitu sensitivo, tum ab intellectu: neuter enim est verè liber: nam appetitus bruti non est indifferens ad prosecutionem, vel fugam, quamdiu objectum illi proponitur sub una ratione boni, vel nocivi. Intellectus verò agit, ut causa naturaliter determinata. S. August. eam describit *animi motum cogente nullo ad aliquid non admittendum, vel adipiscendum*. Quod eodem recidit. 2. & 3. pars patet ex dictis supra de potentiis animæ in genere, & earum distinctione, unde Scotus [2] dicit, quod, *sicut ens continet virtute rationem unius, veri, & boni, & aliorum, sic anima continet potentias istas unitivè, quamquam formaliter sint distinctæ.... sic ergo possumus accipere de intellectu, & voluntate, quæ non sunt partes essentiales animæ, sed sunt unitivè contentæ in anima, quasi passiones ejus* pro-

[1] 3. d. 17. B. n. 3. [2] Ibid. K. n. 17. & 18.

propter quas anima est operativa: non quod sint essentia ejus formaliter, sed sunt formaliter distinctæ: idem tamen identicè, & unitivè, ut probatum est de attributis divinis.

Ratio autem identitatis realis est, quia nulla est necessitas talis multiplicationis entium: distinctionis verò est, quia habent inter se diversas definitiones, & sunt principia etiam in Deo diversorum actuum essentialiter: nam *Pater* per intellectum generat Verbum, non per voluntatem, & per hanc Pater, & Verbum spirant Spiritum sanctum, non per intellectum, & 1. productio est vera generatio, non autem 2.

Objic. contra 1. par. Appetitus arguit imperfectionem: sed voluntas est perfecta, alioqui non esset in Deo, ergo non est appetitus, prob. maj. appetitus tendit in bonum absens, ergo supponit imperfectionem, & indigentiam.

Respond. dist. maj. Appetitus desiderii, conc. maj. appetitus amoris, complacentiæ, seu omnis appetitus, neg. maj. & min. & ant. prob. & sub hoc respectu est in Deo, qui nihil appetit, nec vult ex indigentia propria: in creaturis autem sub neutro respectu repugnat. Objectiones autem contra 2. & 3. p. habes solutas supra.

CONCLUSIO II.

OBjectum voluntatis adæquatum est omne ens, ut ens.

Prob. 1. ex Scoto [1] qui quidem videtur aliquando dubius, dicens, quod si voluntas *possit habere actum circa omne intelligibile, ponetur idem esse objectum tàm voluntatis, quàm intellectus, & sub eadem ratione formali*, &c. Sed alibi sæpe [2] docet positivè, quod voluntas *inclinatur ad omne ens*, Item: *Objectum eo modo, quo potest esse in memoria, potest esse in intelligentia actualiter, & in voluntate secundum actum ejus amabiliter; vel odibiliter*. Item: *voluntas habet duplicem actum amandi: sc. amorem amicitiæ, & actum concupiscendi aliquid amato, & secundum utrumque actum habet totum ens pro objecto*. Item: *Quæ-*

[1] *1. d. 3. q. 3. B. n. 22.* [2] *1. d. 3. q. 10. D. n. 10. & d. 6. q. 1. A n. 2. & 4. d. 49. q. 2. S. n. 19.*

Quæcumque voluntas respicit pro objecto volibile, sub ratione communissima, quia est potentia immaterialis, & per consequens respiciens totum ens, vel aliquid æqualis ambitus cum ente, ergo ex Scoto, objectum adæquatum voluntatis est totum ens.

Prob.2. Cuilibet potentiæ cognoscitivæ adæquatur appetitiva aliqua intra sphœram sui objecti: sed potentia cognoscitiva rationalis respicit omne ens, ut ens, ergo & voluntas, min. patet ex disp. præc. maj. etiam non videtur posse negari, imò cum voluntas sit nobilior intellectu, ut patebit, non deberet habere objectum minùs amplum; nam ex majori, vel minori latitudine objecti solet mensurari perfectio potentiarum.

Prob. 3. Nullum assignari potest ens intelligibile, circa quod voluntas non possit habere aliqualem actum volitionis, aut nolitionis, ergo voluntas habet pro objecto omne ens, ut ens, prob. ant. si esset assignabile aliud objectum adæquatum, maximè ens ut bonum: sed hoc dici non potest in rigore Scholastico, ergo &c. prob. min. 1. quia ens, ut bonum formaliter importat relationem convenientiæ, relatio autem formaliter non est quid potens per se movere potentiam, ergo si ens movet voluntatem, id facit 1. sub ratione absoluta entis. Præterea ens, ut bonum, non terminat nisi volitiones, ut malum autem terminat nolitiones, ergo non debet assignari bonum, neque malum pro objecto adequato voluntatis, sed aliquid prius, & commune utrique, qualis est ratio communis entis. Denique omne ens est etiam bonum bonitate transcendentali, & essentiali: sed voluntas potest versari circa omne bonum, ergo & circa omne ens in se, & ut ens est, quia ut ens est bonū saltem realiter.

Objic. 1. Intellectus, & voluntas sunt potentiæ essentialiter diversæ, ergo habent objecta formalia diversa, sed ens in communi, & ut ens est objectum adæquatum intellectus, ergo ut ens non est objectum adæquatum voluntatis, prob. 1. conseq. nam potentiæ distinguuntur per objecta.

Respond. 1. neg. cons. & dist. prob. ejus, potentiæ distinguūtur extrinsecè, & quasi à posteriori per objecta: conc. ant. intrinsecè, & à priori. neg. ant. nam primariò distinguuntur per suas proprias entitates, & modos

dos tendendi in objecta, voluntas autem tendit in objectum per modum ponderis, & inclinationis, vel aversionis, ac liberè, intellectus verò per modum naturæ.

Respond. 2. dist. subsumptum; ens sub diversis formalitatibus,conc.ant.sub eadem neg.ant.Ens præcisè, ut fundans relationem aptitudinalem *veri* est objectum intellectus,& ut fundans relationem *convenientis*, aut *disconvenientis* est objectum voluntatis,quod sufficit ad diversitatem.

Respond. 3. dist. ant. potentiæ disparatæ, ut visiva,& auditiva: conc. ant. subordinatæ, neg. ant. & conseq. voluntas subordinatur intellectui, quatenus nihil vult, vel odit, nisi ut cognitum.

*Objic.*2. Magis bonum magis movet voluntatem, quàm minus bonum, licèt istud sit perfectius ens, ergo bonum est objectum voluntatis,non autem ens, ut ens, ant. patet, nã centũ aurei fortius alliciunt voluntatem avari, quàm perdix, licèt ista sit nobilius ens. prob. conseq. ideò magis calidum non magis movet visum, quàm minùs sonorum, quia neutrum est objectum visus, & ideo minimus color magis movet illum,quã summus calor, quia ille est objectum visus, non iste, ergo si majus bonum, quàm perfectius ens magis movet voluntatem,signum est,quod bonum est objectum voluntatis, non autem ens, saltem ut ens.

Respond. dist. ant. magis movet voluntatem motu naturali, conc.ant. motu libero, & elicito, neg. ant. voluntas in ratione appetitus naturalis fertur in bonum sibi conveniens, sicut cæteraq omnia entia tàm viventia, quàm non viventia, quæ omnia feruntur naturaliter in bonum suum, at in ratione appetitus rationalis fertur, aut non fertur magis, aut minus in quodcumque objectum sibi propositum, prout vult.

Inst. Appetitus est quædam inclinatio naturæ, sed inclinatio naturæ est in sui conservationem, & ad ea, quæ faciunt ad illam conservationem, seu quæ bona sunt, ergo ad bonum, ut ad objectum, & finem.

*Respond.*1. Eodem modo, scilicet, de voluntate secundum appetitum naturalem, non verò secundum liberum.

*Objic.*3. Omnis voluntas etiam naturalis, & libe-

ra operatur propter finem: sed finis, ut finis est bonum, ergo omnis voluntas habet bonum pro objecto.

Respond. 1. Male hìc confundi objectum cum fine. 2. dist. maj. & min. propter finem fundamentaliter, conc. maj. & min. formaliter, & sub ratione finis, aut convenientiæ, quam importat bonum secundariò, neg. maj. & min. diximus in metaph. bonum esse in se entitatem absolutam talis entis, in qua fundatur relatio convenientiæ, quæ est bonitas formalis, & secundaria, vel disconvenientiæ, quæ est malum, seu malitia etiam formalis, licèt autem bonum, & malum soleant explicari per illas relationes, non sequitur, quod eas importent primariò velut differentias suas essentiales. Ideo finis, & bonum terminant appetitum voluntatis tàm naturalem, quàm liberum priùs per illud absolutum, quàm per illud relativum convenientiæ, vel disconvenientiæ, quod in talibus entibus fundatur.

Fateor, quòd de facto voluntas nihil amat, quod non sit bonum, nec odit positivè, quod non sit malum, sed mihi non videtur repugnare, quin possit velle, aut nolle aliquid, quod non proponitur illi explicitè nisi sub ratione entis, aut alterius formalitatis indifferentis.

CONCLUSIO III.

Voluntas non potest velle positivè nisi bonum, & nolle nisi malum, seu, *non potest velle malum sub ratione mali, nec odisse bonum sub ratione boni.* Est communior contra nominales, & paucos Scotist.

Prob. 1. *ex Scoto*, [1] licet citetur in contrarium. *Potest concedi, quod voluntas non potest resilire ab objecto, sive nolle objectum, in quo ostenditur aliqua ratio mali, nec aliquis defectus boni, quia sicut bonum est objectum hujus actus, qui est velle, ita malum, vel defectus boni, quod pro malo reputatur, est objectum hujus actus, qui est nolle: circa bonum oblatum non possum elicere actum voluntatis nisi velle*, &c. ergo ex Scoto voluntas non potest velle positivè malum, ut malum, nec odisse bonum, ut bonum.

Prob. 2. *ex D. Dionysio*, [2] *& aliis patribus*, imò & ex Arist. [3] *nemo intendens ad malum operatur*, pro-

[1] *Quodl.* 16. *E n.* 5. [2] *de Div. nom. c.* 4. [3] 2. *phys.* 31.

prosequendo consecutionem mali, & *bonum est, quod omnia appetunt.*

Prob. 3. *ratione*. Modus tendendi voluntatis est per modum ponderis, & inclinationis, & per attractationem objecti cogniti, sed non potest per modum ponderis inclinari ad malum, ut ad malum, nec ab eo trahi, ergo nec amare malum, ut malum. Patet maj. ex August. *Amor meus pondus meum*, & negari non potest, quin ille sit modus agendi voluntatis distinctus à modo agendi intellectus. Prob. min. Quia in hoc consistit ratio boni, quod alliciat, & mali, quod deterreat appetitum, ergo implicat in terminis voluntatem trahi à malo, ut malo, & deterreri à bono, ut bono' hoc ipso, quòd allicit, habet rationem boni, & hoc ipso, quòd deterret, habet rationem mali.

Prob. 4. Ut se habet intellectus ad verum, & falsum quoad assensum, vel dissensum, sic voluntas ad bonum, & malum quoad amorem, & odium: sed intellectus nequit assentiri falso, ut falso, nec dissentiri vero, ut vero, ergo nec voluntas amare malum, ut malum, nec odisse bonum, ut bonum. Prob. maj. Non minùs determinatur voluntas ad naturam suorum actuum, quàm intellectus, licèt illa sit libera, non iste: sed de natura volitionis est, ut respiciat bonũ, & odii, ut respiciat malũ, saltem directè: ergo tam voluntas determinatur ad bonũ per volitionẽ, & malum per nolitionem, quàm intellectus ad verum per assensum, & ad falsum per dissensum. Esto illa sit libera ad velle, aut non velle, tamen supposito, quòd agat circa bonum cognitum, non potest agere, nisi per amorem, & circa malum, per odium.

Confir. Inutile, ut inutile, non potest esse objectum electionis, ergo neq; malum, ut malũ, potest esse objectum volitionis. Prob. conseq. Ut enim se habet bonitas utilitatis in ordine ad finem, & ad electionem, ita bonitas absoluta honestatis, vel delectabilitatis ad amorem amicitiæ, vel concupiscentiæ.

Objic. 1. ex Scoto. [1] *Nondum probatum est, quin voluntas possit bonum nolle, in quo nulla invenitur ratio mali, vel defectus boni; sicut non est probatum, quin possit*

[1] 1. *d.* 1. *q.* 4. *n.* 18. *ad* 3. *arg.*

possit velle illud, in quo non invenitur aliqua ratio boni, et hoc vel in re, vel in apprehensione, priusquam illud terminet actum volendi. Ubi Poncius notat, [1] quòd Doctor videtur dubius fuisse, an voluntas posit velle malum sub ratione mali.

Resp. neg. conseq. nam Scotus [2] re vera erat problematicus, cùm id scribebat, & cùm dicebat, *si tamen non ponatur voluntas creata posse velle malum sub ratione mali, adhuc potest assignari peccatum ex certa malitia*, &c. & resolvit argum. in utramque partem, sed positivè stat pro nobis in locis citatis, & in illis determinatè loquitur.

Objic. 2. Peccans ex malitia vult peccatum cognitum, ut malum, ergo malum, ut malum, est objectum voluntatis. Prob. ant. Quia peccatum ex malitia non supponit ignorantiam mali, nec passionem excæcantem, ergo respicit peccatum, ut malum.

Resp. dist. ant. utrumque. Cognoscit malitiam peccati, & simul aliquod bonum apparens, vel præfixum, aut verum, conc. ant. agit purè, & simpliciter ob malitiam, neg. ant. Nullus enim, quantumcumque malus, peccat, nisi quia in peccato sibi præfigit, vel apprehendit aliquod bonum, v.g. utilitatem, aut voluptatem.

Inst. Damnati blasphemantes, vel odientes Deum, nullam ibi percipiunt utilitatem, vel delectationem, ergo nulla solutio, saltem pro illis.

Resp. neg. ant. Nam satisfaciunt furori, ac desperationi, & idem est, si appetant non esse, aut quodvis aliud malum, nam id faciunt ad vitanda tormenta.

Objic. 3. Potest quis velle malum, ut malum, ut exerceat libertatem suam, ergo voluntas, ut libera, potest velle malum, ut malum.

Resp. supposito ant. neg. conseq. Nam illud exercitium, & satisfactio libertatis habebit rationem finis, & boni, saltem præfixi.

Inst. Voluntas est libera circa omnia objecta: sed non esset libera, nisi posset omnia odisse, vel amare, sive bona, sive mala, ergo potest odisse, vel amare bonum.

Resp. dist. maj. Libertate contradictionis, conc. maj. contrarietatis, neg. maj. Potest odisse malum, vel non

[1] *ibid. n.* 124. [2] 2. *d.* 43. *q.* 2. *A. n.* 2.

non odisse; ita & amare, vel non amare, in quo est libertas contradictionis: sed non potest amare, vel odisse bonum.

Objic. 4. Voluntas potest appetere impossibilia, sed in his nulla est ratio boni, ergo potest appetere malum, ut malum, prob. min. nam ipsa impossibilitas est summum malum.

Respond. dist. maj. Impossibilia sub aliqua ratione imaginaria boni: conced. maj. ut impossibilia, & ut mala, neg. maj. In chimæris est bonitas chimærica. Et præterea hæc non appetuntur efficaciter nisi ex errore.

Objic. 5. Sequeretur nos non posse operari virtutes, aut præcepta meritoriè, sed conseq. est absurdum, ergo & quod non possit amare malum, prob. Sequela non possemus omittere illa opera, & sic non fierent liberè, quia in eis nihil est nisi bonum, ergo non possumus non amare.

Respond. neg. maj. & rationem ejus: tum quia licet non possemus odisse illa opera positivè, supposito quod nihil mali possemus in illis imaginari verè, aut fictè, adhuc possemus illa omittere per libertatem contradictionis. At quanti sunt, qui oderunt virtutes, & præcepta, quæ respiciunt, ut indelectabilia? Nullum est bonum, in quo non possimus apprehendere aliquid mali, vel ex errore, vel ex pravitate voluntatis: nec ullum malum, in quo non præfigamus nobis, aut aliis aliquid boni, & sic nihil de facto, nec de possibili amamus nisi bonum, nec odimus nisi malum reale, aut imaginarium, aut fictum & falsum, etiam in ipso odio Dei, quem vellet peccator non esse, aut non esse omnipotentem, aut justum, aut omniscientem, ut posset peccare impunè.

CONCLUSIO IV.

Impossibilia, etiam cognita, sunt de objecto voluntatis, non quidem efficacis, & absolutæ, sed inefficacis, & conditionatæ, seu, *voluntas potest velle impossibilia etiam cognita impossibilitate.*

Prob. autem 1. *ex Scoto*, [1] docente, quod Angelus potuit appetere æqualitatem Dei, quod sic probat. *Si*

Bb 7 *æqua-*

[1] 2. d 9. q. 1. An. 2.

æqualitas Dei esset possibilis Angelo, posset Angelus istam concupiscere sibi, planum est: sed impossibilitas ista non prohibet, quin Angelus posset hoc velle; quia voluntas posset esse possibilium, ex *Phil.* [1] & *D.Damasceno*, & hoc etiam probat, quia *damnati odiunt Deum, juxta illud*, [2] *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper, odiens autem vult oditum non esse*; ex *Phil. ergo volunt Deum non esse, sed hoc est impossibile in se, ergo impossibilitas istius appetibilis non prohibet, quin posset appetiá voluntate peccante*. Quod confirmatur 1. ex eo, quod *omnis peccans vult Deum non esse*. 2. Quia, secundum August. [3] *voluntas potest uti fruendis, & frui utendis, potest frui se, & velle uti Deo, quod est velle sibi summum esse*, quod soli Deo competit, & quo nihil est impossibilius.

Prob.2. quoad 1. partem, nam electio non est impossibilium, ex Phil. *nullus consiliatur de impossibilibus*, nec præcipit intellectui practico quærere media ad illa, ergo impossibile cognitum non est objectum voluntatis efficacis, & absolutæ.

Prob. quoad 2. Nam experientia quotidiana constat nos talia impossibilia sic velle, nam cum imaginamur montem aureum, vel hircocervum, voluntas sibi complacet in illis objectis, etiam absolutè, sed simplici complacentia, & inefficaci, sæpè dicimus: *Si essem Rex: si essem avis, si essem Deus, hoc facerem*, & omnes actus pęnitentiæ sunt de impossibili: nam detestatio peccati commissi est actus æquivalens isti: vellem ex toto corde meo, ut, si fieri posset, peccatum non extitisset.

Objic.1. Impossibile non habet ullam bonitatem, nec malitiam; quia non habet ullum esse, ergo non est objectum voluntatis, prob. conseq. objectum voluntatis non extenditur ultra ens, vel bonum, aut malum, alioqui ens non esset objectum adæquatum ejus.

Respond. dist. ant. non habet ullam bonitatem, vel malitiam realem, ac veram, conc. ant. imaginariam, aut fictam, aut prolixam, neg. ant. pro quo tradit Doctor [4] quod duplex est intellectio, *absoluta*, & „*comparativa*. 1. *non est nisi alicujus objecti simplicis* „*con tenti sub objecto intellectus* (scilicet sub ente.) 2.
„*pot-*

[1] 3.*Eth.*38. [2] *Psal.* [3] *L.*83.*qq.*30. [4] *Ibid.E.n.*6.

„ potest esse ad quodcumque, & hoc sive ista compara-„ tio sit possibilis, sive impossibilis, quia intellectus com-„ ponit propositiones impossibiles, sicut possibiles. v. g. „ intellectus percipit hæc duo simplicia absolutè, Deus, „ & Angelus, utrumque est possibile, intelligit com-„ parativè hæc duo per æqualitatem unius cum alio: „ Dei cum Angelo: est comparativa, & impossibilis „ quoad hanc comparationem. Similiter, volitio alia „ est absoluta, & illa non est nisi de objecto simplici „ contento sub primo objecto volibili. (Sub ente, aut „ bono) alia comparativa, quæ potest comparare omne „ volibile simplex ad aliud, licet in illa comparatione „ involvatur contradictio, ut in æqualitate Angeli cum „ Deo, de 1. volitione hoc (complexum) Angelus æqualis „ Deo non est volibile, quia non est aliquid simplex invol-„ vens in se ratione primi objecti, sed tantùm est quædam „ habitudo objecti simplicis ad aliud objectum, sc. An-„ geli ad Deum, quorum utrumque objectum simplex „ est per se volibile, nam illud, quod vult, scilicet „ Deus, & illud, qui vult, sc. Angelus est per se voli-„ bile. In hac ergo propositione Angeli, similis ero al-„ tissimo, partes absolutæ, scilicet Deus, & Angelus, „ sunt sub objecto voluntatis: sola comparatio æquali-„ tatis est impossibilis: illud, cui vult, nempe Angelus „ ipse, & Deus, quem sibi vult, sunt vera entia voli-„ bilia, & continentur sub primo, & adæquato obje-„ cto voluntatis, & hoc sufficit, ut voluntas possit velle „ unum in ordine ad aliud, licet comparatio illa sit „ impossibilis.

QUÆSTIO II.

De dependentia voluntatis ab intellectu, seu, *de concursu intellectus ad actus voluntatis.*

PLures sunt actus voluntatis. 1. *fruitio*, quæ est volitio objecti propter se, 2. *usus*, est volitio rei propter aliud. 3. *actus neuter*, seu *simplex complacentia* in objecto, quod non proponitur voluntati, nec ab ea amatur, ut conveniens, vel disconveniens; saltem explicitè, & formaliter. 4. *delectatio*, si tamen est actus, quæ sequitur actum perfectum. 5. *Tristitia*, quæ opponitur delectationi, & de illa est idem judicium. 6. *Efficax*, quo sic vult

finem

finem, ut etiam eligat, & applicet media ad illum; & *inefficax*, quo sic vult finem, ut non eligat, nec applicet media ulla ad illius consecutionem, & dicitur *velleitas*. 7. *Primò primus*, seu *indeliberatus*, qui prævenit judicium. 8. *Odium*, seu *fuga*, qua recedimus à malo, & *amor*, quo prosequimur bonum. 9. *Odium* aliud est *abominationis*, quo detestamur malum in se, vel nolumus illud alteri, & *inimicitiæ*, quo volumus malum alicui, & quæritur, an omnes isti actus sic pendeant ab intellectu, ut nullum possit elicere voluntas sine prævia cognitione ejus.

Cognitio autem alia est apprehensiva, alia *judicativa*, de quibus supra, *judicium* aliud *speculativum*, quo simpliciter judicatur de objecti bonitate, vel malitia, aliud *practicum*, quo dictatur illud bonum amandum, & illud malum fugiendum, & quæritur an quælibet illarum cognitionum sufficiat, aut requiratur ad actus voluntatis: ita ut naturaliter, vel supernaturaliter voluntas non possit ferri in ullum objectum per ullum ex his actibus sine cognitione prævia, & in quo genere causæ cognitio concurrat ad illos actus; An effectivè, an verò tantùm, ut conditio: & an defectus in voluntate supponat defectum in cognitione.

Non disputo [1] an voluntas sit activa suarum operationum, an verò merè passiva. Certum enim est illam esse activam, (& est de fide in Concil. Trid.) [2] etiam respectu gratiæ supernaturaliter excitantis, & adjuvantis: & id certè essentiale est potentiæ liberæ, ut sit domina suorum actuum, quod non potest esse, nisi illi soli competat eorum effectio. Est tamen simul & activa, & passiva suorum actuum: quia sunt immanentes, & illos in se producit, & recipit, sicut intellectus. Quærimus ergo hìc solùm, an objectum, & intellectus concurrat Physicè, & effectivè ad illos actus.

CONCLUSIO I.

Aliqua cognitio objecti necessariò prærequiritur, ut voluntas feratur in illud per nolitionem, aut vo-

[1] 1.d.25. A.n.6. [2] Ss.6. can. 4.

volitionem, non ut causa concurrens efficienter ad illam, sed velut pura conditio, Est communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] & S. August. [2] *necesse est ad actum amandi, amatum esse præcognitum; hoc dicit Aug.(nil volitum, quin præcognitum) sed non oportet ipsam volitionem esse præcognitam*. Et alibi: [3] *Volitio requirit intellectionem priorem natura, sed sufficit, quòd illa intellectio sit imperfecta ad hoc, quod voluntas illi complaceat*. Habes ergo necessitatem cognitionis de objecto ad volitionem, & quòd ad complacentiam sufficit cognitio imperfecta, qualis est apprehensio: *Volitio est effectus posterior intellectione naturaliter, & propter illum ordinem necessarium non potest causari volitio à voluntate, nisi priùs causetur intellectio ab intellectu*, & sic etiam innuit, quòd intellectio non causat volitionem effectivè, sed sola voluntas, quod infra sic concludit. [4] *Dico, ergo, quod nihil aliud à voluntate est causa totalis volitionis in voluntate*, ergo intellectio non concurrit effectivè ad actus voluntatis, sed ut mera conditio.

Prob. 2. quoad 1. p. experientia, qua constat, nos scire ea, quæ nolumus, & volumus, & manet de illis memoria, ergo cognitio præcedit omnem nolitionem, & volitionem.

Prob. 3. Objectum debet esse præsens omni potentiæ, & ne appetitus quidem sensitivus fertur in cognitum, sed non potest esse præsens voluntati, nisi per cognitionem intellectus, qui est oculus animæ, & proportionatus voluntati, ergo ad omnem actum voluntatis prærequiritur cognitio aliqualis objecti.

Confirm. Nisi enim præcederet cognitio aliqua tàm velle posset bonum, quàm malum, & è contra, nam voluntas dicitur communiter cæca, ergo indiget ductu cognitionis ad suos actus.

Prob. 2. p. Nam, ut dicebamus ex Scoto, voluntas est causa totalis suorum actuum, ergo intellectus ad illos non concurrit effectivè: alioqui illa non esset causa totalis, sed partialis. Probatur ant. Si non esset causa totalis suorum actuum, non esset libera, nec perfectè domina respectu illorum, quia non haberet illos plenè in sua potestate; nam pen-

[1] *d.* 10. *M. n.* 14. [2] 15. *de Trin. c.* 27.
[3] 2. *d.* 45. *q.* 4. *H. n.* 12. [4] *D.* 25. *O.S. n.* 19. *et* 22.

penderent à concursu intellectus, qui non est in potestate, & dominio voluntatis, ergo cognitio prævia ad volitiones, & nolitiones non causat illas efficienter, sed est mera conditio, qua objecta proponuntur voluntati, est velut applicatio, & approximatio, sine qua voluntas non posset velle, aut nolle illa.

Objic. 1. Non est potior ratio, cur intellectio sit independens à volitione, quàm volitio ab intellectione, sed intellectio potest esse sine volitione, ergo & volitio sine intellectione. Prob.maj. Utraque est qualitas absoluta, & inter se realiter distinguuntur, ergo æquè possunt ambæ esse sine se invicem.

Resp. neg.maj. & conseq.prob. Quia, quòd sint absolutæ, & distinctæ, non impedit illarum ordinem, & aliqualem subordinationem, & ita est ob rationes allatas, quia sc. voluntas est potentia cæca.

Inst. Saltem Deus posset conservare unam sine altera, imò & illam producere, ergo posset conservare, & producere volitionem alicujus objecti sine prævia cognitione, ergo saltem de potentia Dei absoluta potest voluntas velle, aut nolle independenter à cognitione.

Resp.dist.ant. Posset producere, aut conservare in ratione qualitatis absolutæ, & supplendo cognitionem objecti, conc. ant. in ratione operationis vitalis, non supplendo præsentiam intentionalem objecti, neg. ant. & conseq. Sicut diximus de intellectione, quod potest produci, & conservari à Deo solo in intellectu merè passivè se habente, aut in lapide, aut extra omne subjectum, secundum id, quod illa habet absolutæ entitatis, ita est de volitione, sed si voluntas fieret formaliter volens per illam, Deus suppleret præsentiam intentionalem objecti, seu cognitionem, vel talis qualitas non magis faceret volentem formaliter animam, quàm lapidem, si in isto poneretur propter rationes conclusionis.

Inst. 2. Deus potest supplere quamcumque conditionem: sed cognitio objecti non requiritur ad volitiones, nisi ut pura conditio, ergo potest causare volitiones sine cognitione prævia objecti.

Resp. neg. maj. Sunt enim multæ, quas Deus supplere non potest, saltem quoad effectum illarum formalem, v.g. non potest supplere unionē substantialem

lem in toto, & facere, ut materia, & forma constituant totum sine unione, ita est de cognitione respectu volitionis.

Objic. 2. Accidit etiam naturaliter, ut viri spirituales in altissima contemplatione ferantur ardenti amore in Deum etiam incognitum, & nos ipsi optamus sæpiùs incognita scire, & sæpè ipsa voluntas imperat, & applicat intellectum ad studium, ergo etiam naturaliter volitio præit cognitioni. Prob. ant. ex SS. Patribus, nam D. Dionysius dicit, tunc hominem perfectè conjungi Deo, quando *relicta cognitione corporalium, & spiritualium, illi unitur*.

Resp. neg. ant. & dist. prob. Relicta cognitione attentiori, & clariori, conc. ant. relicta omni prorsùs cognitione, neg. ant. alioquì nescirent, an Deum diligerent potiùs, quàm hominem, vel diabolum. Ideò ergo dicuntur amare sine cognitione, quia sic occupantur ejus amore ferventi, ut ferè non advertant, se illum cognoscere, & in hoc sensu loquuntur SS. Patres. Idem dico de incognitis, quæ cupimus scire, & quorum studium voluntas imperat. 1. cognoscimus confusè, & imperfectè, ideò cupimus scire clariùs, & distinctiùs.

Objic. 1. contra 2. p. Verbum Divinum efficienter, & partialiter concurrit ad productionem amoris personalis, scil. Spiritus sancti, ergo & in nobis verbum concurrit partialiter effectivè ad amorem creatum.

Resp. neg. conseq. & disparitas est, quia Verbum divinum est persona subsistens, cui Deus Pater per generationem communicat voluntatem fœcundam: non ita est de verbo nostro.

Objic. 2. Si voluntas sola produceret suas volitiones, essent omnes ejusdem speciei, sed falsum conseq. ergo & ant. Prob. maj. ex Doctore. Si intellectus esset causa totalis suæ intellectionis, omnes essent ejusdem speciei, ergo ita esset de volitionibus, si essent totaliter à voluntate.

Resp. neg. maj, & conseq. prob. [1] Nam ideò objectum concurrit ad cognitionem, quia hæc est formalis ejus imago, non ita est de volitione, licèt etiam objectum concurrat ad specificationem, quatenus.

[1] 3. d. 1. q. 7. K. n. 20.

nus ad eam concurrit moraliter, & in ratione finis, ac termini, ut dicemus.

Objic. 3. Voluntas movetur per imperium practicum intellectus ad amandum bonum, ergo intellectus tunc concurrit effectivè ad amorem,

Resp. neg. ant. & conseq. Quia imperium est actus voluntatis, non verò intellectus, & quia imperium concurrit quidem moraliter, sed non physicè; alioqui voluntas imperans manui projectionem lapidis physicè projiceret, quod nemo dixerit.

CONCLUSIO II.

Objectum non concurrit physicè ad actus voluntatis, nec ad omnes requiritur cognitio ejus distincta, & judicativa, plerumque sufficit confusa, & simplex apprehensio, sed requiritur ad actus efficaces.

Prob. 1. ex Scoto cit. Ibi docet, quòd voluntas est causa totalis sui actus, & si objectum non est causa totalis, non esset libera,, nec domina suorum actuum. De causalitate partiali colligitur mens ejus ex hoc textu. *Qui diceret, quòd objectum movet voluntatem effectivè, non tamen, ut totalis causa, sed ut aliquid ibi faciens, tunc non esset glossanda auctoritas Arist. dicentis*, quòd appetitus est movens, & *motum, quod movet, scilicet metaphoricè*, &c. ergo ex Scoto objectum non movet voluntatem physicè, sed tantùm metaphoricè, & moraliter.

Prob. 2. Quia cognitio objecti non concurrit physicè, ut probatum est, ergo multò minus objectum ipsum. Prob. conseq. Quia cognitio existit in intellectu physicè, quando proponit voluntati objectum. Istud verò non existit sępissimè in rerum natura, sed in anima, & intentionaliter, & per modum termini, ergo non potest concurrere ad volitiones, nisi metaphoricè, & per modum termini, seu finis, & secundum esse cognitum, ac intentionale.

Confir. 1. Quia nihil impedit, quominùs voluntas sit causa totalis sui actus: sic enim meliùs salvatur ejus libertas, & dominium in illum, & nihil impedit dicere, quòd cognitio se habeat purè, ut conditio, sine qua non; & objectum, ut terminus, aut finis, ergo ita dicendum est.

Con-

Confirm. 2. Intellectus se habet ad voluntatem, ut consulens: sed consulens, nec consilium non causant physicè actus agentis, ergo nec intellectus, ergo multò minùs objectum.

Prob. 2. p. *Quod non requiratur ad omnes actus cognitio distincta, nec judicium, sed sufficiat simplex, & confusa*, saltem ad inefficaces. 1. Quia ex Scoto cit. intellectus simplex potest apprehendere æqualitatem Dei sine errore, & sufficit simplex apprehensio ad hoc, quod appetitus appetat illud apprehensum, sicut intellectus apprehendens albedinem, & corvum potest velle albedinem corvo. 2. quia simplex apprehensio sufficit appetitui ad prosequendum, aut fugiendum, ergo & voluntati ad amorem, vel odium. 3. quia appetimus, saltem complacentia simplici, impossibilia, sed hoc non fit ex cognitione indistincta, & judicativa, ergo ex simplici, & confusa. Prob.min. ex Scoto, quia impossibilium non est electio.

Prob. 3. pars, sc. *ad actus efficaces requiri judicium*, quia ut dicebamus, *impossibilium non est electio*: sed volitiones efficaces inquirunt de mediis, & ea eligunt, ergo procedunt ex judicio de bonitate, & possibilitate finis. Probatur min. Volitio efficax in hoc distinguitur ab inefficaci, quod includit volitionem mediorum, ergo supponit judicium de illorum utilitate ad consecutionem finis, & quidem practicum, quod movet proximè voluntatem ad operandum.

Objic. 1. contra 1.p. Ab objecto, & potentia paritur notitia etiam effectivè, ergo & amor, ergo objectum concurrit effectivè ad actus voluntatis. Ant. patet ex dictis. Prob. conseq. Non magis determinatur intellectus per species objecti ad cognitionem ejus, quàm voluntas per cognitionem, & maximè per judicium practicum: sed intellectus determinatur activè per objectum mediante specie, ergo & voluntas mediante cognitione, vel judicio.

Resp. neg. conseq. & maj. prob. & disparitatem dedimus supra, quia cognitio est formalis repræsentatio, & similitudo objecti, ideò debet ab eo causari; non ita est de volitione, ubi cognitio nihil agit, nisi manifestando illud.

Ob-

Objic.2.Objectum influit in voluntatem,trahendo voluntatem: sed tractio est actio physica, & efficiens, ergo influit physicè, & effectivè.

Resp.dist.maj.Trahendo,seu alliciendo per modum finis,conc.maj.& neg.min. per modum efficientis, & quidem cum violentia,neg.maj. & conseq. objectum trahit alliciendo per exhibitionem suæ bonitatis,quæ fit ab intellectu, ut patet ex dictis de causa finali.

Inst. In motibus primò primis, & indeliberatis necessitas illorum non venit à voluntate, sed à solis objectis, ergo tunc illorum actio est physica.

Resp. neg. suppositum ant. Nam illi non sunt eliciti à voluntate rationali, sed ab appetitu sensitivo, & sic non faciunt ad rem.

Objic. contra 2. p. Voluntas est de se indeterminata ad amorem, vel odium, ergo debet ab alio determinari: sed non potest determinari, nisi à judicio,nec ad hoc sufficit sola apprehensio, ergo ad omnes actus voluntatis requiritur judicium, & non sufficit nuda apprehensio.

Resp.neg.1.conseq. Nam illius indeterminatio non est passiva, sed activa, ideò determinatio ejus est ab ipsamet,quæ se determinat ad amorem, vel odium, & in hoc sita est ejus libertas, & hæc indeterminatio etiam durat post ipsum judicium intellectus.

Inst. Ut voluntas se determinet ad amorem, vel odium, debet ei proponi, quod objectum est bonum, vel malum, sed hoc non fit per simplicem apprehensionem, sed per judicium, ergo determinatio voluntatis pendet à judicio. Prob. min. Apprehensio simplex non componit, ergo non proponit objectum, ut bonum, aut malum.

Resp.neg. min. Nam sensus externus, nec internus non componit, nec judicat, & tamen eorum apprehensio sufficit appetitui ad prosecutionem,aut fugam. Ad prob.dist.ant.Non componit per affirmationem, aut negationem, conc. ant. Non apprehendit, nec proponit terminos complexos,& compositos,neg.ant. & conseq. ut patet ex dictis de hac operatione.

CON-

CONCLUSIO III.

DEfectus in voluntate non semper arguit defectum in intellectu, nec illa necessitatur ad amandum majus bonum in concursu minoris, sive æqualiter, sive inæqualiter proponantur.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui id probat ex August. & Arist. 1. August. *Hi sunt, qui vivi absorbentur, qui sciunt malum esse, & lingua consentiunt, absorpti moriuntur.* Item, *Quid est vivos? consentientes illis, & scientes, quod consentire non debebant. Ecce norunt muscipulam, & pedem mittunt.* Item, *præcedit intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus.* Et Arist. *Ratio parum, vel nihil valet ad virtutem, unde concludit Doctor, si autem rectitudo intellectus in considerando, necessariò haberet per concomitantiam volitionem rectam, cùm scientia multum faciat ad considerationem rectam, ergo multum faceret ad rectum velle*, addit, quòd *non oporteret persuadere alicui, ne esset vitiosus, sc. per voluntatis adhæsionem vitiis, sed ut consideraret secundum habitum intellectus, nam per se*, inquit, *considerando rectè secundum habitum scientiæ voluntas non potest simul non esse recta, ergo non oporteret persuadere alicui de recte volendo, sed de rectè considerando.* Alia ejus argumenta sunt clara in textu.

Prob. etiam ex Scriptura, ut cùm dicitur, [2] *servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatē ejus, vapulabit multis.* Item, [3] *scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*, ergo Christus Dominus sic loquens supponit evidenter, quòd voluntas non semper conformatur dictamini scientiæ.

Confirm. iterum ex D. August. *Si aliqui duo æqualiter affecti animo, et corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicitè fruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse in causa, ut in illo fiat voluntas mala? Quid aliud apparet, nisi unum voluisse malum, alterum noluisse à castitate deficere?* ergo id non rejicit in judicia.

Prob, 1. ex articulis Parisiensibus damnatis, inter quos

[1] 3. *d.* 36. *E. n.* 12. [2] *Luc.* 12. 24. [3] *Jacob.* 4.

quos isti sunt. 1. *Stante scientia in universali, & in particulari voluntatem non posse velle oppositum*. Error 2. *Si ratio recta, & voluntas recta est*. Error 3. *Existente voluntate in ultima dispositione, quod non possit in oppositum*. Non potest autem esse in ultima dispositione, antequam cognoscatur clarè bonitas, aut malitia rei etiam in particulari, & hìc, & nunc, ergo defectus in voluntate non arguit necessariò defectum in intellectu, nec illa sequitur necessariò judicium intellectus.

Prob. 4. experientia, qua constat nos sæpiùs peccare ex actuali, & distincta cognitione malitiæ actus, ut patet de peccatis in Spiritum sanctum, & de illis, qui dicuntur ex malitia. Denique si voluntas semper, & necessariò deberet sequi dictamen rationis, libertas esset in intellectu, non in voluntate, sed de hoc fusiùs in Morali.

Prob. specialiter quoad 2. p. Nam si voluntas possit agere contra judicium, à fortiori poterit non eligere id, quod proponitur evidentiùs, aut ut meliùs; & id constat experientia quotidiana, unde manavit Proverbium: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*.

Objic. 1. ex Script. [1] *Errant, qui operantur malum*, & ex Phil. *omnis peccans est ignorans*. Item, *unusquisque pravus, quid agendum, & à quibus abstinendum sit, ignorat*, ergo in omni peccato voluntatis est ignorantia, seu error intellectus.

Resp. neg. conseq. 1. enim locus intelligendus de aberratione voluntatis à recta ratione, seu de errore morum, non autem de defectu scientiæ, & Philosophus loquitur de errore, & ignorantia antecedente, vel concomitante, aut subsequente, alioqui non esset verè peccatum in voluntate, si error, aut ignorantia rigorosa præcederet. Plura videbimus in Morali, sicut, & de libertate voluntatis.

[1] *Prov. 14.*

QUÆSTIO III.

An voluntas sit nobilior intellectu.

Volueram hìc scribere de libertate hujus facultatis ad pleniorem ejus essentiæ èxplicationem, sed quia nimiùm inde cresceret hujus Partis moles, ideò hæc remisi in Tom. 5. qui de Moralibus erit.

Porrò satis controvertitur hæc quæstio, & utraque pars habet potentes propugnatores. Thomistæ cum aliis plurimis principatum dant intellectui, Scotistæ stant pro voluntate, quidam sunt problematici, alii volunt æqualitatem.

CONCLUSIO.

Voluntas est nobilior intellectu.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ex professo, & fusè, & solidè prælationem voluntatis propugnat; unam, aut alteram rationem ejus seligo, reliquæ videantur in textu. Illa potentia præeminet, quæ minus habet dependentiæ, & plus dominii in actus suos, & in alias potentias: sed talis est voluntas etiam respectu intellectus, ergo præstat intellectui. Prob. min. Sola voluntas est in se formaliter libera, ut suppono ex dicendis in morali, & ex communiori sententia sola habet dominium super actus suos, & super ipsum intellectum, ipsa verò non ancillatur aliis, ergo minus habet dependentiæ, & plus dominii. Prob. ant. Voluntas, ut Regina, movet omnes alias potentias, & ipsum intellectum, applicans, vel retrahendo illum ab aspectu objectorum, & sola potest dicere, *sic volo, sic jubeo*, inquit Sanctus Anselmus, & ratio est ejus pedissequa ex D. Bernardo.

Dices. Voluntas accipit suam libertatem ab intellectu, & ipse movet illam, illuminando, & dirigendo, ac imperando.

Contra. Nam illa directio non arguit dominium in intellectu, sed ministerium, quod prob. quia voluntas potest non sequi dictamen illud. Duplex est

[1] *5. d. 49. q. 4. l. n. 10. & seq.*

est dependentia 1. subditi à superiore, à quo ille regitur per imperium, 2. principis à subdito, ut à ministro, & executore mandatorum. 1. habet intellectus ad voluntatem, quæ illum applicat considerationi objectorum, aut revocat, si placet, 2. habet voluntas ad intellectum, qui ut minister nuntiat, quæ bona, vel mala sunt, &, ut consiliarius, dictat, quæ sunt agenda, vel fugienda, sed ista non sequitur dictamen, nisi volens.

Prob. 2. Illa potentia est nobilior, cujus actus, & habitus sunt nobiliores, sed actus, & habitus voluntatis sunt nobiliores actibus, & habitibus intellectus, ergo & ipsa voluntas. Maj. patet. Nam potentiæ perfectio mensuratur ex actibus, & effectis, nam actus vitales perficiunt illas, & in eis recipiuntur. Prob. min. Actus, & habitus perfectissimus voluntatis est charitas naturalis, & acquisita, aut supernaturalis, & infusa, intellectus verò est scientia, vel fides, sed charitas est nobilior scientia, vel fide, ideò S. Paulus præfert illam spei, & fidei: ac scientiæ. [1] *Major horum est charitas*, & [2] *supervenientem scientiæ charitatem*. Et Seraphini, qui sunt spiritus amoris, supervenient Cherubinis, qui sunt Angeli scientiæ, &c.

Objic. 1. Potentia propinquior essentiæ, & quæ prior ab ea manat, est perfectior: sed intellectus prior manat ab essentia animæ, ergo est nobilior. Prob. maj. Quod proximè manat ab essentia, proximè accedit ad ejus perfectionem, & perfectius est, quàm quod est remotius, ideò primi gradus entis præstant posterioribus.

Resp. neg. maj. & dist. ant. prob. Si sint in diverso genere, conc. ant. si in eodem, neg. ant. Nam, ex Philosopho, posteriora generatione sunt priora perfectione, natura procedit ab imperfectis ad perfecta, à forma mixti ad animam, rationale est nobilius substantia, quæ est prior, & altior gradus entis. Non ita est semper de illis, quæ sunt in diverso ordine: nam substantia est perfectior accidente. Dico, *semper*, nam quantitas licèt propinquior substantiæ, non tamen præcellit qualitatem, quæ non inest, nisi mediante quantitate.

Ob-

[1] 1.*Cor*.13. [2] *Ephes*. 3.

Objic. 2. Homo priùs, & potiùs distinguitur à brutis per rationem, quàm per voluntatem, ergo intellectus, qui est ratio, præstat voluntati. Prob. ant. Homo, & brutum conveniunt in animalitate, & distinguuntur per rationalitatem, quæ constituit hominem, & irrationalitatem, quæ constituit brutum, & anima dicitur intellectiva, ut distinguatur à sensitiva, quæ est bruti.

Resp. dist. ant. Si per rationem intelligatur forma metaphysica includens vim intellectivam, & appetitivam spiritualem, conc. ant. si sola illa facultas animæ, per quam intelligit, neg. ant. Nam rationalitas, prout est differentia hominis constitutiva, includit utramque facultatem, imo magis differt homo à brutis per libertatem, quæ est in voluntate, quàm per vim discursivam, quæ est in intellectu.

Inst. Voluntas est tantùm rationalis per participationem ab intellectu, qui id habet ex se, ergo præcellentia illa maximè venit ab eo.

Resp. neg. ant. in sensu præcedentis responsionis, si rationalitas sumitur pro vi discursiva, nam voluntas per libertatem magis elevat hominem, quàm intellectus præcisè.

Alia argumenta habes soluta, & retorta in adversarios in textu Scoti: Cætera de Voluntate videbimus in Morali; sicut & de Passionibus animæ.

Finis IV. Partis.